

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

KW
235 ~~Elzevier~~
C 42 ~~f 130~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

No 478

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Principis ac Domini,

DN. IOHANNIS CHRISTIANI,

Ducis Sileſiæ, Lignicenſis & Bregenſis, &c. ſacratiſſimi Romani Imperatoris, nec non Hung. Bohemiæq; Regis CAMERARII, &c.

Auguſtiſsimis Filiis, Paternarum Virtutum heredibus, Illuſtriſsimis & Generoſiſsimis Dominis,

DNN. GEORGIO & LUDOVICO,

Fratribus germanis, Lignicenſium & Bregenſium Ducibus, &c.

Dominis ſuis clementiſsimis.

I*Ntempeſtivum duco,* Illuſtriſſimi Principes, *rem multis retrò ſæculis ſtrenuè exercitam commendare, id eſt, peregrinationi encomium ſuſpendere. probarunt olim Athenienſes iuvenes, qui priuſquam hereditati ad ſe devolutæ manus iniicerent, eiicere ſe fuère ſoliti biennium in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

regiones limitaneas, easq́ obire & circumire veluti tirocinia armorum meditando: idq́ agentes à decimo octavo, quo ex ephebis egrediebantur, ad vigeſimum, circumitores, regionumq́ inſpectores dicebantur, non more Magiſtratûs, ſed ut, re & neceſſitate urgente, locorum, viarum & perſonarum acquiſitam peritiam oſtenderent. Idem ferè mos apud Venetos adhuc hodie obtinet.

E re verò eſſe duco dicere, cur Itinerarium *hoc hiſce lineis adumbratum V. Illuſtriſſ. Nomini ſiſtam conſecremq́.*

Ab argumento non novum eſt. elaborarunt in eo iam plures; quid præſtiterint, teſtatur diligentia; quam admiror, neque cum ea contendo: verùm ut veſtis non magnitudine ſed concinnitate æſtimanda eſt, ſic ſcriptum. Hoc, certo conſilio ipsâ tituli inſcriptione menſus ſum Caleto Taurinum *uſque: viæ intermediæ ſunt* Belgium *Hiſpano parens,* Gallia *&* Sabaudia: *agrarium iſtud æquor, iuvante methodo, quæ luce diſpoſitionis memoriæ multùm adminiculatur in urbibus delineandis, ſine naufragio, quod nulli alteri quàm bono meo* DEO *inſcribo, enavi.*

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Concinnitati intextæ ſunt hiſtoriæ, lumen loco inferentes, cùm auctores ipſi, quorum operâ utiliſſimâ in multis uſus ſum, (quod ingenuè fateor) mole ſuâ vialibus uſibus non inſerviant: diverſoria utut eas habui, cum milliaribus, mantiſſam faciunt, ut adeas vel abeas. Hoc circo itinerarium claudo, exclusâ Pariſiorum Lutetiâ, quam, ut eſt Mundi compendium, *cum* Theatro regni Galliæ, *in lucem propediem, ſi Deus me diurnare volet, ſiſtam mundam.*

Primus hic meus fœtus eſt; cui Compatres quærendi, quorum iudicio & tutelâ vivere debeat vel interire, ſurgere aut cadere, & perpetui neglectûs tenebris mulctari. hunc libellum ipſius capiti ſuſpendo, hanc ſententiam fero; nam qualis eſt, illi iudicent. Ego quod à partu difficili matres facere ſolent, me ad quietem componam, ſententias obſtetricum de fœtu auditurus, quæ (Socratis vero verbo) longè melius quàm matres de fœtu iudicant. Si feliciter enixus ſum, Vos Illuſtriſſ. PP. *compatres & teſtes appello. Liceat, dum Patroni mihi capiendi ſunt pro more antiquo, in devoti obſequii*

teſtimonium hoc, quidquid eſt literarii partûs, apud Vos deponere. nec id arrogantiâ aliquâ, ſed fiduciæ ſpe contendo; fretus ſingulari Veſtro & raro erga literas earumq; cultores favore, quem geritis; cuius & ego ſi partem habeam, hoſce tenuitatis meæ fructus Vobis non ingratos fuiſſe edicam. Subeſt alia cauſa ab argumento: Itinerarium eſt, quod manibus Veſtris Ill. PP. *inſero. quidquid viarum in illis monſtratur, vos triviſtis, vel teritis: quidquid geſtorum vel viſorum in eo, veſtrum tribunal & cenſionem requirit: ne quid alienum à vero ſubdolúmve ſubrepat, veſtrum iudicium & tabella expoſcitur. Ad vos itaque, velut ad Quæſitores coniicio hanc cauſam, idq; aliorum exemplo facio.*

Iam ſi ab illuſtris tituli præſcriptione ſplendor & tutela operi peti debet, poſſemne illuſtrius nomen auguſto veſtro ſtemmati præferre? Vos Regiis Familiis innexi, locum & lucem inter primores Orbis Duces ſemper tenuiſtis & tenetis. Illuſtriſſimum Principem, *è quo progeniti eſtis, cum Regiis Virtutibus, quòd exprimere levi hoc penicillo minor ſum,*

Timan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Timantem imitatus ſilentii velo heic tegam, ſemper autem laudabit inclyta SILESIA, *cui pacem hoc* Tutore *uſque adhuc largitus eſt* DEUS.

Sed & vos ipſi orbem rapitis in admirationem. norunt mortales, quibus copiam veſtri facitis. ſi radios veſtros minore aliquâ luce augere mihi ſumerem, quid facerem aliud, quàm ut vili lacernâ tegerem

Sidereos artus, radiataque lumina cœlo?

Compono itaque me, & auguſtiſſimarum Veſtrarum virtutum, quæ Vos ad ſummum faſtigium ſublimant, admirator malo eſſe quàm buccinator. Patiamini verò, Illuſtriſſima Sidera, ut de luculentiſſimo veſtro igne faculam meam ſuccendam, & quæ ſub veſtro auguſtiſſimo Nomine publici iuris facio, etiam ſub veſtro patrocinio publicè vivant. Non dubito, ſi vobis placebunt, quin ab omnibus magno conſenſu probentur: Si qui erunt, quibus minus placeant, quæ vobis probabuntur, iniquis eorum iudiciis ut anciller tantùm abeſt, ut eorum etiam errores ſilentio præterire flagitioſum ducam. Provoco ad

vos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vos, Ill^mi^ P P., *ut quod Veſtris Gratiis trado ſubmiſsè, dico humiliter, offero devotè, in tutelam adverſus malivolorum obtrectationes accipiatis, meq́ numero devotiſſimorum Veſtrorum clientum adſcribatis. Id ſi à vobis impetratum abſtulero, impletum dico omne conſilium, quo hoc opuſculum Veſtro* Illmo *Nomini lubens meritò dedico conſecroq́. Voto finio ad ſupremum Numen, ut Vos* Ill. PP. *felices ſervet in itinere; eoq́ exacto feliciſſimos & glorioſiſſimos domum reducat.*

Lugduni Batavorum kalend. mart. cIↃIↃcXXXI.

Ill^marum^

Celſitud. V^rarum^

devotiſsimus cliens

ABRAHAM GÖLNITZ.

ABRA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ABRAHAMI GÕLNITZ
ITINERARIVM BELGICO-GALLICVM.

EX ANGLIA
In Galliam transfretatio & in Belgium ingreſſus.

QVOD felix fauſtumque ſit, auſpicaturi iter noſtrum ſolvimus è portu *Dovurano.* ubi prius conducto nautâ quem ordo è Gallis vel Anglis tangit, nomen oportet profiteri, quid in Anglia egeris, quóve iter dirigas: pòſt veniâ obeundi datâ arculæ cum reculis viſitantur à regiis miniſtris, & quantum pecuniæ tecum exportes inquiritur. niſi igitur velis cambio tuo fiſcum regium augere, cave ultra decem libras Anglicas, quæ ſunt XL Ioachimici, tecum habeas exportatum.

His peractis navem conſcendimus Gallicam vigiliâ Philippi Iacobi circa veſperam, transfretaturi Helleſpontum Britannicum. verùm nox inſequens jubebat nos ponto incumbere quietos, nec ſine ſubmerſionis periculo, quippe à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

navi rimarum & foraminum plenâ timebamus naufragium,

— digitis à morte remoti
Quattuor aut ſeptem.

donec ſequenti die, cùm aurora ſerena Sacrum Philippi Iacobi produceret, remi *Caleto* advocarentur, qui è navi Gallicâ nos in portum ſuum VII *milliar.* Dovurâ diſtantem exponebant tutos à tempeſtate, mox prandium noſtrum, in hoſpitio *à la Sirene ſauvage* quod ſumebamus, inſequente.

CALETVM.

SVb adventum mox deambulare cœpimus, luſtraturi caſtellum cum præſidio; ſed exeſſe uſſi ſumus, neſcio Præfecti an militum auſteritate. Opidum non inelegans, ſitum in plano, in Comitatu *Oye.* gaudet commodo portu. munitum inſuper foſſis profundis aquâ marinâ impletis. Olim obſeſſum & captum ab Anglis anno 1347. *Antiquitat. Gall. pag.* 461. qui, regnante Henrico II, Gall. Rege, à Guiſio ſubacti & ejecti ſunt, anno 1558. *Meter. lib.*1,*pag.* 32, *& ſeq.* Ibi Capitaneus quidam Gallus Anglum Capitaneum annis gravem jamjam iſthinc diſceſſurum interrogavit, Quando redire vultis vos Angli? Cui Anglus reſpondit: Quando veſtra peccata erunt noſtris majora. hactenus vos ſuperavimus vitiis: ubi nos rurſus vitiis ſuperaveritis, actum erit de vobis; nam tunc redibimus, & hæc loca occupabimus. Sed Albertus Archidux tunc Cardinalis prævenit, & caſtellum cum opido vi expugnavit, anno 1596. *Meter. lib.* 17, *p.* 752, *fusè omnes circumſtan-*

tias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tias habet. pace tamen Vervini, anno 1598, inter Hiſpanum & Gallum factâ, ad Galliæ Regem, cui etiamnum paret, rediit. *Met. lib.* 19, *p.* 838. *ubi articuli pacis*.

Caleti prandio refecti pars noſtrûm equis, pars curru contendebamus *tribus milliaribus Gravelingam* opidum Flandriæ.

GRAVELINGA.

QVo antequam venis, neceſſè habes pontone transjicere flumen Aa, opidum ferè lambens, & diſcriminans Galliam & Flandriam. Ingreſſurus portam opidi audies tot campanarum pulſus quot equites veſtrûm advenient. Heic cœnaturi divertebamus ad hoſpitium, cui *Imago Angeli* præfixa eſt; ubi obſonii nihil, niſi aliunde coëmeris, habebis. Opidum perpetuo præſidio hodiè cuſtoditur nomine Regis Catholici. Præfectus ei erat Gornovvallius, gente Flander. Arce validâ à Carolo V Imperatore anno 1528, & quinque propugnaculis firmatum, famam opidi munitiſſimi adeptum eſt. Auxit opidi celebritatem inſignis conflictus anno 1558 juxtim initus finitusq́ue, quo Thermus Galliæ Mareſchalcus exercitûsq́ue legatus, auſpiciis Philippi Regis Hiſpaniæ, diligentiâ audentiâq́ue Lamoralli Egmondani, victus fuit, ſpoliis exutus atque captus. *Marchant. lib.* 1, *in Flandr. Meter. lib.* 1, *pag.* 34.

Sidneius Anglus cum milite Vliſſingâ veniens ſtrategemate inire voluit opidum, anno 1586; verùm à præſidio vapulans retronavigare coactus fuit. *Met. lib.* 13, *p.* 530.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Quidquid lanarum ex Angliâ Galliâve in Flandriam advehitur, heic portorium ſolvit.

Manè aëre ſereno, itinere verò ab arenâ incommodo, Gravelingâ relictâ perreximus, & circa undecimam diei horam 3 *milliaria*, Dünkerckam uſque, emenſi ſumus.

DVNKERCKA.

OPidum nomen acquiſivit ab Abbatiâ *Dünen*, (Græcis Θῖνες, Latinis arenacei litoris colles,) quæ uno lapide & amplius iſthinc diſtat, & templi turri excelsâ, graduum 273, è cocto latere; ex qua candicantes Angliæ circa Dovuram montes cœlo ſereno clarè conſpicere habes. Oblectavit nos opidum nitidum plateis & ordine, inprimis templi altare ſumtuoſum & amplum, ex marmore variegato, lapide Lydio & alabaſtrite in altum ſurgens, impendio pluſquam viginti millium florenorum, tantoque ſplendore, ut adſpiret ad faſtigium admirationis. Si otium eſt, cœnobium Franciſcanorum utriusque ſexus heîc luſtrabis. De cetero, opidum parum eſt munitum; quippe incumbentibus undique arenariis collibus varii rivuli ſabulum ſecum trahentes locum circumfluunt, & portum navium majorum, quæ recedente æſtu plerunque in ſicco deſtituuntur, minimè patientem efficiunt. *Thuan. lib.* 77, *p.* 322. Carolus V, 1535, propugnaculum & præſidium ibi locavit. Illi augmentum dedit nuperis annis Spinola, novâ defenſione in mare protensâ. iſti, quod erat ſex cohortum è Germanis & Neapolitanis, præerat Antonius Gonzaga Hiſpanus. Famam tamen à captura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

& ſalitura halecum, mercatu & teloniorum per totam Flandriam immunitate, non tam habet, *Thuan. lib.* 77. *Marchant. lib.* 1, *p.* 68. *Met. lib.* 11, *p.* 455 quam à crebris præſidiariorum piraticorum excurſionibus in Anglos, Hollandos & Zelandos, quorum prædâ & ſpoliis opimi facti ſunt. *Guicciard. heic. Meter. lib.* 16, *p.* 650. *& lib.* 19, *p.* 828. *& lib.* 21, *p.* 969.

Non rarò autem militem extraneum habuit hoſtem. Anno 1558 Termeſius Gallus militem in opidum induxit, idque non modò ſpoliandum ſed deſtruendum & comburendum commiſit. *Guicciard. heic. Meter. lib.* 1, *pag.* 34. *Thuan. lib.* 20. Huic ſucceſſit Chamoſius, qui anno 1583 nomine Ducis Andini ibi legionem ſuam habens in præſidio, rixâ de induſtria excitatâ ob prædam à nautis præſidiariis factam, arma contra opidanos capit, nonnulliſque interfectis præſidiarioque Belgico milite ejecto opidum ſibi ſubegit. *Thuan. lib.* 77. *Met. lib.* 11, *pag.* 439. Qui tamen, non multò pòſt copiis Parmenſibus obſeſſus, & ad extremum neceſſitate victus, cùm nulla ulterius auxiliorum ſpes eſſet, cum Parmenſi de deditione tranſegit, his conditionibus, ut ipſe cum ſuis vitâ ſalvâ, gladiis tantùm accinctis, urbe exiret. *Thuan. lib.* 77, *p.* 324. *Meter. lib.* 11, *p.* 456. Mauritius Arauſionenſis, anno 1590, opidum noctu ſcalis admotis invadere animum habuit; ſed vento adverſo res aperta & infecta manſit. *Met. lib.* 16, *p.* 669. Vbi prandio ſatis lauto heic, *apud Iacobum de Bruën, ſub inſigni Clavis*, refecti, equis & curru conſcenſis, arenaceos litoris colles pro viâ habuimus *quinque conti-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nuis milliaribus Neoportum uſque; ubi à *l'Eſcu de France* cœnati ſumus, & cubuimus.

NEOPORTVS.

MEdio itinere ſingulare ſpectaculum, ſed non ſine periculo, ab exploſionibus tormentorum fuit in litus è mari, cui incumbebat Hollandica navis cum Dunkerckana, quæ ab æſtu in ſicco tantùm non tota reſidebat, prælians; quam deinde æſtu redeunte cum exuviis pro trophæo ſub veſperam avehebat.

Opidum olim *Zandhooft* ſeu *arenæ caput* dictum. Nomen *Neoporti* trahit à novo porto ſive opido, non à portu. antiquitus ſiquidem Latinè *Porti* vocabulo dicimus concluſum mercibus opibusq́ue recipiendis & exportandis opidum. Portum habet ſecurum, ſed oblongum. Oſtentat Pharum lapideam, è quâ ad regendos navium curſus & præcavenda vada ignes ex arundine ſtipulâve noctu emicant, quamdiu maris fervor allabitur. Plateæ ſymmetriam habent & ordinem. Plebecula halecum capturâ & mercatu alitur. à navigatione ceſſans, in texendis tragulis, verriculis, ſagenisq́ue canabinis, reſtibusq́ue contorquendis occupatur. Legibus miris à Philippo Alſatio olim dotata. quibus cavetur: Si quis noctu vulneratus, hoc alii imputaverit, ut accuſatus ferro candenti ſeſe purget, ſi ſcabinis dignum videatur; aut recuſans manum amittat. Vt furti poſtulatus ab actore apud judices jurato, vel expurget ſe ferro ſimili, aut laqueo ſuſpendatur. *Marchant. lib. 1, p. 55, & ſeq.* Præter templum ſpatioſum & cœnobia Franciſcano-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

rum hîc nihil notabile. Famam verò habet à memorabili prœlio anno 1600; quo Mauritius victoriâ potitus, Albertus Auſtriacus fugatus, Hiſpani victi fuſiq; ſunt. Strages hæc comparatur cum illa, quâ retrioribus ſæculis anno 1298, eodem menſe & die, Adolphus Comes Naſſovicus Albertum Auſtriacum Imperatorem fudit. *Met. lib.* 21, *p.* 962. Erepta Hiſpanis centum & quinque ſigna militaria peditum, cum IV equitum; & Hagam-Comitis teſtimonium victoriæ transmiſſa. *Karius in Fland, pag.* 44. *Met. lib.* 21, *p.* 953, *& ſeqq. de his fusè. Loorberkrantz, p.* 164. Trophæum ſequens Mauritio erectum eſt: *Anno* CIƆIƆC, 2 *Non. Quint. Mauritius Arauſ. Pr. in Flandriam terram hoſtilem traducto exercitu cum Alberto Arch. Auſtr. conflixit, copias ejus cecîdit, Duces multos, primumq; Franc. Mendozam cepit: reverſus ad ſuos victor ſigna hoſtium centum quinq; in Hagenſi Capitolio ſuſpendit Deo bellatori.* Rem militarem tenentes, ſingularia prudentię Mauritanæ argumenta notant ſeptem in hoc prælio, quibus victor evaſit. quæ ſunt: 1. Ventus contra hoſtes. 2. Sol in oculos hoſtium reſplendens. 3. Sex tormenta bellica non in arena ſed in ſolido lignis ſubſtratis benè locata. 4. Nullus fugæ locus. 5. Nulla ſpes ſalutis (juratum enim erat, omnes occidere, præter Mauritium *vvegen der tugendt,* & Henricum Fredericum *vvegen der jugendt, ou pour luy ſervir de trophée. (l'Hiſtoire de Pays bas, lib.* 8, *fol.* 675.) 6. Callidè à Principe Mauritio diſſimulata cædes militum Comitis Erneſti. 7. Acies mirandum in modum inſtructa. Locus prælii diſtat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

uno lapide ab opido, intra pagos VVeſtende & VVilkens-kerck, viâ quâ itur Oſtendam. quem & ſequenti luce viâ ſupra modum moleſtâ ab arena greſſum ſufflaminante prorependo ſuperavimus: ad ſiniſtram ad colles arenaceos Crux nigri coloris lignea in perpetuam cladis Hiſpanicæ memoriam erecta conſpicitur.

OSTENDA.

Ostendam Neoporto tertio lapide diſſitam ubi venimus, ante prandium, quod tenui apparatu ſed magno impendio, *in diverſorio cui pro inſigni Stella eſt*, conſtabat, ſalutatum & rogatum ivimus Præfectum Franciſcum Monterum Hiſpanum, nobis copiam faceret viſendi propugnacula. affatu obtinuimus ducentem Hiſpanum, & ſingula multis nos docentem;

Hic illius arma, hic currus fuit.

Nomen habet à termino Soli orienti oppoſito, ut è diverſo pagus ad occidentem vergens dicitur VVeſtenda. Tecta ædium arundineo tegulo adhuc hodiè ferè omnia obducta nihil ornati habent. Opidum portu locuples à piſcatoribus primùm inhabitato, qui autores dicuntur ſalſilaginis & halecum conditorum. *Met. lib. 22, p. 990.* Eſt alioquin exiguæ magnitudinis, ſed magni nominis; vallis & propugnaculis eminens, ita ut munitiſſimus totius Europæ audiat locus. Schola militiæ & altera Troja hodiè ab effuſo copioſè ſanguine & longâ obſidione. hæc annos tres, menſes duos, dies quindecim duravit. annos obſidionis cœptæ ex hoc lemmate nota:

Oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

OſtenDe nobIs paCeM.

annos obſidionis ſolutæ:

OſtenDaM InItIapaCIs. (*Meter. lib.* 24, *p.* 1095.) Numerus cæſorum ibidem à parte Hiſpani refertur 78124: dixerim ego cum Admirallio Galliæ Mr de Chaſtillon; Diuturnæ magnarum urbium obſidiones ſunt magnorum caſtrorum cœmeteria & ſepulturę. *Remitto te hinc, amice lector, ad Meter. lib.* 21, *& tres ſeqq., ut & libros Mauritiados den Loorberkrantz, p.* 282, *& ſeqq.* Ordinum Vnitorum numiſma non poſſum quin heic adponam ob Oſtendam defenſatam & Slüſam captam: *Dei Omnip. gratia, Ord. Fœd. Provinc. Belg. Illuſtriſſ. P. Mauric. Aurang. ductu, poſt ſtrenuam* XXXVIII *menſ. Oſtendæ defenſ. fugatis, cæſis & repulſis Hiſp. cop. Cadſand, Yſendyck, Ardenb. Sluſam &* XII *triremes Hiſp. pro ruderibus Oſtendæ, capiunt muniuntque, anno* 1604. (*Met. lib.* 24, *p.* 1096.)

Viſâ hac novâ Trojâ cum Capuzinorum æde, iter *quinque milliar.* Brugas aggreſſi ſumus, illaſque ſub veſperam felici pede ingreſſi: contigit enim cænare & pernoctare lautè & commodè in diverſorio, cui *aurea portula* nomen eſt.

BRVGÆ.

HVc ubi ventum, equorum numerum campanæ pulſus æquant, nec niſi ſalutato & ſciente Præfecto ullus in urbem ingreſſus, ullúsve ſine ſcriptis nominibus accubitus. Nomen non à multitudine ex lapide & ligno pulcherrimi operis pontium, paſſim per urbem

viſendorum, ſed à ligneo ponte, olim *Brugſtock*, (unde ei nomen *Brugæ*, non *Brugarum*, dicit Marchantius,) qui tranſitum antiquitus pandebat commeantib⁹ ab AudenburgoThorhoutoq́ue ad nundinas Rodenburgias, traxiſſe volunt. *Guicciard. heic*, *& Marchant. lib.* 1, *p.* 121. Sita eſt urbs tribus leucis ab ora maritima in latiſſima quadam planitie, ambitum murorum introrſum habens quatuor præterpropter Italicorum milliarium cum quadrante, extrorſum verò milliar. paulo minus ſex. *Guicciard. heic.* Eam diviſam in ſex regiones quas ſextas vocant, perrepit fluvius Reya, fuſcus & cunctabundus, multasq́ue in urbis regiones deductus, & plurimis lapideis pontibus arcuatis inſtructus, ripis hinc inde muratis; ad Damum Sluſamq́ue & Oceanum tribus milliaribus diſſitum æſtu augeſcente navigabilis, vel immiſſus in novum alveum, à porta Leonardina ad Sluſam uſque maximo impendio perfoſſum, neque obnoxium propter ingens repagulum mari reciprocanti. *Marchant. pag.* 122.

Eamus ad templa; quæ ſunt circiter ſexaginta; in iisq́ue tria Canonicorum Collegia, Donatiani Romani, Deiparæ Virginis, & Servatoris. Præpoſitus Donatianus, perpetuus Flandriæ Cancellarius, ad Epiſcopale faſtigium evectus, oſtendet tibi in æde ſua tumulum Ioh. Lud. Vivis, gente Hiſpani, domo Valentini, heîc cum uxore denati. Chriſtophori Magni effigiem lapidi inciſam in templo D. Virginis videre habes. nota, ſi lubet, ſtaturam, & compara cum Pariſienſi. Chorus principalis in utroque hoc, ut & Servatoris, tibi oſtendet

utrim-

utrimque depicta inſcriptaque inſignia Equitum Aurei Velleris, eo ſplendore illic ornatorum. Ieſuitarum Cœnobium ſuperioribus annis Reipublicæ ſumtibus conditum, meretur videri: Patres oſtenſo theatro Comico, Claſſibus, & bibliothecâ Facultatibus divite & variegatâ, nos deduxerunt in hortum deambulatum, ubi tuliparum amœnitas, pro anni tempore, colloquium, antequam dimitteremur, mantiſsâ beavit. Supra ad circumitum ædificii galeam cum culicibus circumvolitantibus depictam videbis; interpretabantur quidam denotare robur Hiſpaniæ cum Principibus & Rebuſpublicis. In Abbatia S. Bartholomæi tabellam membranaceam Luberti Hautſchilti Mathematici & Abbatis ejus loci miraberis, cujus deſcriptionem è Marchantio hanc habe: Præfert figuram mulieris, ſtantis, nudæ, paſſis capillis, pedibus inſtabilibus: capiti ſerpens auritus bipesque, caudam ſuam mordens, ſupervolvitur; ubera duo lupi ſugunt. characteres G, capiti: B, manui dextræ: Y, levæ: I, pedi dextro: D, ſiniſtro aſſcribuntur: quibus Gandavum, Bruga, Ypra, Inſula ſive Lila, & Duacum denotantur, Flandriæ matrices. Lateri dextro proximè occurrit hic verſiculus;

Gyb fiet ex Gybid, cùm Deca Decas ibit.

Mulieris imago duobus circulis, notabili intermedio diſtinctis, circumſcripta eſt; & in propinquiori hi verſus magis veri quàm terſi circumeunt:

Gybid væ tibi; nam de te facis ipſa ruinam:
Deficiunt vires, nec probitate vires.
Vberibus plenis lac noſtrum das alienis;

Lacte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Lacte lupos refoves, felleq; paſcis oves.
Non eſt, dum ſpiras, qui noſtras mitiget iras.
Væ capiti, manibus, proh dolor, ac pedibus.
Dextra manus vana, nec læva fuit benè ſana;
Pes tuus inſtabilis quilibet, ac labilis.
Heu fortuna mala, cur nos fallit tua ſcala!
Eſt ſedes tibi, lis & gradus inſtabilis.
Heu vicino bis das anno vulnera nobis;
More modoq; ſecas, enſe focoq; necas.
Infelix natus à paucis es veneratus;
Nuda cares caris, lacte parente paris.
Gybid dilecta, quia mens mala, nec via recta,
Hoc in perpetuum ſit diadema tuum.
Eſt tibi principium, finis: caput, ac tibi cauda;
Devorat hoc illam, deſtruit illud eam.

In ſuperiori circulo duodecim opida, inter quæ ſunt illæ quinque Flandriæ metropoles, continentur: Supra illam hi verſus:

Forma cecas clavis; hinc bona ſurget avis.
Hoſtibus introitus hæ villæ ſunt prohibentes;
Sed nequeunt forte majorum traditione.

Inter utrumque circum hi pentametri:

Iudaico more, qui legis, iſta lege.
Sena bis ſedis clave reſolve, ſeras.

atque hoc diſtichon:

Landria les letu, lectes allacia rena.
Landria los lorum, ormidas raude ruentes.

quibus ſingulis F littera, tamquam clavis bis ſena, præpoſita, hunc ſenſum exprimit:

Flandria fles fletu, flectes fallacia frena.
Flandria flos florum, formidas fraude fruentes.

Porrò hujus tabellæ Flandriæ, & forſitan ſynecdochicãs Belgicæ calamitatum, quibus jam pridem obruitur, prænunciæ apocalypſim,

quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

quidam, pro ſenſu diſſenſuque quiſque ſuo, ut ferè contingit in civilibus diſſidiis, meditati ſunt. hoc tamen non obſcurum videtur per hunc verſum,

Gyb fiet ex Gybid, cùm Deca Decas ibit,

præſagiri, Inſulam ſive Lilam ac Duacum à Gandavo, Bruga, Ypra diſtractum iri poſt decies decem ſive centum annos, numerandos à tempore ſcripti hujus prognoſtici, ſignificato per literas numerales illius verſiculi:

ForMa CeCas CLaVIs, hInC bona ſVrget aVIs:

ab anno puta milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo: Conſtat enim, centum poſt annos, nimirum ad annum ſexageſimum octavum ſupra ter quingenteſimum, ſonuiſſe funeſti apertique civilis Martis claſſicum, & decimo poſtea anno Inſulam ſive Lilam atque Duacum à ſocietate trium illarum ceterarumque Flandriæ urbium ad Arteſios Hannonasque diſceſſiſſe. Sed jam manum illâ de tabulâ. *Hucusque Marchant. p. 128, & ſeqq.* Si FRATRIS CORNELI ADRIANI, Dordraco oriundi, celeberrimi quondam anno 1578 ad populum Doctoris, *de quo Meter. lib. 8, p. 303, & ſeqq. vide,* domicilium & cathedram luſtrare placet, ingredere cœnobium Franciſcanorum.

Ædibus his ſacris ubi operatus es, togam ſume in forum iturus ad Prætorium curiale in *Burgo;* cujus nomen, Scabinorum domus. in qua Iuſtitiæ ſacra peraguntur Senorum Magiſtratuum nomine; ac primò quidem ipſius Vrbani; hinc Franconatus, & Curiæ rei clientelaris; Præpoſituræ item Divi Donatiani; ac Toparchiarum Siſſeclenſis, & Mandaſchenſis:

ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſic ut uno nonnumquam & eodem die variis in hoc foro ſuppliciorum generibus affici videas ſingularum illarum jurisdictionum facinoroſos. *Guicciard. de Brugis: Abrah. Goos, p. 71. in Fland.*

Forum rerum venalium pulchrum habet adſpectum, ita ut ſex primariæ urbis viæ ad totidem ejus præcipuas portas deducantur. Foro imminet turris graduum 343. Ad horologium ubi veneris, urbem & circumſita loca oculis habebis diſtinctè uſurpanda: Primo graduum aſcenſu ferrum monſtratur, murum & columnam juxtim tenens, cujus medium maligni Spiritûs vi ruptum & ablatum.

A foro aſcende Curiam & Palatium *la Franche*; miraberis in utroque icones & ſtatuas Imperatorum, Regum, Archiducum: digna ſingula viſu & notatu.

Forum Mercatorum ſub meridiem veſperamque convenientium ingredere: *Burſa* dicitur (Ludovico Vivi *Ianimedium*) ab ædibus eo loci ſplendidis familiæ Burſæ, extinctæ, tres burſas ſeu marſupia in inſignibus & ſupra ædium fores oſtentantis. *Marchant. pag.* 122. Mercatorum cauſa heic emporium, quod *ſtapulam* vocant, olim ſtabilitum eſt: Eſt autem ſtapula privilegium urbi collatum ſiſtendi & ſtabulandi merces exoticas, venumq́ue illic tantummodò proſtituendi, niſi inſtitor vectorq́ue malit recurrere unde venerat. *Marchant.p.*122. Emporium hoc ſeptemdecim regionum negotiantes tribus continuit: Singulæ ſuis ædibus & collegiis clarebant, Antverpia cum ancillaretur mercaturæ Brugenſi; Eò verò ubi migrarunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

runt hæc ſodalitia, Hiſpani in parte ſubſtiterunt, adhuc hodie divites lanarum Hiſpanicarum mercaturâ, quarum ceu magni inprimis momenti mercium heic eſt emporium. Accedit ab Anglis, Caleto amiſſo 1558, Anglicarum quoque lanarum emporium huc tranſlatum, cum non pœnitendo urbis & civium fructu. *Guicciard. heic.*

Præter Mercaturam octo & ſexaginta collegia mechanica heic numerabis, inter quæ præcipua ſunt ſodalitia lanionum, piſcariorum, proxenetarum & nauclerorum. Texuntur arte mechanicâ panni goſſypini, ſubſerici, ſerici, lanei, linei, tapetes rariſſimæ varietatis & elegantiæ. His collegiis excludi non debent, ubi libenter habitarunt ac pinxêre, Michaël Angelus & Bonarotus Florentini: Ioannes Vaneickius item ſummi nominis pictor, qui primus oleo ex lini ſeminibus extuſo, cepit picturæ colores Brugæ miſcere ac perpetuare. *Marchant. pag.* 132.

Si otium eſt, hortum Sagittariorum vide; qui tibi menſam prægrandem è balenæ oſſe confectam oſtendet. Foſſis aggeribusq́ue, molendinorum qui ſuperbiunt tumulis, quibus tormenta imponi & hoſtes arceri poſſunt, viſis, portas, quæ novem ſunt, reſpice: intra earum duas, nimirum *fabrorum* & *nequitiæ* (*de ſmee-poort ende de boeverye-poort*) ſitum eſt Caſtellum & receptaculum aquarum, ubi per 37 lebetes aheneos rotæ equo ceu piſtrinenſi gyrante verſatili inſertos, aqua 27 pedes è profundo ſurſum attrahitur in aquæductus, varieq́ue per fiſtulas plumbeas ſubterraneas in pu-

blicos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

blicos puteos uſumque ſalubriter diſtribuitur. *Marchant. pag.* 126. *& Guicciard. h.* In obſidione Oſtendana tantum aquæ ſingulis diebus bijugo inde extractum, quantum coctura cerviſiæ pro univerſo exercitu poſtulabat. In area illic ſubdiali Neptunum Delphino inequitantem, virginem, id quod præ pudore naturâ tegunt, herbâ operientem, alia aliaque videbis: mox aquæ ex inſidioſis fiſtulis aſperguntur nec opinantibus magnâ arte & joco. Vultus & veſtes heic ſacrantur Neptuno, veluti ad S. Germanum in confinio Pariſienſi. Marchantius dicit, non ſecus atque in Poggio regali ad Neapolim, in Belvedejo inſulari ad Ferrariam, in Mirmiroli Palatio circa Mantuam. *Marchant. pag.* 126.

Monetarum officinam ædes ſplendidæ atque immunes conſtituunt. ſimile argyrocopium, Gandavum facit illuſtre.

Cives hîc ut ſunt naturâ liberales, morum dexteritate fortunati, ingeniis candidiſſimi, *Marchant. p.* 130. Atticiſque perſimiles, teſte Eraſmo: ita fœminæ heic venuſtæ & dotibus meræ Helenæ ſunt. quam ob cauſam excanduit Johanna Navarrę Regina Philippi Pulchri Gall. Regis uxor; ingreſſa urbem anno 1301, & intuita fœminarum in forma præſtantiam & in amictu luxum, fœmineo quodam livore plena exclamavit: *Ego me ſolam Reginam eſſe arbitrata, ſexcentas heic conſpicio.* (*Marchant. pag.* 124. *& Guicciard. heic.*)

Concludam cum Hadriano Barlando Zelando & Aenea Sylvio urbis hujus elogium: Publicarum privatarumq; ædium in hoc opido ſplendor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſplendor & magnificentia, omnem orationem, omnem dicendi facultatem ſupergreditur: ut paucis omnia dicam, totus hic locus paſcendis oculis, recreandis animis dicatus eſt: pulchra ſunt opida Gandavum, Antverpia, Bruxella, Lovanium, Mechlinia; ſed nihil ad Brugas. Sic ille. Iſte verò, pòſt Pius II Pontifex, totius ferè Europæ peragrator, illam inter tres urbes numerat, quas unquam viderit pulcherrimas.

Verum utut hæc famam ei dant; ſicut & cunæ Philippi I, Maximiliani I. Imper. Rom. filii, heic anno 1478 nati: Ita rurſus non parum vituperii captivitas Maximiliani I, Imperatoris, anno 1488, cujus conſiliarii heic non pauci truncati. *Meter. lib.* 1, *p.* 7, *& ſeqq.*

Motus ſub Andino & Cimæo Ducibus diverſos ſuſtulerunt Brugenſes: tandem æquis ſatis conditionibus Philippo II reconciliantur, quas amicus lector *apud Thuan. lib.* 79, *& Meter. lib.*12, *p.* 266, leget.

Relictâ Brugâ urbe delitioſâ, cymbâ per foſſam novam, Spinolâ autore factam, iter Gandavum octo leucarum inſtituimus: commoditas, & pro mercibus ultrò citroque vehendis firma ſecuritas: caſtella ſiquidem & receptus (quorum nomina adjicere ſuperſedeo) ripam munientes numerabis viginti & amplius; nec minori cohortes ſunt numero cum turmis equitum ſex ibi in præſidio. Securum hoc nobis ut iter eſſet, ſex militibus opus erat pro ſalvo conductu. (vulgò dicuntur *körling*; item *vvaghälſer.*) hi effundunt ſe clàm in vias publicas, & ab hoſte auferunt quod poſſunt: ſi aliquem offendunt ſine litteris commeatûs,

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

eum abducunt vivum vel mortuum: ſi vivum non poſſunt, occidunt, & aurem abſcindunt, Præfecto Brugas quam offerunt, à quo pro ſingulis individuis 50 fl. reportant. milites ſunt pedeſtres, armati gladio curto & ſclopo; ſed ſine igniario fomite; hic enim ſi noctu aleretur, facile viſu & odore à viatoribus obſervaretur.

GANDAVUM.

CIvitatem hanc (cum qua, Eraſmi verbo in litteris ad Vtenhovium, in tota Chriſtiana ditione nulla poteſt conferri, ſive ſpectes amplitudinem urbis, ſive politiam, ſive gentis indolem) ſub veſperam navigio ante portam relicto ingreſſi ſumus, divertentes benè habituri; quod & factum, *ad inſigne ſtellæ.*

Vrbs Latinis *Ganda* & *Gandavum* dicitur, Iulii Cæſaris tempore *Gaida;* (qui & ejus conditor Petrarchæ verbo eſt.) pòſt à Vandalis occupata, *VVanda* dici cœpta eſt. mutatâ leviter voce, Galli ac Flandri eam *Gand* & *Gent* appellarunt. *Guicciard. heic & Marchant. pag.* 111.

Sita eſt loco oportuno. quatuor milliarium navigatione, anno 1551, quadriennii labore ſumptuque perfoſsâ, à Saſſo mariq́ue diſtat: Scaldim, Lizam, Mourvvateram, Liviamq́ue navigabiles fluvios in ſinum ſuum recipit; quæ oportunitas granorum ſive frumenti ſtapulam ipſi conciliat. (*Marchant. pag.* 113.) Circuitus mœnium ingens eſt. invenitur ſcriptum, initâ anno 1427 inter Bergæ Opzomiæ, Dieſtæ & VVeſemalæ Barones Brabantos ſponſione, ſumptu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſumptu mille & trecentorum florenorum; compertum eſſe Gandavum Lovanio in circuitu tribus virgis minus; Leodio quinque; Coloniæ Agrippinæ quindecim, Lutetiæ Pariſiorum ſeptem virgis antevertiſſe magnitudine. *Marchant. p.* 113. Confertur hodiè cum Mediolano. Ambitus, ſi introrſum dimetiaris, continet Italica milliaria paulo plus ſeptem; extrorſùs verò ſi metiaris, deprehendes decem & amplius. non verò, ſi populum numerare voles, cum Mediolano eſt æquanda; ſunt ſiquidem immenſa in Vrbe ſpatia ædificiis & cultoribus vacua. Numerantur auguſtiores cum minoribus templorum, cœnobiorum, xenodochiorum, aliorumque ſacris uſibus deſtinatorum locorum moles quinquaginta quinque. Primarium verò locum obtinet D. Bavonis quod vocant templum. in quo Carolus V anno 1500 ſacri baptiſmatis aquâ lotus: Philippo II præſente, Anno 1559 Ordo aurei velleris debitâ pompâ repetitus; Equitum numerus choro continetur. Antequam in Epiſcopatum ſurgebat, præpoſiturâ luculentâ potenteque conſtabat. Heic Viglius Zuichemus, ICtus celeberrimus, in viduitate ſenectaque ſacris initiatus eſt, & ad illam adminiſtrandam electus. heic ſplendidum ſepulchri monumentum, in quod illatus eſt, contemplari habes. Augmentum templorum Ieſuitarum Collegium fecit; quod, ubi commodum, uſurpabis. In D. Michaëlis æde picturas cum ſtupore videbis, miraberis & judicabis. Arx famam dedit urbi, dum Patricium ei Carolum quintum Imperatorem produxit; dicitur *la cour de Prince:* ædificium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ficium trecentis cameris ſuperbum eſt: è quibus illam, quæ quatuor ulnarum vix latitudinem & longitudinem habet, Inviċtiſſimi Cæſaris primum domicilium tibi monſtrari cura. Subtus juxta ædes Palatinas leones oſtenduntur; ſeniori nomen *Auſtriæ*, junioribus binis *Burgundiæ* & *Flandriæ* erat. Enutriri ſolent hîc plures exoticæ & feroces belluæ, ut obtinet mos apud Florentinos. Fortalitium quinque propugnaculis & foſſis profundis munitum; cui cum præſidio ſex cohortum Hiſpan. præfectus erat Gaſpar de VValdeſo Hiſpanus. urbis dicitur frenum; nec injuriâ; Flandri ſiquidem ſunt turbulenti. Serres ait in vita Caroli VI: *La Flandre nourrit tousjours quelque monſtre.* Communi verbo aliàs quatuor hæ urbes in Europa audiunt rebelles; Pariſii, Gandavum, Leodicum & Pictavium. Audi Serrem in vita Caroli V & Ludovici XI: *Ceux de la ville de Gand, peuple naturellement motif.* Item: *Grand ville & autant groſſe de humeur, chagrine & querelleuſe.* Item: *Peuple remuant, & ſecond en inconſtance aux Ligeois.* Exempla rebellionis in vita Caroli VI ponit: Ejecerunt Comitem Dominum ſuum hereditarium, ob litem coctoris cereviſiæ; Carolus Audax eos ſubegit, ſed Carolus V Imperat. ſubactionem ſigillo munivit, ſecuritatem caſtello perpetuavit, veluti Neapolitanis factum cum caſtello S. Elmi, *la Briglia* quod vulgari vocant.

E turri *Bellaforti* urbs & caſtellum cum ſituatione circumcirca emenſurari poſſunt. Altitudo 500 eſt graduum. continet in ſe campanam horarum nunciam, cui Rolando nomen,

unde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

undecies mille pondo gravem, olim armatis collegiis ſæpiùs quæ claſſicum ſonuit. In culmine *draconem* cupreum inauratum, alis expanſis, magnitudine tauri, portat, tempore Balduini Flandriæ Comitis Conſtantinopoli huc miſſum.

Fora rerum venalium hîc videbis tredecim. inter quæ potiſſimum eminet id quod vulgò diebus Veneris, hebdomadario urbis mercatui dedicatis, frequentatur, *der Freydags-markt.* In hoc foro Hiſpaniarum Infans Iſabella ſtatuam poſuit Carolo V Imperatori avo ſuo paterno, glorioſæ memoriæ Principi, cum inſcriptione:

D. Carolo V. Imp. Caeſ. Aug. Pio, felici, Turc. German. Gall. Ital. Hiſp. Sicil. & Ind. Regi, Flandr. Comiti, PP. Sac. Imp. Vindici, quietis auſpici, D. N. Principi potentiſſ. victori ac triumphatori perpetuo Magno; Max. univerſi Chriſtiani orbis bono, Deo volente, cælo favente, huic urbi ſuæ Flandr. max. feliciter innato.

Altero latere: *Alberto Auſtriaco, Maximiliani II. Imp. F. & Iſabella Clara Eugenia Philippi II Hiſp. Regis filia, Auſtriæ Archiducibus, Belgiæ PP. hanc urbem lætiſſ. civium applauſu ingredientibus, anno Salut. Chriſti* cIɔ Iɔ xcix, &c. *Coſſ. S. P. Q. G.*

Foro relicto te in Curiam confer, renovatam anno 1618. In ſummitate videbis *A* & *I* coronatas, (*Albert.* & *Iſabell.*) ſubtus, *Sol* & *Luna;* item, *Semel* & *Semper*, ſcripta ſunt vocabula. Inferius ingredienti mox obvenit Iuſtitiæ theatrum: parietibus Fortitudinis imago & Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

& Conſtantiæ adpicta: *Pro Virgine virgo: Pro aris & focis.*

Virginis æterna muros & templa tuemur.
Innuba Virgo armis, innuba Virgo ſacris.

Ibidem ſtatuæ in ſago & toga cum hoc verſu:

Quam tu olim hanc urbem cernis, non altera Divûm
Auſpiciis cœlo tantum caput efferet alto.

Ingredienti monſtrabuntur ibidem ſpolia Alberti honoribus ſuſpenſa:

1. *Ardeſio obſeſſo & clementi Marte ſubacto.*
2. *Viſo, icto, victo celeri virtute Caleto.*
3. *Hoſtibus erepto Solido, atque è fluctibus Hulſta.*

Omnia verò hæc rurſus amiſſa ſunt præter Hulſtum. Superius ingredere Capellam, ſi licet, & Conclavia, à ſtatuis & inſcriptionibus digniſſima viſu: Ibi Neptunus & Ceres, Albertus & Iſabella, ad dextram, & alii: Maximilianus & Rodolphus ad ſiniſtram. Ibidem tabula elegantiſſimæ picturæ matrimonii Auſtriaci, refert Principum, filiorum Manaſſe de ſtirpe Ioſephi, propoſitionem ab una parte: ab altera nubunt filiæ Sulpha familiæ ad tribus patrum ſuorum. Effigies ibidem Iudæorum connubentium ex una, ex altera domûs Auſtriacæ, ut Caroli V & Philippi II. In medio Albertus cum Iſabella. ſub quibus ſequentia: *Deo jubente, Rege ſequente, Principe obſequente*. & ad latus transverſim:

Volvenda dies
en attulit ultrò.

Ita

Ita viſâ curiâ deſcende ad pontes. qui hic nonaginta octo majores, præter compluſculos minutos, numerantur. hi juſtæ magnitudinis actuarias naves, annonâ & mercibus oneratas nullâ difficultate transmittunt. In ponte, qui dicitur *Doëgbruck*, ſtatua ex ære eſt filii, patrem oculos præligatum decollantis, & inde vitâ donati. Molæ, aquarũ vi quę rotantur, potiſſimum ſex ſunt: quæ vento circumaguntur, ſuprà centum viginti, ne quid dixerim de machinariis, quas vel homines vel jumenta verſant. *Guicciard. heic.* Inſulæ intra urbis pomœrium ſunt viginti ſex, à fluminibus & canalibus factæ, ac publicis privatisque domibus occupatæ.

Portæ octo obſerant urbem. Domus plusquam triginta quinque millia civibus & inquilinis largiuntur manſiones. *Marchant. p.* 113. Areæ ſagittariorum binæ exercent cives; uti his quæ proximè adjacet palæſtra, athletas ſingulis diebus Dominicalibus.

Ab ædificiis eamus ad Politiam, Mercaturam & Opificia. Sedem habet Gandavi Provinciale totius terræ Conſilium, conſtans ex unico Præſide, duodecim Senatoribus, Procuratore generali, Advocato fiſcali, & aliis adminiſtris. Deferuntur ad hunc Senatum omnes totius Flandriæ provocationes; ſed provocare rurſus ab eo fas ad ſupremum Conſilium Mechlinienſe; ubi ceſſat omnis deinde lis, & acquieſcimus in cauſa. *Guicciard. heic.* Vrbis verò & Reipublicæ gerundæ forma multoties per Principes immutata eſt. hodiè ejus regimen & ordinaria juris adminiſtratio penes ho-

neſtiſſimos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

neſtiſſimos quoſque & nobiliſſimos cives eſt, tum & magnum Prætórem urbanum, qui vulgò audit *den hoogh-bailju.*

Mercatura crevit oportunitate ſitûs, fluminumque; pannorum item laneorum lineorumque textrinis, aliisque artificiis. Flumina grana important; quorum heic ſtapula, pro omni frumento, quod Scaldi invehitur, quadrans; aliis verò fluminibus, ſextans à publicis Curatoribus in urbis uſum pretio retineri poteſt, cetero liberè dimiſſo. *Marchant. p.*113. Textrinis multum etiamnum augmenti habet. texuntur enim panni heic è lana & lino, tum ſubſerica quoq; aulæa, grograni, mocajarri, fuſtanei, telæ cannabinæ levigatæ, & id genus alia. *Guicciard. heic.* Opifices Gandavum alit numeroſos, quinquaginta collegiis incluſos; extra quæ eſt collegium textorum, quod ſeorſim in viginti & ſeptem ordines ramos ducit, & ob amplitudinem ſuam & dignitatem reipublicæ tertium membrum conſtituit.

Ne vero inſcius ſis; Mercurio non tantum heic litatur, ſed & Muſis, quæ domicilium in Abbatia D. Petri in monte Blandinio ſibi conſtituerunt; ubi pulcherrimæ Bibliothecæ theſaurus; quo nomine ſodales Dominicani ſe quoque jactant, nec non Carthuſiani & Carmelitæ. Guicciardinus non erubeſcit dicere, florere Gandavum hoc tam honeſto theſauro ſupra omnes quotquot ſunt urbes Belgicæ. Inde fortè illis encomium, quòd ſint homines valdè civiles, legum & juris ſervantes, ſeveri, graves, & bellicoſi. Barlandus Zelandus heic non deeſſe videtur, aſſeverans, viros eſſe fa-

cundis

cundis ingeniis, antiquis moribus, magis frugalibus quàm parcis: benè hæc omnia, ubi nihil rebellionis intermiſcetur: hanc Gandavenſibus innatam Meteranus paſſim, Thuanus, & Serres, in hiſtoriis docent: Cauſam adhuc hodiè bellorum & omnium malorum hanc verè dixeris. Gandavenſes ob rebellionem à Friderico Maximiliani I patre obſeſſi, (*Met. lib.* 1) ipſimet membra aliquot è Republ. capite privant & honoribus. *ibidem.* Pax ei ſancitur, (quam Pacificationem Gandenſem vocant, *Thuan.lib.*68,) anno 1576. *Met.pag.*246,*lib.*6. mox rurſus rumpitur, anno 1579. *Met. lib.* 9, *p.* 333, *&* 358. Hiſtoriam Gandenſem hîc ſcribere mihi non mens eſt; legantur Thuanus & Meteranus, ibi acta & motus ſeditioſi Gandavenſium frequentes; mox cum Auriaco, mox cum Parmenſi, cum Andino, cum Condeo Ducibus rem fecerunt; mox inverſo ordine actis ſe oppoſuerunt: ita ut, Serris mentem ſupra à me notatam heic locum habere, non erubeſcam dicere. Sed è Flandria migrandum in Brabantiam.

Non malè feres, amice lector, ſi, quàm in Brabantiam te mecum abducam, priùs tibi FLANDRIAM CVM INCOLIS levi penicillo deformem, & ita hoc auctario educam. Ne verò aberres in illuſtri hoc comitatu, en metas cogitationum pono, Flandriæ nimirum SITVM, QVANTITATEM, QVALITATEM, DIVISIONEM.

SITVS præbet faciem peninſulæ, ſpectantibus ad Boream mare: ab occidente Agnionam novamque foſſam: ab oriente Scaldim Teneramque: à meridie Lizam, Scarpumq; flumina.

Sed ad Euronotum ex Aleſtano tractu & Gerardi monte, Hannonibus adjungitur continenti. Ita & *Terram* & *Aquam* reſpicit. Vtrique ſua bona innata, videnda, noſcenda, uſurpanda. *Terra* ipſa ferè plana eſt, aut collibus non difficilis, inutilisque: Si qui montes ſunt, aut impoſitis urbibus habitantur, ut Caſſetanus & Gheersbergius, ad quem tractum ſæpius Flandria intumeſcit; aut opportuni ſunt ſuperſtructis molis ſive granariis ſive oleariis, aſſiduo vento agitatis, velut Mons acutus, Cattorum, aliique. Arborum cujuſque ferè generis ferax, ſi loca maritima excipias, quæ focum inſtruunt; vel bituminoſis ceſpitibus ſubterraneis ibi foſſilibus, ſciſſisque in teſſeras pedales, & Sole excoctis, ventoque arefactis, at nitroſa fuligine oculos vultumque mordicantibus, quas *daryncas* vocant; vel lignis ex vicinia advectis ignem accendunt. Quâ *Aquam*: Fluminibus lacubusque navigabilibus irrigua eſt; ac ſæpe nemoralis ex laciniis Arduennæ: quam à Rheni ripis uſque ad Eburones, Menapios, Nervios, Morinos, Atrebatesque fuiſſe protenſam, Cæſar aſſerit atque Strabo. Diverſiſſimi generis piſcium copia ex oceano alluente, lacubus fluviisque interlabentibus, tam indigenis, quàm Arteſiis Hannonibusque ſuppeditatur.

Altera meta eſt QVANTITAS: *Longitudo*, cujus alterum latus piſculento mari totum prætexitur, per lunares motus affluente viciſſim & relabente, à Scaldi Antverpiaque ad Grevelingam, Agnioni incumbentem, triginta tribus miliaribus terminatur; *Latitudo*, ubi maxima eſt, à Duaco Scarpoque ad Breskinam, pagum

gum

gum Vliſſingæ oppoſitum, miliaribus viginti quatuor: hæc autem ſingula, unius horæ ſpatio metitur.

QVALITAS tertia eſt meta: & hæc in *aëris ſalubritate* & *terræ fertilitate*; Siquidem neque hiemis rigore nimio exaſperatur, neque æſtatis fervore exuritur: aëre ſalubri, auris marinis terreſtres noxioſque ſpiritus eventilantibus. Terra proma eſt omnis boni: ferens *boves* opimos: parens atque nutrix, ubi ad occidentem Boreamque vergit, partim *equorum*, robore ad ferendam panopliam, agilitate & forma præſtantium, adeò ut pulli aliunde huc adducti, ex tenui origine grandeſcant, ex deformi eniteſcant: partim *ovium*, unâ fæturâ quinque aut ſex ſæpe enitentium, tres aut quatuor ferè ſemper; in Fuernenſi nimirum caſtellania, ubi ea fæcunditas vulgaris; in cetero penè Belgicæ tractu incomperta eſt. *Cervorum* inſuper, *aprorum*, *leporum*, *cuniculorum*, *apum*, variarumque alituum eſt copioſa. *Butyri* ſapidiſſimi, *caſei*que multiplicis tam vaccini quàm ovilli abundans, feniſeciique in locis declivioribus: luxurians in herbarum odoriferarum medicarumque ſpecies infinitas: tam eximiæ ad opimandos boves, paſcuorum pinguedinis & velut arvinæ, præſertim inter Feurnam, Dixmudam atque Loam, ubi ferè in umbilico Lamprenеſa eſt, neque non in terra Franca ad Occidentem Boreamque obverſa, ut nulli terrarum herbam porrigere, palmamque cedere debeat, omnibus ferè anteponatur. *Granorum leguminumq́;* omnis ferè generis fertilis: *frumentum* tamen domeſticum ſæpe tantæ multitudini non eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nutriendæ abſque ſubſidiario exterorum: *pomorum* etiam exoticorum, ut cotoneorum, perſicorum, bericocciorum locuples: cytriorum, aurantiorum, limoniorum, ficuumq́ue interdum calidioribus in locis nec inops, nec omninò inſuavis.

Quartam metam tibi dat PARTITIO FLANDRIAE in occiduam & orientalem; non tam ob exactam cœli poſituram quàm ob uſum, ut nimirum diſtinctiùs expeditiusq́; ſuis quæſturis duo patrimonii dominici coactores perfungantur. Nam quæſtor occidentalis ab Agniona ad Iſaram & in Ypram, Curtracum, Audenardam, adjunctosq́ue agros ſe porrigit, neque omninò abſtinet à Lilana Caſtellania in quibuſdam muniis elocandis. Orientalis verò ceterum ferè tractum regionis complectitur, & inter Dunkerckam Nieuportumq́ue (quæ plaga occidentem boreamq́ue evidenter ſpectat) dünos cuniculiferos, annexaq́ue paſcua & ericeta annuo pretio oblocandi habet poteſtatem. Olim univerſa Flandria partim *Franciæ* Regibus, partim *Cæſaribus* fidelitatis jusjurandum dabat; partim ſuperiorem *præter Flandriæ Principem* non agnoſcebat. Hæc *Proprietaria* dicebatur; Principi Flandriæ tam propria & peculiaris, ut neque Galliæ Regi, neque Cæſari, neque, præterquam ipſi, mortalium ulli ſubjectionem fideiq́ue ſacramentum debeat. Iſta, *Imperialis* nimirum, dominatûs titulum habebat, tùm quòd diſtinctis Dominis parebat, tûm quòd ſupremæ cognitionis auctoritate, mero in omnibus imperio, liberiusq́ue quam in parte Gallis obnoxiâ, Flandriæ Comites ibi pollebant.

Illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Illa *Comitatus* titulo gaudebat: & in *Teutonicam*, quam abſolutè *Flandriam*; & *Gallicam*, quam Gallo-Flandriam adpellamus, dividebatur. Verùm integram Carolus Quintus Imperator, cum Franciſco I Gall. Rege Madrilii anno vigeſimo ſexto in Octobri ſupra ter quingenteſimum & tertio poſt anno in Auguſto Cameraci iterum pactus, perpetuò emancipavit ab omni fidei juramento, patrocinii jure, ſupremo imperio, ultimæ cognitionis poteſtate, & qualicunque obſequio, quibus Franciæ prìus obſtringebatur: non ſecus ac Arteſiam, Tornacum ejusq́ue agrum: exempta etiam Gallo-Flandria ab omni retractûs jure, quod ex conventione Ludovici Malenſis (quoties herede maſculâ Flandria careret) in illam ſibi Galli arrogabant. Quæ pacificatio in libris actorum, tabulisq́ue Curiæ Pariſienſis, aliarumq́ue in Galliis, & apud ſupremos Cæſareæ Aulæ judices, perſcripta fuit, ad perpetuam memoriam atque robur. *March. lib.1.p.29, & ſeq.*

Heîc ſummatim urbium & pagorum numerum adjiciemus; quippe nulla Belgii provincia numero, ſitu & opulentiâ Flandriam antevertit. Si acto per Lud. Guicciardinum cenſui ſubſcribimus, *Brabantia* opida, ſeu mœnita ſint, ſive mœnibus egeant, 44, pagos 700: *Geldria* cum *Zutphania* opida 30, pagos paulò amplius 300: *Luxemburgum* opida 23, pagos 1159 comprehendunt. *Hollandia* opida 37, pagos paulò ſupra 400: *Zeelandia* opida 12, pagos 102: *Vtriceſium* opida 5, pagos 70: *Transiſelana* cum *Drento Tvventóque* opida 18, pagos aliquanto plures centenis: *Friſia* cum

Groeninga opida 13, pagos 490 continent. *Arteſia* opida 11, pagos 854: *Hannonia* opida 24, pagos 950: *Namurcum* opida 4, pagos 182 complectuntur. At FLANDRIA, opida partim muris ſaxeis cincta, partim illis deſtituta 62, pagos 1154 comprehendit: qui pagorum numerus veriſimilior erit, ſi dynaſtias plusquàm ducentas quinquaginta, pagis incluſas, templi communione, juriſdictione ſeparatas, pagorum nomine veſtias. His includuntur Baroniæ ſupra 27: Cœnobia plusquam 130, in iisque Abbatiæ 57, quarum aliquot poſſident Satrapias principe viro dignas: Collegia Canonicorum unum & viginti: Epiſcopatus noſtrâ tempeſtate ex quinque in ſeptem aucti, quorum tres hîc cathedram, domiciliumque figunt. *Marchant. p.* 11. Quantum verò reliquas præiverit canonis dominici aliisque emolumentis annuis, palam eſt ex regeſto Ypræ aſſervato. ubi videre eſt, quomodo Maximilianus Auſtrius, ſtatim poſt aditum per uxorem Belgii principatum, ut indicaret Belgii Ordinibus dotalium redituum decrementa, demonſtrat, ad Carolum ſocerum anno 1475 liquidè perveniſſe; Ex Burgundiæ Ducatu Comitatuque junctis 27 milia, 400 lib. Turonenſes; ex Brabantia 12 mil. 754; Luxenburgo 1180; Geldria 13 mil. 885; Hollandia 14 mil. 300; Zeelandia 2685; Arteſia 17 mil. 683; Hannonia 12 mil. 193; Namurco 5936; Ex FLANDRIA autem 42 mil. 390 rediiſſe. *Marchant. lib.* 1, *p.* 15.

Viſâ ita Flandriæ Regione, INCOLAS ejus in *lingua* & *conſtitutione* paucis adjiciemus. *Lingua* eſt *Teutonica*, ceteris Belgis Germaniſſantibus

tibus communis, quam Goropius Cymbricam vetuſtiſſimamque dicit, & artificio humanique ingenii præſtantiâ omnibus præferendam, atque ad ſenſum animi indicandum Transrhenanâ faciliorem, promtiorem, ſuaviorem: neque non quàm reliquas linguas aptiorem ad quamvis cujusvis idiomatis proſodiam accuratè imitandam. Facit autem aſperitas roburque ſpiritoſum Transrhenanæ, inprimis Suevicæ, ut mutua inter hanc & Flandricam intelligentia ſæpenumerò impediatur. Saxonum tamen, eorumque quæ Ooſterlingi vocantur, & Dacicorum Transſilvanorum magnæ partis, Helvetiorumque ſermo à Flandris non difficilimè percipitur: quamvis *Alb. Crantzius in hiſtoria* ſua anno 1520 edita, conqueritur, Saxones, (quo nomine etiam Brunſvicenſes, Luneburgios, Magdenburgenſes ac Brandeburgios complectitur) puro facilique ſono verba enunciare ſolitos, non inverſa ſtridoribus, non contorta diphthongis, ſuo tum ævo ſtuduiſſe, ut ſuperiorum Germanorum frendores imitarentur. Quemadmodum è diverſo Flandri urbani, Gallicæ linguæ ſuavem alacritatem, aut adjungunt ſuæ genuinæ, aut (quod indignum) præferunt, ſive propter commercia, viciniamque regionum, ſive exemplum aulæ Principalis, ſolâ Gallicâ jam pridem utentis. *Marchant. p. 24.*

CONSTITVTIONEM Incolarum videbimus in *corporibus*, *animis*, & *moribus*. Corpore & ſtaturâ viri ſunt decenti, vultu flammeo; manu promptâ & bellicoſâ, niſi opibus luxuque (ut olim, ex Crœſi conſilio, Sardes) enervarentur. Inde fit ut domeſticis ſuppellectilis ſint

copioſi, veſtibusque utuntur ſumptuoſis & variabilibus: ædificandi eleganter & commodè curioſi; interſtitio parietum metiente longitudinem cantheriorum in culmine ſic conjugatorum, ut angulos faciant acutos ad juvandum pluviarum præcipitium, ventorumque impetum extenuandum. ceteroquin culinæ in longum tempus bovinâ porcinaque ſalitis providendæ ſtudioſi. Gens Vlamingorum (dicit *Marchant. p.* 17) totam aut ſervitutem aut libertatem pati neſcia. *Barclaius, c.*5, *in Icone:* Ingenium populi neque capax neque patiens fraudum. Indoles ad omnes ſcientias & diſciplinas appoſita, niſi luxu velut in herba, aut lucroſis artibus quaſi ſpinis protereretur: plerumque aperti, promptumque vultu cor gerentes; ſanguinis enim ſpirituumque motu genuino fit ut citò & virtutis purpurâ erubeſcant, & aliis perturbationibus commoveantur: at humidiore corporum calore efficitur, ut ad accipiendam & deponendam offenſionem ſint molliores. *March. pag.* 18. Gens nativo & exotico ſermone diſerta, artium rapax & capax: neque, ut quædam fruges, degenerans, imò permatureſcens in alieno ſolo; ac, ceu inter metalla Mercurialis, cunctis ſeſe nationibus facillimè accommodans. *March. p.* 17. Accedunt his naturæ bonis aliundè acquiſita; nam picturâ, ſculpturâ, agriculturâ, ceteriſque artibus manuariis effloreſcit: Innotuit inſuper tum ſuis tum ferè totius Europæ foris, equorum præſtantium, boum opimorum, butyri ſapidiſſimi, alecum aliorumq; piſcium aptè ſalitorum mercimoniis: telarumque partim linearum, varie-

tate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tate, candore, ſubtilitate & quaſi floſculis; partim xylinarum, quas Arabes bombaxinas vocant, diverſimodis textrinis expetitis, ſericisque textis non omninò contemnendis; partim pannorum laneorum, tum denſorum, tum levidenſium, textura tincturaque proba & ubique terrarum jam olim laudata; ceterisque mechanicis artibus ingenioſis ac laborioſis: aulæorum denique tapetiumque artificiis & velut picturis admirandis. Ex lini & rapi ſeminibus, nucibusque juglandibus oleum extundunt: Sal crudum, pullum aſperumque, ex Gallia Hiſpaniaque advectum, in magnum candorem, ſaporem, augmentumque amplis ſartaginibus excoquere non ignorant. Aleces ſub Angliæ Scotiæque ora, ab Auguſto in autumnum capiunt, illuc infinito exercitu circa litora adpellentes, ad evitandum maris ſeptentrionalis, ubi naſcuntur, gelidiſſimum frigus; dein captos, ſtatimque deſerto Neptuno expirantes, exenterant, condiunt, ſtipantque cadis ſalſamentariis, ſigillo opidorum unde advehuntur, inuſtis, prius ex lege exploratos; vel leviter ſalitos, fumo durant, inficiuntque colore ſoro, qui Gothis (*teſte Hadr. Iunio*) ſubrufum ſonat ad atrum accedentem: unde equis ſoris in Italia, & alecibus ſoretis in Gallia (*hareng ſor ou ſoré*) nomen eſt, & apud veteres, *teſte Athenæo*, ab æris colore chalcidibus. *March. p.* 18. *Vinum*, licet uvas maturas habeant, aliunde accipiunt magnâ copiâ & diverſitate: quamvis dolendum eſt, vina vulgò venalia tam ſæpe impunéque adulterari calce, ſulphuréque & aliis nocumentis, unde in viris arthritici dolores,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

viſcerum corroſiones, renum cruces; in fœminis abortus ſterilitasque oriuntur. Viniqúe ad imitationem largiſſimè conficiunt ſiti ac hilaritati ex melle aquato coctoque *medonem:* aut ex pomis pyriſque contuſis & expreſſis; ex quibus ſaccaro mixtis, Davidi Petro Iano, Aethiopiæ Regi, potum in calice cryſtallino porrigi ſolitum, P. Iovius ſcribit. *Siſaram* juxta ac *lyriam* ſive *cerevisiam;* quam non eſſe tam aſpernabilem, ut Byrrhiæ Terentiano relinquenda ſit ſecundum And. Lacunam medicum Hiſpanum; ſed ſalubritate, robore & forma bibentes imbuere, Manardus Italus inſigniſque Medicus aſſerit. Hæc, velut *Cereris vinum;* quam olim Hiſpani cœliam, ceriamque, Thraces Illyricique ſabaiam, Aegyptii zythum vocitabant; communis gentis potus ex hordeo avenaque madidis, dein torrefactis, triticeo farre, lupoque ſalictario commixtis, in aqua concoquitur: differens in eo à zytho, teſte *Hadr. Iunio*, quòd hic ex hordeo triticóve molito, in aqua macerabatur absque coctione, donec ex putrelagine acorem viniqúe ſaporem indueret: mirâ, *ut ait Plinius*, viciorum ſolertia; nam inventum eſt, quemadmodum aqua quoque inebriaret. *Marchant. p.* 20.

Viris nec cedunt *fœminæ;* quippe pari ferè colloquiorum conviviorumque virilium familiaritate atque pudicitia, formæ, ſermonis, amictuſque ſuavitate, œconomiæ procuratione, ſolertique labore commendantur: Nam aut penſa trahunt, aut rotulâ verſatili in cannas fila agglomerant, aut pepla ſpectabili arte conſuunt exornantque, aut lineas veſtes ad ſolem,

unda-

undarum aſpergine, candore inficiunt; aut ruri, lacti emulgendo, butyroque (quod *Plinius* barbararum gentium laudatiſſimum cibum nuncupat) extundendo, verſandoque & formando, aut caſeo coagulando comprimendoque operantur. Literarum formandarum, rationumque ſubducendarum, præſertim in opidis, non imperitæ.

Pecunias in uſuras extendere Flandris infame, *dicit Marchant. p.* 21. ſed ne otioſæ maneant, fundo hypothecæ oppoſito, neque luendo niſi debitoris arbitrio, ſervatur uſura ſemiſſis; exceptâ Mercurii prole, in amplis emporiis mercaturam faciente, cui plus licet aut lubet.

Auctiones heic addam quæ ſunt publicæ rerum privatarum venditiones. & aliæ, auctore præſenteque judice, fiunt, aliæ non item: ſed hæ ordinariam ſolùm actionem, illæ paratam executionem, manusque injectionem adferunt in non ſolventem tempeſtivè debitorem. Exercentur autem utraque diverſis locis, diverſo modo. In quibuſdam enim bona venalia addicuntur propoſitum à præcone pretium augenti, & plus ceteris offerenti: unde *auctionis* nomen: In aliis præco inſtitutum à ſe pretium tamdiu gradatim diminuit, donec ex circumſtantibus emacibus quiſpiam indubitatè acclamet, MEVM EST, quod vernaculè *mynen* vocant. Quo genere auctionis piſcatoria fora mari proxima, in diſtrahendis primo appulſu piſcium capturis, potiſſimùm utuntur. *Marchant. pag.* 22.

In omnibus apparet elegans methodus & ordo: tam frugali diſciplina artificiorum vis

ingens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ingens opulentiam illuſtrat civitatum, paucique in mendicitatis veterno acquieſcunt: Nam plurimi Magiſtratus improbam mendicitatem excludunt: ſenio morboque vicióve corporis laborantem admittunt: civium tenuiorum liberos ex publico alunt, veſtiunt, literas aut opificia docent; alienigenas xenodochiis recipiunt; validos unam noctem, ægros quoad revalecant. *Marchant. p. 20.* Otium (*dicit Barclaius*) ſplusquam Atticâ ſeveritate multaverunt; omnem ætatem idoneus ſudor exercet, & à puero familiaris labor ignotam ſegniciem vel ipſa conſuetudine neſcit amare.

Virtutes gentis diximus, quæ moribus eſt, vel exterorum ſcriptorum teſtimonio, ex *Germanica gravitate*, & *Gallicâ alacritate* temperatis. (*Marchant. pag. 17.*) Galli dicunt: *Pour faire un bon temperament, faut mesler le vif argent de France avec le plomb d'Alemagne.* Cui noſtrum hoc reſpondet:

Plumbo Germano Gallûm miſcere neceſſe eſt
Argentum vivum: hinc ſit bona temperies.

Ex oppoſito gens hæc nec ſuis caret *vitiis.* quæ cum *legibus*, quibus puniantur, aliorum verbo heic adſcribemus. *Marchant. pag.* 18 ait: Sympoſiis mutuisque invitationibus gaudent & incaleſcunt, ſæpe ad ebrietatem, rixas, cædesque; ſæpius ad benevolentiam ineundam aut recuperandam; ceu chariſtiis & philotheſiis efficacibus, uſque adeò ut illis graviſſimæ ſimultates cædesq; datis mutuis dextris obruantur, & abſque illis nulla reconciliatio firma ſit & velut ſigillata. Hoc gemendum eſt, tot permitti popinas, ebrietatis, libidinis, aleæ officinas,

nas, & patrimoniorum, conjugiorumque carcinomata; atque etiam multis non modò in uſu convivali eſſe capacium poculorum ingentes mutuosque hauſtus, ſed in gloria poni, ceu probato animi ac cerebri ſpeculo, corporisque firmitate: (quo argumento Cyrus Perſa apud Lacedæmonios ſeſe regno quàm fratrem eſſe digniorem volebat perſuadere:) defendique exemplis, vel gentium *Arctoarum*, à quibus ille mos huc ſerpſiſſe videtur; vel *Græcorum*, unde pergræcandi proverbium; vel *Romanorum*, apud quos Torquati, Piſones, Antonii, Cicerones, Claudii eâ laude ſeſe venditabant. Barclaius *cap.* v *in Icone* dicit de Batavis & Flandris: Diſtinctis in duo imperia populis, idem tamen genius, iidem mores manent. Candida quidem, ſed veluti cœli vitio depreſſa ingenia, quæ etiam graviùs bibendi intemperie ſtipant, ſive hanc ſitim fortuna terrarum, & ex majoris Germaniæ vicinia velut ſpiritus, ſive mos educandæ infantiæ accendit. Quippe adhuc ab ubere pendentibus, quo paulatim lactis deſiderium minuat, laguncul as ad ſimilitudinem uberis effictas, & hordeaceo potu plenas tradunt in manu: tum rudis & incurioſa ætas ſubindè ad os referens tardè meantem potum, ſugendi ſimilitudine capitur, tum etiam innocentis otii faſtidium levat. Nec utilitate res caret, ſi ex primis incrementis rem æſtimes: quippe valida membra ſuccoq; lætiſſimo ad venuſtatem florentia ita inſtitutam infantiam decorant: ſed aſſidua bibendi ratio ipſo uſu in perpetuam voluptatem tranſiens, ſubindè palati aviditatem ſolicitat, ſemper utique

post

poſt hunc morem aut natantem aut arentem. Accedit illius potus conditio, non ad diluti vini conſuetudinem, ſitim ſatians, ſed craſſo liquore identidem faucibus relinquens quod ſuccedenti potu diluendum ſit. Illa tamen perpotandi dulcedine (quod mireris) in ſegniciem non merguntur obrutæ mentes; ſed, ultra ceterarum gentium ſedulitatem, mercaturæ, artificiis incumbunt. Aſſuefactis ſcilicet robuſtisque corporibus, illi vitio pares ſunt, & hauſtas inter convivia nebulas mirabili felicitate exſolvunt, adeò ut in multam noctem producta temulentia poſtero mane ad negotia vacaturis pigritiam non imponat. *Hæc ille.*

Non abhorrent à ſubitariis conflictibus: Belgis enim à *Belgen*, aut *Balgen*, quorum illud iraſci, hoc pugnare ſignificat, nomen indit *Goropius*. Longiùs abſunt ab homicidiis meditatis: quæ, niſi tutelæ inculpatæ neceſſitate eluantur, cujuscunque modi ſint, ſupplicio non eximuntur, niſi vel fugâ templorúmve aſylo, vel Principis condonatione, occiſíque proximo conſanguineo transactione & ſupplici ingeniculatione placato. *Marchant. pag.* 19.

Legibus alioquin Flandri utuntur municipalibus, & cuique opido aut caſtellaniæ aſſuetis, tam in judiciis, quàm in familiis herciſcundis, &, ubi illæ deſunt, Iuſtinianeis. Peculiare heic eſt, quod, ad imitationem Senatus-conſulti Orphitiani, *nullus ex matre nothus perhibetur*, hoc eſt, Nemo ob illegitimos natales maternâ hereditate privatur: unde ne illuſtris quidem feminæ concubinæ liberos Flandriæ leges eximunt; niſi illis ſtatutum municipale à Principe
ſanci-

ſancitum deroget. Durum nec à lege Iulia, de vigeſima hereditatum apud Romanos; cujus vi hereditatum legatorum, causâ mortis donationum ad extraneos devolutarum, vigeſima ad fiſcum pertinebat. Alienum eſt *Ius iſſuarum, exitúsve*, quod adpellant, quo hereditate civis, non civi delatâ, etiam filio fratríque urbium curatores ex ea decimam bonorum non feudalium in publicum vertunt, & quo nemo in alterius cujuscunque urbis aut caſtellaniæ jus corpusq́ue cooptari permittitur, præterquam decimis, eo quo diximus modo, perſolutis Magiſtratui loci; à cujus jure & quaſi complexu diſceditur, niſi ea ſocietas locorum contracta (quam *Hanſam* vocant) interveniat. Quod ex iis exemplis eſt, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publicâ utilitate compenſatur: quod tributum *Plinius ſecundus extraneis dicit eſſe tolerabile, domeſticis grave:* itaque his remiſſum ne lachrymæ parentum aut filiorum ſint vectigales. Videtur enim primitùs invaluiſſe ad alendam frequentiam populorum in ſuis ſedibus, & ad familias ibi conſervandas; veluti Iſraëlitis bona filiasq́ue extra tribum transferre non licebat. *Teſtamento* ſupra tertiam bonorum, quibus feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent; exterisq́ue ad Magiſtratus hîc gerendos acceſſum, ex Caroli V Cæſaris anno 1555 ſanctione, illis nimirum qui à ſe Flandros excludunt. Vtuntur *jure ſiſtendi, manusq́; injectione*, tam in perſonas, quàm bona eorum, qui cives non ſunt, incipientes contra Iuris civilis præſcriptum, ab executione: quod mercatorum peregrè venientium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nientium commoditas introduxit. *Peregrinis licet in Flandria adire hereditatem ſanguine conjunctorum;* quod in Galliis, Anglia, Scotiaque, illis nefas eſt, ubi Principes quo jure quáve injuriâ *Albinagii*, morientium ab inteſtato, nullisque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant. *Marchant. pag.* 23.

Hactenus Flandriæ ſitum & commoditates; incolarum artes, mores & vitia, aliis verba præeuntibus, tibi amice lector, ſpeculo & ſpectaculo exhibuimus: diſceſſum ex ea noſtrum Franci Poëtæ de Flandria teſtimonio corollarii vice obſignabimus:

Flandria Marte potens, armis exercita crebris,
Flandria gens opibus variis & rebus abundans.
Gens inteſtinis ſibimet damnoſa ruinis.
Parca cibis, facilis expensâ, ſobria potu,
Veſte nitens, membris procera, venuſta decore,
Splendida cæſarie, vultu rubra, candida carne,
Innumeris piſcoſa vadis, & flumine multo.
Frumento quam ditat ager, navalia merce,
Lacte pecus, butyris armentum, piſcibus æquor.
Multis ſilva locis facit umbram ore
Nervius armipotens ubi bella frequentia geſſit.

Sufficiant hæc de Flandria, faſtidium fortè paritura ſi accumulentur. Cum N. Chytræo occipiamus ire in Brabantiam:

——— *Gandâ*
Rixoſum genus, aurigæ, per compita rhedis
Nos curſu trepidante vehunt, Antverpia *donec*
Heic, ubi navigerâ Scaldis ſe proluit undâ,
Oſtentare procul nitidas ditiſſima turres
Inciperet, vallumq́; altum, foſſasq́; profundas.

Priusquam tamen Scaldim trajiceremus, pran-
dium

dium in diverſorio mediâ viâ ſumendum erat: Vnde egreſſi viam habuimus nitidam, elegantique pavimento ſtratam, quæ nos duxit rectà ad propugnaculum dictum 'T VEER, ad oram Scaldis; quod pervium eſt, & fluminis trajectum liberum præſtat in ipſam urbem ANTVERPIAM, decem leucis Gandavo diſſitam; ubi hoſpitium, non tamen ſatis commodum, obtigit in interſignio *trium luciorum*, ſub imam veſperam.

Locus hic 'T VEER anno 1599, 18 Ianuarii, à milite præſidiario utriusque propugnaculi Lillo & Liefkenshoeck de improviſo eſt occupatus, miles intus reſiſtens trucidatus; omnibus è caſtello Antverpiano propter rebellem militem eò deportatis bonis (magni æſtimii certè, cùm arca inter ea fuerit margaritis plena) ablatis. *Meter. lib.20, p.890.* Sequenti anno Scaldis eò loci non minus infeſtum vidit & habuit Batavum militem, qui triremi Dordracenæ (*de ſvvarte Galeye van Dort*) impoſitus, noctu navim prætoriam in Scaldi quieſcentem prope locum 'T VEER invaſit, prædamq; inde avectam ſeptem aliis juxtà navibus divitem ad Seelandiæ oram expoſuit. *Met. lib. 21, p. 970. b. Loorbeerkrantz pag. 272.* Hæ cauſæ Arenbergium moverunt heic loci propugnaculum poneret multo præſidio munitum pro ſecura navium ſtatione. Quo viſo, penetrato, flumineque ſuperato, recto pede ipſam VRBIVM VRBEM, VRBIVM OCELLVM (Lipſii verbo) inis. In hanc nunc ductus, haut exorbitante oculo mentéve luſtra & cogita mecum ſequentia.

ANTVER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ANTVERPIA.

VErum non te morabor multùm in etymo; nec excutiam gygantæam fabulam, (*vide, ſi placet*, *Scriban. & Grammaye*) *Adverſæ Averſæq;* derivationem; minusque *Verpum*; (quo nomine his locis Priapum cultum & urbem nominatam contendunt aliqui:) aſſeram cum ratione & emunctioribus, Antverpiam ab *adjectu* dici *Adjectam*, (quod linguâ Belgicâ *Aenvverp* ſonat:) ſed non propterea, quòd olim poſitis mœnibus ter adjecta ſint mœnia, & inde in eam, quâ nunc eſt, excreverit magnitudinem; quod quidem & aliis opidis incrementa ſumentibus accidere poteſt: ſed cum longè lateque Scaldis fluvius, qui nullis coërcebatur aggeribus, nullo certo continebatur alveo, per loca paludoſa, uliginoſa atque arundineta liberè exſpatiaretur, effectum eſſe ut & crebro æſtu & quotidiano acceſſu receſſuque maris, crebrisque alluvionibus paulatim ea editiora fierent; ut hinc nomen ſortitam eſſe, non alienum à vero compareat. A *Becano* habet *Scribanius*, dicens, Antverpiam à Belgico *Aenvverpen*, adjectu, vel *aen de vverve*, apud aggerem, deduci. *Grammaye* à *vverp*, quod projectum ſonat, derivare vult; ita ut urbi nomen manſerit ab aggeſtu terræ, quo accolæ litoris & flumen anguſtius & alveum ejus reddiderunt profundiorem; manente adhuc nominis veſtigio in ripa juxta arcem veterem quæ *vverve* nuncupatur. Pluria de his qui volet, videat apud Guicciardinum, Scribanium, & Grammaye; ubi ſimul inſignia urbis cum binis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

binis manibus, quid ſibi velint, enodantur.

Externa hæc ſunt: *Interna*, quæ nobis paginam facient, videamus in MATERIA & FORMA. Materiale INANIMATO & ANIMATO ſuo heic illuſtre eſt. Prius in SITV, QVANTITATE, & PARTIBVS conſiſtit.

Situm univerſum ſemilunaris forma repræſentat, vel arcum intenſum, cujus nervus eſt ipſa fluvii ripa: ſub grad. 26, minut. 42, quoad longitudinem: quoad latitudinem vero grad. 51, minut. 20: eſtque ſignum ejus cœleſte *Virgo*. Diſtinctum quod attinet ſitum, quâ terram quâ aquam: Sita eſt urbs in egregia quadam lateque diffuſa planitie ad dexteram Scaldis ripam, quam longo tractu mœnibus & turribus coronat; ab Oceano ſecundum flumen quindecim circiter miliaribus Brabantinis diſtans, quorum ſingula in terra tantum ſpatii complectuntur quantum, ſi expeditus pedes, ſtato & ordinario gradu intra horam unam abſolvat, & laboris ſatis ſit habiturus, & non nimium difficultatis. Flumen adeò latum & profundum eſt, ut quantumlibet magnæ naves inde ab ipſo mari uſq; ad portum & geranium ipſum urbis confidenter poſſint appellere; quoniam muro, cui ſuperſtructa verſatilis illa machina, ita propinquum, imò verò conjunctum eſt flumen, ut inde à ripa navigia manibus queant contingi, quæ in aream inibi lapide ſtratam, atq; in ſiccum merces ſuas exponunt, & in ſummo Scaldis æſtu etiam ipſa eò poſſent ſubduci. Commoditas, ut affirmant peritiſſimi quidam & majorem orbis terræ partem

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

pervagati naucleri, cui in paucis admodum portubus invenias parem: cum ad hanc urbem flumen *ulnis amplius quingentis Antverpienſibus in latitudinem pateat; altitudine verò ulnas præterpropter viginti duas exæquet:* quæ latitudo quidem atque profunditas non poteſt quin pulcherrimum juxtà & magnificum reddat adſpectum, tunc præſertim cùm in culmine, ut ſic dicam, eſt mare, & flumen ad duodecim ferè pedes attollit. Vnde expeditum eſt colligere quâ ſolertiâ Parmenſis, anno 1584, dum obſidere pararet hanc urbem, uſus ſit in opere illo planè ſtupendo pontis, (ſive *la ſteccada, ut habet Meteran. lib.* 12, *p.* 482,) quem flumini huic impoſuit ad Ordamum, pagum citra Lilloam non procul Antverpiâ diſſitum: ubi, ut commodiſſimum etiam inveſtiges locum, Scaldis pedibus bis mille quadringentis in latitudinem patet; minimùm ſexaginta, etiam extra æſtum, altus eſt. *Guicciard. in Antverp.* Pontis illius deſcriptionem habet Meteranus dicto modò loco: ſtructuram verò ejus vidi Romæ in palatio Farneſiano, formâ contracta, cujus inſcriptionem en heic adpono:

PONS AB ALEXANDRO FARNESIO IN GALLIA-BELGICA PHILIPPI REGIS CATHOLICI PRAEFECTO MAXIMO SVPRA SCHALDEM FLVMEN IN OBSIDIONE ANTVERPIENSI CONSTRVCTVS MDLXXXV.

Qui potuit rigidas Belgarum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

SCALA FVIT 100 PEDVM.

Ambitus urbis rectè demenſus continet paſſus Antverpienſes ſex mille centum & ſeptuaginta novem,

novem, id eſt, pedes tricies mille octingentos nonagintà quinque; ita ut in circuitum pateat millibus quinque Italicis, trecentis tantum & uno paſſibus minus: idque non comprehenſa arce; quam ſi includas, millia fient paulo plus ſena. Diameter ejus in longitudinem incipiendo ab eâ portâ, dictâ *de Slÿckpoort*, uſque ad pontem ipſum arcis, mille & octingentorum eſt paſſuum, id eſt, pedum novies mille. In latitudinem verò, facto initio à porta *Kÿpdorpica* ſive *Iacobi*, uſque ad turrim fori piſcarii, pedum quinquies mille & centum.

Sed luſtremus urbem *extus & intus in ſuis Partibus*. Inter externas agmen ducit CASTELLVM. Quod Præfecti permiſſu ingredi, aream & domicilia luſtrare conceſſum nobis, ſecus propugnacula, à quibus exteri arcentur. Porta (præter hanc duæ adhuc aliæ arcem firmant; altera quarum Scaldi fluvio, terrâ altera militem, ignorante urbe, intromittere poteſt) ad ingreſſum habet: SOLI DEO GLORIA. Cœptum verò eſt ſtrui juſſu Catholici Regis ab Albano, anno 1567; abſolutumque anno non toto; nec, omnibus computatis, conſtitit plus quingentis millibus aureorum: etſi multi, etiam hujus iſtius profeſſionis, ſtructuram hanc longè plus millione taxarint. Facta fuerat prius ex terra, ſed poſtmodum opere lateritio partim & ſaxo veſtita, & quinque adeò vallis munita, ambitu paullò plus milliaris Italici. *Guicciard. heic.* Arx hæc quinque validiſſimis propugnaculis firmata, mutuum defenſantibus, inſignitisque nominibus fundatoris & ſtructoris ſive architecti, nimirum, DVCIS FERDINANDI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

NANDI TOLETANI ALBANI, PACIOTTI. (hic erat gente Sabaudus.) *Meter. lib. 3, p. 108, b.* Montibus deinde, qui omnem circa regionem agrumque retegant, & ab hoſtili procurſione ingentibus tormentis bellicis arceant, mœnibus incluſis, in tutelam raramque amœniſſimi proſpectus venuſtatem ſe in immenſum attollit. Sed & extra mœnia humilia propugnacula egeſtâ terrâ equiti procurſum præbent, tutumque receptui locum. Armamentaria verò & commeatuum reconditoria ad miraculum in immanem excurrunt vaſtitatem: ſtabulandis etiam equis ingens laxitas: & ſuper hæc militi certa tutaque domicilia, qualia in medio magnarum urbium deſideres: & millibus facilè tribus locum præbeant; pluribus etiam, ſi qua neceſſitas arctare cogat domus. Templum hîc non maximum, ſed pulcrum inter plurima eſt, ſcitè & ex arte conſtructum. Laxiſſima in arcis medio area, militari delectui commodiſſima, quæ juſto etiam exercitui ſatis ſit. *Scriban. in orig. Ant. cap.* 14.

Huic areæ Albanus ſtatuam formæ ac ſtaturæ ſuæ, imò gloriæ ſuæ apud poſteros monumentum, è tormentis pridem ad Gemingam captis, per Iacobum Iongelingum, impoſuit, nudo capite, brachioque dextro inermi; ceterum corpus armis indutum: ſub pedibus calcabatur homo gemino capite, manibus quatuor; in quarum primâ, fax accenſa; in ſecundâ, malleus fractus; tertiâ, clavam nodoſam; quartâ, ſecurim tenebat: è collo ejus, appenſa bulga, è qua ſerpentes proſerpebant: ſubter larva conſpiciebatur, ad cujus aures mendicorum

rum gemina paropſis; inde ſcriptum, IVNGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. Inferius paullo in laminâ, topho innixâ: FERDINANDO ALVAREZ à TOLEDO ALBAE DVC. PHILIPPI II HISP. REGIS APVD BELGAS PRAEFEC. QVOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIB. PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA, PROVINCIAE PACEM FIRMARIT, REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISS. POSITVM. Vniverſi operis altitudo pedes XV. Ab una parte, ara erat; inſcripta, DEO PATRVM NOSTRORVM. ab alterâ, opilio ſpectabatur ad paſcua gregem educens, quem lupi ac leones fugerent: item aurora noctis tenebras diſpellens, cum inſcriptione Græca, ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. Vtrimque tamquam belli ſpolia, variæ armorum ſpecies cingere. in baſi autem ſcriptum, PIETAS. Hujus ſtatuæ invidia ingens apud plurimos; etiam Hiſpanos, qui deberi Regi potius arbitrari: cujus armis ac ſtipendio omnia geſta. *Meurſius in Guil. Auriaco, lib. 4, pag.* 147. Non poſſum quin huc bina diſticha adponam:

Cur ſtatuam vivo tibi Dux Albane dediſti?
An quia defuncto nemo daturus erat?
Non malè conjectas; neq; enim crudelia laudē
Facta tua, inſmem ſed meruêre crucem.

(*Meteran. lib.* 4, *pag.* 133, *& ſeq.*) Accedunt conjecturæ variæ, prout animi quiſque adfectus. ac effigiem bicipitem, quæ ſubjecta, Egmundadum Hornanumq́ue nuper cæſos, pars putare: alii Auriacum & Naſſovium, Belgio exactos: erant qui interpretari ordines Belgii, in nobilitatem & plebem diſtinctos, quos ereptâ libertate conculcabat. Arſcotanus vir liberri-

mæ

mæ in aulâ urbanitatis & gratioſæ, cum Albano eam aliquando ſpectans, ac rogatus quid videretur, per riſum illuſiſſe dicitur: *Eorum vultus, quos calcaret, ira manifeſtos, ſi reſurgerent, vindictam minari.* Idque dictum oraculi inſtar multis habere viſum fuit. Et Antverpienſes poſtea, recuperatâ libertate, opus iſtud confregerunt. alii memorant, à ſucceſſore, Ludovico Requeſenſio, tolli juſſum. *Meurſ. lib. 4, pag. 148, in Guil. Aur.* Imò non tantùm ſtatua illa dejecta, ſed per ſeditiones civiles exterior arcis murus dirutus & vallum, quâ videlicet adſpiciebat Antverpiam. *Meter. lib. 7, pag. 277, a.* Sed eâ pòſt Regi reconciliatâ, arx communi conſenſu reſtituta, & in priſtinum ſtatum redintegrata; adeò ut pulchra hodiè & quàm umquam antè munitior. *Guicciard. in Antverp.* Nullum viderat Europa validius propugnaculum. Vix decem annis ſteterat (nam cœpta 1567, diruta 1577) cùm pars maxima æquata ſolo. nec multò, ſurrexit iterùm tamquam poſt buſta phœnix funeri ſuperſtes ſuo. *Scriban. cap. IX, in orig.*

MOENIA qui curioſiùs ſpeculatus, facilè videbit, nullis Europâ totâ cedere, ita è vivo ſectoque lapide ſolidè firmata, procurrentibus OCTO validiſſimis PROPVGNACVLIS in mutuam tuitionem mutuum proſpectantibus. Opus hortatu Mariæ Hungariæ Reginæ anno 1552 ſtructum: teſtatur eximiæ pietatis S. P. Q. ANTVERPIENSIS nuncupatio:

DIVAE MARIAE HVNG. REG. DIVI CAROLI V CAES. SORORI PATRIAE EX FRATRIS AVCTORITATE TVTRICI, S. P. Q. A.

HANC

HANC MOLEM EX EIVS NOMINE MARIANAM NVNCVPANTES, PIIS VOTIS DD. QVOD SOLLICITO ILLIVS HORTATV TANTAE HAEC VASTITATIS MOENIA, GRAVISS. REIP. IMPENSIS, VEL QVADRIMESTRI SPATIO, AD MILLE PASSVVM LONGITVDINEM, IN SVPERIOREM VSQVE LIMBVM EXCITATA SINT, VNIVERSVMQVE VRBIS AMBITVM HAC PARTE COMPLERINT, MENSE AVGVSTO MCCCCC LII.

CONSTANT. HALMALVS EQVES AVRATVS, HVIC MOLI PRIMVM IECIT LAPIDEM DIE XVII IVLII, MCCCCC LII.

In altera mole hunc in modum legitur:

IVSSV CAROLI V CAES.

IOANNES à CROMBACH, EQVES AVRATVS, HVIVS VRBIS SENATOR, HVIC MOLI, INDITO NOMINE DIVI IACOBI, PRIMVM IECIT LAPIDEM, ANNO M CCCCC XLII, DIE III IVNII.

Scribanius *cap.* VII ait: De propugnaculis hoc audeo: Certaſſe hîc omnium artificum ingenia, hoſtibus ad terrorem, civibus in præſidium: tantâ interludente venuſtate, ut, dum molem ſpectas roburque, arbitreris omnem abeſſe elegantiam; hanc ſi intuearis, putes deeſſe robur: rarâ in humanis miſtione, roboris & venuſtatis. Si latitudinem quæris, patentiſſima eſt: nam & in ſuprema planitie, tamquam in ſummo vertice procurrit in pedes CX. Validum opus, &, quod magis mireris, arboribus perpetuis (quaternis quinisve tiliarum ordinibus) conſitum, tam ſcitè & ad lineam, ut nulla, conetur licet, dentem imprimat invidia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ita extra etiam omnem contumeliam elegantia eſt. Ludi, ſed veriverbio, VALLVM nuncupant *der Geuſen Teſtament*, eò quòd præter inſitas ibi tilias, ab Albano exacti, nihil Antverpiæ reliquerint.

PORTAE magnificæ & ſumtuoſę ex lapide vivo, pulchro, opere Dorico ſtant, ita ſtructæ, ut meritò dubites elegantia an firmitas vincat. Sunt verò univerſim *tredecim: agrariæ quinq;* reliquæ ad flumen ducunt.

Agrariarum juvat noſſe nomina.

I. Ortum petentibus eſt *porta Beginarum, de Begÿne poort*.

II. Porta Georgii, magnifico ſanè & egregio opere, quæ tamen magis propriè Cæſarea, *de Keyſers poort*, nomine à Carolo V Cæſ. ei impoſitò, qui videlicet primus devirginavit (ut dicit Guicciard.) & per eam jam abſolutam ingreſſus eſt; prout litteris beſſalibus frontiſpicio (ubi Aquila & columnæ duæ; PLVS OVLTRE) eſt inciſum:

CAROLVS V CAES. HANC PORTAM PRIMVS MORTALIVM INTROGRESSVS CAESAREAM NVNCVPAVIT, DIE XXV NOV. ANNO CIↃ IↃ XLV.

Cui adpoſita alia inſcriptio:

ALBERTO ET ISABELLAE PER MAIORVM VESTIGIA ANTVERPIAM INGREDIENTIBVS, ET EORVM EXEMPLO PIE AC PRVDENTER RECTVRIS, S. P. Q. A.

III. Eſt Porta Iacobi, quæ & *Kÿpdorpica* dicitur.

IV. Dicitur rubra, *de Roy-poort*, ſive *Bergenſis*,

genſis, quod petentibus Bergezomium eâ pertranseundum.

v. In exitu ferè urbis prope flumen & ad ſeptemtriones obverſa, à locis circumvicinis, quæ depreſſa nimirum & paludoſa, vulgo dicitur *de Slijck-poort*, *porta lutoſa*.

Habent hæ portæ extrorſus ſingulos pontes è vivo lapide, magnos, pulchros, & ponticulis verſatilibus ac portis anterioribus, quibus nempe clauduntur cuſtodiunturque, munitos.

Ad flumen ducentes ſunt *octo* portæ; quarum præcipuæ, *Divi Michaëlis*, ſive *Cronenburgenſis*; &, à geranio nomen habens, *de Kraen-poort*: hæc flumini obverſa ubi geranium poſitum, munita & in amœnam faciem poſita; ibi moles areâ ſpatioſâ inſignis, *de VVerf*. illa etiam ſecundum flumen & auſtro obverſa, nomen habet Cronenburgenſis, quia nempe turrim habet, ornatam Imperiali ex ferro coronâ, tum & aquilâ quoque, urbi olim, ut ferunt, donatis ab Imperatore; qui ſignificare voluerit, eam eſſe Marchionatûs ſacri Imperii caput: quam turrim Dux Albanus, ſuſpectis belli temporibus, ſolo æquavit. Portis flumen reſpicientibus ſinguli reſpondent *kai*, tamquam prominentes è litore aggeres: fora dixeris litoraria, & protuberantia in ſubſidium capita, variâ frequentata merce; pro quarum varietate nomen plurimùm ſortiuntur. heic namque onere levantur naves, hîc receptaculum orbe toto advectarum mercium. nec ſimile huic reliqua dabit Europa; ac neſcio, *dicit Scriban. cap.* XIV, an reliquæ orbis partes. fortiter hoc teſtantur qui obnavigarunt orbem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

audaci conatu. Heic onerariæ nullo negotio vehuntur, tantâque exonerandi onerandíque facilitate ſe ſiſtunt, ut manibus è litore maximæ etiam, onere quocumque levari poſſint. Ita ab hoc flumine *oſtia octo*, *ſinusq; octo*, atque hinc navium in ipſa urbe *receptacula octo*, quæ & grandiores onerarias centum de facili excipiant emittantque. Rarum omninò opus, & quale fors nulla dabit urbium reliquarum. Vidimus hæc noſtris oculis & obſtupuimus.

Vrbis partem,

Bisq; die refluo quam flumine Scaldis honorat,
latiſſimum flumen & FOSSAE tutantur; hæ hodiè pedibus centum & quinquaginta in latitudinem patent, & multùm profundæ ſunt. aquam habent vivæ adſimilem, partim ab ipſo fundo, partim ab ipſo flumine manantem.

Hæc exterior urbis facies eſt in ſitu, ornatu & robore; interior habet magnificentiam & opulentiam. utramque inveniemus in PLATEIS & ÆDIFICIIS. Illis adjicio *ſex & viginti* FORA, vario opulentata mercatu. Maximum eſt *Senatorum*: pulcherrimum *Mercatorum*. næ! ſtructura tam inſignis, ut celebrandis mercatorum conventibus non temerè alibi invenias parem. eſt enim à transitu omni carrorum, equorum & ceteris immune ædificium, porticibus undiquaque clauſum, portis ſpatioſis quatuor patens. ſed de hoc infrà. Forum *Piſcarium* marini, fluviatiles & ſale conditi piſces incredibili multitudine complent, adeò ut ſi tibi præter opinionem gratus & amicus quiſpiam hoſpes tractandus, Sybariticâ ipſum menſâ quovis etiam

iam tempore excipere poſſis. PLATEAS in laxiſſimum non rarò proſpectum, & qui cujusvis oculos fugiat, videbis protenſas; ædium circum ſecus elegantiâ, &, quæ continuâ quaſi ſerie ad oſtentationis invidiam æmulumque ſplendorem depugnent, firmatas. Nihil perſimile, dicit Becanus, huic Europâ totâ, ſeu viarum laxitatem & ad perpendiculum ductus, ſeu auguſtam ædium amplitudinem intuearis: quas non tam privatorum quàm Principum arbitreris uſibus deſtinatas. Primariæ verò plateæ ſunt, *Meræ, Kipdorpenſis, Longanova, Cæſarea, Cameracenſis, Alta, Aerariorum & Coriariorum.* Omnes hæ & reliquæ *ſupra ducentas, ædibus* mirâ felicitate ad omnem negotiationem, varietatem, ſplendorem, ingenio plurimùm in iis naturam ſuperante, celebrantur. Guicciardinus ædes numerat tredecim millia & quingentas. (ſupereſt inſuper ædificando area, cujus ſi amplitudinẽ metiaris, tribus minimùm millibus locum præbeat.) Tanta urbis eſt elegantia, (*dicit Gram.c.*10) tanta ſuburbanorum amœnitas, tantus vicorum ſplendor, tanta domorum commoditas & ornatus, tanta ſupellectilis & copia & mundicies & ædificiorum in iis magnificentia, ut regum, non civium, eſſe videantur. in quorum hortis creſcentium varietatem ſi deſcribendam mihi ſumerem, integrum naturalis hiſtoriæ volumen eſſet implendum, cùm nihil ferè usquam ſit herbarum quod hîc non ſtudiosè, non à pharmacopolis modò, ſed ab aliis etiam civibus, cultum reperiatur, non exiguo id quidem ſumtu, nec ad aliud quàm ad oblectamentum è plantarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

contemplatione percipiendum. Sed tam inſana prope eſt cognoſcendi genti huic cupido, ut ea in parte omnes alias nationes ſuperare videatur. Vertamus oculos ad *Aedificia uſibus divinis & humanis ſtructa;* ad ECCLESIAM, & POLITIAM. *Cathedralis Antverpienſis* inſcribitur Virgini Matri: longitudo ejus minimùm pedum quingentorum & decem; latitudo plurimùm ducentorum quadraginta, ac non ignobili parte ſui ſexaginta & trecentorum pedum. Columnæ intus, aliæ ſub ingenti fornice tamquam ſub cœlo Atlantes ſudant; aliæ latera claudunt, firmantque univerſam machinam ingenioſâ dorſuatione. Sacella & aræ ſexaginta ſex, marmore, ſtatuis, picturis ad invidiam nitent. Sacellum Divæ Virginis, auctore Nicolao Rechtergemio, cujus in eo monumentum & ſumtuoſum ex orichalco candelabrum, marmoreis ſtatuis & intercolumniis primum eſt. Ad ſiniſtram, ſacellum Oblationis Chriſti, in quo elegans pictura Mariæ, à Mondragone Hiſpano heîc donata; Ibi in feneſtris Iacobum Apoſtolum contra Ethnicos in Hiſpania pugnantem notabis. Inſuper ſacella trium Regum, Divi Georgii, Sebaſtiani, Michaëlis. in hoc pugna bonorum & malorum Spirituum; tabula magni æſtimii, aurum omne ſuperantis, opus eſt fabri ferrarii, cujus & ferreum fontis integumentum eſt ante templum, viſu dignum. Inſuper hîc viginti ſeptem opificum ſunt urbanorum ſacella & aræ. Odeium opere marmoreo & jaſpidino coronatum eſt. Epitaphia omnibus templi angulis lucent, (quæ Fran. Suertius collegit.) unicum Moreti, dabo

lectori

lectori ob denati memoriam, quod eſt:

IOHANNI MORETO ANTVERPIENSI, MAGNI PLANTINI GENERO, EIVSDEM VIRTVTVM ATQVE ARTIVM, LABORIS ET CONSTANTIÆ HEREDI: QVEIS IVVENIS SENESCENTEM SOCERVM IVVIT: VITA FVNCTVM SVPERSTES EXPRESSIT, PVBLICE VTILISSIMVS, PRIVATIM BENIGNVS, PASSIM MODESTVS, PROBVS, PRVDENS; OMNIVM BONORVM ELOGIO BONVS. VIXIT PRAECLARVM SVIS HONESTI EXEMPLVM ANNOS LXVII, MENSES IV. OBIIT INSIGNEM IN DEVM PIETATEM TESTATVS X KAL. OCTOB. M.DC.X. MARTINA PLANTINA OPTIMO MARITO CVM LACHRYMIS OPTIME APPRECATA SIBI ET POSTERIS MORTALITATIS MEMOR P. C.

In hac æde Philippi II memoriam nota; anno 1556 conventum aurei Velleris primùm celebrantis, Equitibus XIX in defunctorum locum ſuffectis.

Templo huic binæ adſtant TVRRES. Altera faſtigium templi quidem ſuperat, ſed ſuperbo ſororis ſuæ vertici auguſtam cervicem præbet. de hac ſilentium. Altera in altum educta & perfecta anno 1517; extrui verò cœpta publico ſumtu anno 1422: Ortelii judicio, Argentinenſi non confertur, ſed prefertur: (*Grammaye cap.3.*) in ingentem ſurgit cœlo molem, pedum CCCCXX, cubitorum nimirum CCLXXXVIII; tantâque paſſim pellucet amœnitate, tantâ mutuò ſuperſtantium columnarum varietate, ut & ſolaribus undique radiis transverberetur, & luci quaqua parte viam proſpectu præbeat lætiſſimo: præterquam enim quod ex ea conſpi-

cias totam, quàm latè patet, pulcherrimam urbem & circumjectos illi non minùs amœnos, quàm pagis, hortis & villis frequentes campos, detegis etiam clarè primarias quasdam atq; longinquas urbes, *Mechliniam* nempe, *Bruxellam*, *Lovanium*, *Gandam*, præterea fluminis latè diffuſam oram, adeóque & ipſum mare, & Zelandicas etiam inſulas. In hac turri *octo & ſexaginta* numerabis *campanas*, partim prægrandes, partim minores: maximæ, quæ inſoliti planè & mirandi eſt ponderis, factum nomen à Carolo Quinto Imperatore, digniſſimæ prorſus campanæ, nec ſolitæ umquam pulſari niſi ob cauſas inſolitas, *Guicciard. teſte*. Ab his, ſuavi modulatione anteambulus cuique horæ ludus eſt (artificio apud Aloſtanos reperto anno 1481, & quidem per hominem parum ſani cerebri, ut habet *Grammaye è diario Ortelii cap.* III) tam plenâ ſymphoniâ ut admirationem ſtuporemque adventantibus inædificet. *Scribanius cap.* XIV *in Orig. Ant.* audet aſſerere, quidquid alibi humanæ modulantur voces, quidquid tibiæ, reliquaque Muſica, hoc æs campanum tam exprimit doctè, ut nullum extra illud modificatorem deſideres: ac ab unius hominis manibus pedibusque tot quaſi animantur uno tempore & pulſu campanæ, tamque varius acuto ſonitu, gravi bombo, medio flexu, concentus miſcetur muſicus, ut, cùm unam videas manum, mireris varietatem, nullâque non diei noctisque horâ. Alibi fors eadem reperies, neſcio an pari concentu, arte ſimili, imò nuſquam pari. Quæ cauſa, quòd admirationem adventantibus exciter, quantam nulla

nulla res alia: maximè in portentoſa illa altitudine, quâ concentu non modò urbem, ſed & vicinos complet agros. & ingens ſanè illa eſt, cùm nimirùm *in* 420 *pedes* ſurgat: cui ſi impoſitum adnumeres culmen, inſertamque culmini *ſexdecim pedum crucem*, prioribus nihilo ignobiliorem, 461 *pedes* expleat. rarum etiam in hoc opere, 622 de ſolido lapide gradus recenſeri. *Scribanius dicto loco.*

Extra ædem ſummam Antverpia *quatuor* habet PAROECIAS; *Georgii, Walburgis, Iacobi,* & *Andreæ.* In quibus nihil eſſe fatetur Scribanius, quod lectorem mereatur. Ego tamen de VValpurgis templo, *de Burge*, paucula hæc ut antiquiſſimo enotavi. Olim Marti dicatum fuit, vel *Priapo*, qui olim inter gentiles ibi in magno honore. colebant eum in tantum ut effigiem ejus ſaxo inſculptam in ipſamet arcis ſeu burgi fronte haberent. teſtis adhuc hodiè eſt ſupra portam juxta publicum carcerem ad forum piſcarium imaguncula, olim ſertis ornari ſolita à ſtulta muliercularum turba; quæ altitudine unius pedis, manibus elevatis, pedibus divaricatis, membro virili carens conſpicitur. Fabulam, non hiſtoriam dixerim, quæ narrantur de Priapi hujus raſione & uſione contra ſterilitatem. quî enim mulierculæ ſine ſcalis abradere, & quamdiu, cùm exigua ſit ſtatua, potuerint, non video. poſita eſt ſatis alto loco, ita ut non facilis acceſſus. Portam iſtam ubi penetraveris, offenditur VValpurgis fanum, ad quod ingreſſus etiam 20 graduum. ſubtus ejuſdem ſepultura.

Cœnobia inſuper frequentia ſunt tàm viro-

rum quàm fœminarum. (catalogum habet Scribanius, à cujus ſcitu nihil ſcientiæ.) Inter illa S. Michaëlis Archangeli Abbatia, & Ieſuitarum Societas. Abbatia ordinis eſt Præmonſtratenſis, ſolemnem Principi in urbem venienti præbens manſionem. In templo ad ſummam aram ſepulta jacet Iſabella Borbonia Caroli Pugnacis Ducis Burgundiæ conjux, denata anno 1465, ut Mauſolei regii inſcriptio habet.

Patres Societatis, duo primùm ingreſſi urbem anno 1562; pòſt, ut ſucceſſerunt civilia bella, ſeceſſerunt inde, reverſique ſunt anno 1585, poſitis fluctibus; & inſignem aulam Lirenſem, ſuperbum illud palatium quod Anglis utendum dabatur, (opus natum clariſſimo illo Arto Lirano, qui publicis illud ſumtibus ſtruxit, & Carolo Quinto Imperatori aulam deſtinavit) decreto Senatûs occuparunt. ſcholæque & manſionibus conſecrarunt. Plures verò hodiè acceſſerunt, ita ut eccleſiaſtico & ſcholaſtico oneri præſint centum & plures. Templum auguſtius nec Belgium nec Gallia habet: Frontiſpicii inſcriptio, docet ſtructuram:

CHRISTO DEO, VIRGINI DEIPARAE, B. IGNATIO LOIOLAE SOCIETATIS AVTORI, SENATVS POPVLVSQVE ANTVERPIENSIS PVBLICO ET PRIVATO AERE PONERE VOLVIT.

Intus omnia marmore Aſiatico nitent, columnæ XXXVI à pavimento marmoreo ſurgunt ad fornicem; picturæ, Brugelii & Rubenii maximùm opera, morantur accedentem, ſuſpendunt videntem, vixque ſine alienatione dimit-

dimittunt abeuntem: cum materie artem & formam ex Aſia & Italia huc migraſſe dixeris.

PAVPERVM RECEPTACVLA, XENODOCHIA, prout quemque pietas traxit aut beneficentia, numeroſa ſunt, inque varios uſus deſtinata; omnia tamen egenis ſubſidium. Cura horum, fidei eleemoſynariorum omnis commiſſa, quorum ſeriâ ſollicitudine res adminiſtrantur.

PVPILLARIS DOMVS EXPOSITITIIS DICATA; horum in magno populo & frequenti viciniâ magnus numerus, qui 200 excedit. auctores habet eleemoſynarios urbis anno 1532. nobile opus, & quod nomen in Principe mereatur. Educantur, &, ut primùm per ætatem licet, edocentur, prout cujusque ingenium tulerit; additurque lectio & ſcriptio, ne quidquam ad honeſtam educationem vitæque reliquum deſit.

FATVAM DOMVM in Rochi platea offendes, aberrantibus à ratione, ab eleemoſynariis datam. *Scriban. in Orig. cap.* XIII.

FOEMINARVM DOMVM eleemoſynarii anno 1554 ædificarunt. variæ hîc mulieres, & ferè moribus non optimis, quæ his parietibus tamquam honeſtâ continentur cuſtodiâ.

ERGASTERIVM PVERORVM ET PVELLARVM non deeſſe debet, ædes perpetuis & liberalibus dotatæ reditibus, in quibus potior & ſequior ſexus, otioſus alioqui, victum in plateis quæritans, ad omnem nequitiam enutritus, exercetur artibus, quæ ad neceſſarios hominum uſus conducunt.

VIRGINVM DOMVS, varium opus, multiplex, nec minus rarum, & fortunatiſſimi

even-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

eventûs. *Ioannes van der Meeren* anno 1552 inſtituit. Virgines hîc erudiuntur, quas egeſtas paternâ excluſit domo, aut matrum pudor. quæ ubi adoleverint, è pupillari in hanc traductæ, quidquid in virgine deſiderari poteſt edocentur. inde ancillatum dimittuntur: aut, ſi quam modeſtior adoleſcens ambiat, matrimonio jungitur, dotem à pauperum ærario acceptura.

IUVENVM DOMVS reſpondet puellarum. Inſtituitur enim hîc juventus variâ arte pro cujusque ingenio aut propensâ voluntate. & delecti ſuperioribus annis ex omni hac turba, quæ ingens omninò eſt, qui ingenio & moribus plurimum ſponderent: quique præ reliquis eruditionis aut probitatis majoris ſpem facerent, addictique humanioribus litteris, ut inde ad Philoſophiam altioresque ſcientias transeant. Ita Scribanius.

Præ omnibus munificentia SIMONIS RODERICI PERETTI, *Baronis de Rhodes*, domo Luſitani, prælucet. Domum emit duodecim florenorum millibus, hortum tribuit, ſacellum addidit, inſtruxitque ab omni re ſacra; nomen S. Annæ & amplam dotem inſcripſit, quæ alendis duodecim honeſtiore loco natis, ſed gradu & opibus (variante fortunâ vices) excluſis, ſufficiat. adjunxit famulam: Sacerdotem præfecit, qui ſacris indies operaretur; Muſicumque concentum laudibus deſtinavit. Herus in egenos magnæ liberalitatis, præſertim in pupillas; quotannis unam opibus inopem elocat, nuptias parat, dotem centum florenorum addit. ita nobis relatum ubi ma-

gnificas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

gnificas ejus luſtraremus ædes cum horto ordinatiſſimo.

A Sacris ad POLITICA Vrbis ædificia deſcribenda pergo. primaque ſint quæ *Cives* & *Rempublicam* tangunt. SENATORIA DOMVS juri dicundo ab antiquo deſtinata, ſita eſt ad fori majoris angulum. elegans ſtructura, è maculoſo candicante marmore, lividiore tamen, ſparſimque circumvolutâ canicie, ac quaſi ſi undatim in criſpos vortices agatur. Marmora hæc Menander, diligentiſſimus luxuriæ interpres, longè maximo in pretio habuit, Romanique veteres. Palatium hoc marmoreis columnis, (has inter quadraginta & novem lati ducunt aditus, oſtiaque totidem, totidemque negotiationis atria, è terrarum ultimis divitata) quadrato opere à fundamentis renovari curavit Senatus anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo. ſed infelici caſu haud multo pòſt exuſtum, anno cIↄ Iↄ LXXVI, idem Senatus ſplendidiori ſchemate reſtituit. Hîc ſi quis curioſior artem genusq; ſingularũ velit partium, tamquam membrorum; dabo ſingula à Scribanio deformata, ne & defuiſſe videar, & prolixitate nauſeantis ingenii faſtidium provocaſſe. Pars infima variegato ſtat marmore, Tuſcanâ manu, incultiore ſævioreque ſtructurâ; cogita Centauros, homines equis ſuis implexos, aut durum Lapithûm genus. Altera Dorica. quâ olim Herculi & Marti ſacravit ædes Antiquitas. hac Dores ſtructurâ delectatos accepimus: quæ plus oſtentat virilis roboris, tamquam humeros latos, ingentesque membrorum artus, quàm feminei ornatus. Tertia

Ionica,

Ionica, quâ Iunoni, Libero, Dianæ Iones primitus templa dicarunt, muliebris gracilitatis æmula, quæ nec virgineam referrent mollitiem, nec virile pectus, non oſſa, non lacertos: ſed matronali contenta maturitate, quidquid aſperum eſſet ac quaſi cæſtuoſum, fugerent; quidquid nimiam ſuperaret mollitudinem, averſarentur. cincinnis tamen, ac tamquam femineâ capillaturâ decoriter diſcriminata. Quarta perpetuo columnata in orbem ambitu eſt. Frons operi toti prominet columnarum ſignorumque nobili ſymmetriâ: omnia è maculoſo marmore, Lydio intercurrente lapide & miraculum augente. contabulatio frontis univerſi, ima Tuſcana, ſecunda Dorica, tertia Ionica eſt, quarta Corinthia, quâ fontium Nymphis ſacraſſe templa veteres accepimus, mirâ exilitate, & virgineâ temeritudine. atque hîc ornamenta capite dependent, acanthi foliis, Callimacho repertore, perſimilia: totam denique floridam, faſciiſque caput circumcinctam reperies. Quinta Italica, ſeu mavis, Compoſita: ex Ionicâ & Corinthiâ decorem mutuata. Hîc florum frondiumque & pomorum videbis implexus, coronario luxu, foliis flores & fructus intercurſantibus: nec raró trophæis ornata militaribus. in cujus medio effigies Dei Matris eſt, Polycletæâ manu, Apellæo ductu. Latera Centauri cingunt, monſtrorum domitores, ingentibus armati clavis; ut nihil jam mireris cæſtus

— quibus acer Eryx in prœlia ſuetus
Ferre manus, duroq; intendere brachia tergo;

cùm illos intueberis, quibus non modò magnum

gnum Alcidem contra ſtare, ſed & indubitatum audeant triumphum ſperare. Excipiunt Centauros pyramides, clauduntque tamquam nobili metâ opus nobile. Sexta, pro columnis hîc Caryatides oſtentat, quaſi in hac etiam urbe, Græci Perſico defuncti bello de Caryatibus æternùm triumphent. ibi Perſicum ex hoſtilibus manubiis trophæum Lacones Pauſaniâ duce ſtatuiſſe credes: tamquam ſuperbiâ caſtigatâ, barbara ſimulacra, tecto deridiculi Atlantes, domitas ſubjicere cervices cogantur. Opus univerſum integit ſuperſtans Aquila, expanſis alis: tamquam ſi corporis ſui molem, quadam pennarum velificatione, modico caudæ gubernaculo, contabundo volatu, in certam dirigat metam; aut in aliquam fulminis vice de cœlo ruat prædam. putes perpetuò pendulam ſingula intueri, mòntes, campos, urbes, feras, homines; ac per illa indefeſſa remigia magnum aliquid ſpirare. Tale eſt opus hoc. ſumtuoſum dicit Guicciardinus; ut ſi ſingula quæque exactè computes, in centum ferè coronatorum millia abitura ſit ratio. Conclavia intus auguſta & regio veſtitu ornata. Ibi unum continuo ductu ſed habitu diverſo oſtendit Duces Brabantiæ, & Archiduces Auſtriæ, ad ultimum Regem Hiſpaniæ cum conjuge, numero XXXI. Caminus Cerere & Neptuno occupatus conſpicitur.

A *domo Senatoria* ad DOMVM TRIVMVIRALIBVS IVDICIIS deputatam tendo; ubi res regiæ jurisdictionis meríque imperii aguntur. eſt intra veteris caſtri ambitum anno cIↄ Iↄ XXXIX renovata. Heic judicia, quod de Germanis nar-

rat

rat Tacitus, ſub dio aguntur. nuperè ad avertendum cœli injurias tectum tribunali impoſitum eſt. Seilicet æſtimabant veteres, in Deorum manu vitas, præſentiâ mortes eſſe debere; quorum æquitatem ſibi in naturam quodammodo peccantibus volebant ſubvenire.

Non procul hinc CARCER PVBLICVS, ſub annum cIↃ IↃ XX à fundamentis erectus.

Viſis *Iuris & Iuſtitiæ* locis, ſuccedunt *uſibus civium* data & conſecrata; è quorum ordine BVRSAM & OOSTERLINGAM DOMVM aliis antepono. BVRSAE derivationem ſupra circa Brugam tetigimus, à tribus marſupiis quæ familiæ Burſarum erant inſignia; ubi mercatorum erant conventus: Ii poſt Antverpiam ad mercatum profecti alióve, locis in quibus ad negotiandum congregabantur, ad ſimilitudinem fori illius Brugenſis, Burſæ vocabulum indiderunt. nomen hoc receptum Antverpiæ, Toloſæ, Rhotomagi in Gallia, Londini item in Anglia; tametſi Eliſabetha Angliæ Regina, ne videretur apographum Burſæ Antverpienſis, magnificum illud mercatorum ædificium *cambium* ſive *collybum regium* indigitarit, interdicto addito, ne quis diverſum appellaret; verùm nomen Burſæ penetravit, poſthabitoque interdicto adhuc hodiè ſuperat. *Grammaye* è Fachetio ſcribit, nomen Burſæ ideò his locis manſiſſe, quòd in Italiis cambiorum invaleſcente uſu, gratoque nundinantium compendio excogitato, hujuſce rei gratiâ Venetiis, itemque Neapoli, indictus communi mercatorum ſuffragio congreſſus nomine *Burſæ communis*, è qua ſi quis ſe ſubduceret, fidei periculum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

lum adibat, quod hodieque ſervatur. *Duæ* verò ſunt *Burſæ*; altera ANGLORVM, in gratiam gentis illius à S. P. Q. Ant. anno cIↃ IↃ L ſtructa; NOVA altera, geminâ turri horologiisque inſignis. frontiſpicio inſcriptio addita:

S. P. Q. A.

IN VSVM NEGOTIATORVM CVIVSCVNQVE NATIONIS AC LINGVAE, VRBISQVE ADEO SVAE ORNAMENTVM, ANNO M D XXXI A SOLO EXTRVI CVR.

Mundi anima ut rerum moderetur nummus habenas,
Terrasq; & tractus conciliet marium,
Diſce, hoſpes, toto quamvis diviſus ab orbe,
Hic tibi ſi nummus non peregrinus eris.

Elegans per omnia opus eſt, quadraginta & tribus è patrio marmore ſubſtructum columnis, quas diſſolvere nec ſæcula quidem videantur poſſe. longitudo in centum octoginta pedes protenditur, latitudo in centum quadraginta. Scribanius eleganter ædificii dat ſtructuram: Columnarum ſcapi, inquit, mutuum mutuâ elegantiâ lenocinium præſtant; ita ſinguli alio atque alio elucent ornatu, tamquam ſi ſingulis ſingulæ inaraſſent doctæ manus (quaſi facili ductilique terræ vomere aut rotâ:) ut mirum ſit potuiſſe in tot columnis tam divite varietate ludere ingenium unum, adeò diſcriminatâ paraturâ, ut cùm ſinguli ſuo ſtent cultu, nullumque ab aliis mutuentur, tùm mirâ ſimilitudine ſpectatoris oculos læto gratoque circumveniant dolo; dum quos primo obtutu cenſebant per omnia pares, propiore diſquiſitione, toto deprehendant, qui ſingulis inerrat, diſpares ornatu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ornatu. Hîc columnis triformes inſiſtunt arcus opere Gothico, ſaxeis paſſim foliis tam ſcitè interludentibus, ut provocare arbitreris omnem de peritia vetuſtatem. Sed & periſtylii fornix cum columnis de varietate & elegantiâ certat, tam raro varioque ductu, ut dubites varietas elegantiam, an hæc illam ſuperet. *Hæc ille; & verè.* Super porticus & pari cum iis ſpatio, ampliſſimæ ambulationes ſunt, tectæ, & tabernis undique plenæ; quas vocabant xyſtum pictorum, quia nimirum in iis proſtabant potiſſimùm tabulæ pictæ; verùm hodiè nihil eſt quod ibi videas, præter ſolitudinem, tabernaſque pulvere & araneorum telis benè veſtitas. Olim inter tot tamque diverſas nationes ſi obambulares, breviſſimo temporis ſpatio magnâ animi cum voluptate audire potuiſti ſex ſeptemve primarias linguas, de quibus hodiè altum ſilentium, omniumque privatio. Olim mercatores alienigenæ, ſicut & indigenæ, cùm manè, tum veſperè, ſtatis quibuſdam horis ad burſam Anglorum conveniebant, atque ibi horæ plus minus ſpatio, interfatu proxenetarum cujusvis linguæ, quorum ingens ibi erat numerus, potiſſimùm agebant de emptione & venditione omnis generis mercium: hinc ubi plus paulò adveſperarat, conferebant ſeſe ad burſam novam, ubi pari horario ſpatio, & eorumdem parariorum interventu, ſpeciatim de collybis agebant, deque uſuris ſive depoſitis. Verùm hodiè nec mercatoris, nec pararii heic viſio, nedum uſio. omnia eheu! à turbis inteſtinis ruinam & interitum, à fluctibus naufragium ſentiunt.

OOSTER-

OOSTERLINGANA ſive HANSATICA DOMVS, inſigne elegantiæ & opulentiæ monumentum, ſuperbo planè adſpectu & formâ, commodè poſitum inter duos canales in urbe nova; utrimque euripis ad maximas recipiendas naves clauditur, quæ huic domui prymneſio junctæ, merces percommodè exinanire & in eam trajicere poſſunt. Domus maximis Hanſaticarum civitatum & Reipublicæ ſumtibus conſtructa, uſibus quatuor Europæis emporiis, quæ antè confœderati mercatores Hanſæ Teutonicæ Brugis habuerunt. Sed eheu! quæ hodiè heic facies? *quantum mutatus ab illo* mercatus Mercuriusque? miles inhabitat, remque facit non dicendam. Spatioſam intus aream ambulacra bina quadratis innixa columnis cingunt: protenditur longitudo in ducentos & octoginta plus minus pedes; latitudo minor eſt. abſolvitur contabulationibus tribus. prior auguſtis laxisque in omnem partem ſervit atriis, merciumque cuſtodiæ. reliquæ trecenta complectuntur cubicula; inter quæ æſtivæ cœnationes & hypocauſta ampliſſima, venuſtiſſimis picturis & tapetibus ſcitè admodum veſtita, rarum opus, nec alibi in ulla gente, etſi Venetias viſum eas *domum Teutonicam il Fontego*. TVRRIS domui imminet Corinthio opere conſpicua ex vivo quadratoque ſaxo; quæ latè quaquà versùm, quidquid in urbe, quidquid in vicinis agris, flumineque, læto proſpectu retegit. ſummo in apice alatam & verſatilem aquilam, ventorum indicem, quæ quâvis circumagitur aurâ, oſtentat. Elogium adjiciam huic domui è Grammaye:

Auſtria-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Auſtriacam urbe domum quâ non eſt pulchrior ajunt,
Nec toto Auſtriacâ eſt pulchrior orbe domus.
Omen ineſt voci; vivat Germania, vivat.
Et quod in urbe domus, id ſit in orbe caput.

A Mercatorum contuberniis eamus ad *Artium manſiones*; ibi ut opes,ita hîc artes cogita & mirare. OFFICINAE VITRI primum locum do; putaris te in inſula Murano prope Venetias eſſe, ubi heic fueris. Scribanio præeunte hanc fornacem conficiam. Aeternus hîc ignis eſt, continuis fornacibus materiam liquantibus, cùm alia flatu figuratur, alia tamquam torno teritur, alia argenti modo cœlatur, alia denique auro opulentatur, tingitúrque colore quocumque,& ad quemcumque uſum;ad eſcaria etiam vaſa. nec eſt alia nunc materia ſequacior, in quam voles formam; ita ingenioſa ſolertia eſt. invenit heic in arena, in herbâ, in vario pulvere, quod ignibus provocaret in aliam aliamque faciem. In quo illud mihi ſuccurrit mirari,nihil pœnè non igne perfici.ignis accipit arenas, à quibus hîc vitrum; alibi argentum, minium, plumbum, alibi pigmentorum & medicamentorum genera fundit. Magis etiam mirandum in eadem materia aliud gigni primis ignibus, aliud ſecundis, aliud etiam tertiis, aliúdque non raró ſequentibus. Sanè Tiberio Principe vitri temperamentum variâ materiæ mixtione, ignísque certâ temperie, flexibile excogitatum fama fuit, officinámque abolitam, ac interdictum his ignibus, ne metallorum pretia detraherentur.

OFFICINA MONETARIA, ædificium planè regium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

regium, plurimis ferrariis nobile, plurimo auro & argento ſignando occupatiſſimum. cui inſcriptio; RERVM NERVVS PECVNIA.

CASTELLVM AQVARIVM, operoſum architectonicæ ædificium. In unam domum aqua cogitur, quæ exinde in omnes defluat officinas cereviſiarias, tantúmque ſinguli nullo labore admittant, quantum res poſtulat, nuſquam deficiente flumine. nec ingenti hîc morâ opus aut tempore, momento propè cujuſcumque ſitim explet: neque ſpem fallit mentita copia, aut exareſcit dives vena: quantúmque haurias, ſemper ſupereſt; ſemper reperies quod erogando ſufficiat etiam ſitientiſſimis cacabis, noctéque diéque omni, tot locis, tantâ urbe calentibus, bullientibus, haurientibus: quæ non huic civitati tantùm, ſed & vicinis ſufficiat. Fusè de his aquæ ductibus Antverpienſibus, ut & anthleis, machiníſque Cteſibicis, ſcripſit Scribanius *in Antverp. pag. 56, & ſeq.* quem, ſi placet, vide.

Transeo ad AVLAEORVM OFFICINAM. Domus ingenti ſumptu & auſu vendendis aulæis exædificata, quæ raritate ſuâ meritò per omnes eat ætates poſtumas. Patet in longitudinem pedes octoginta ſupra ducentos, reſpondétque operi latitudo, complectitur verò ambitu ſuo ſex & viginti loca, aulæorum reconditoria, ut arbitreris cellas promas omnium in hoc genere elegantiarum, opúmque nullo calculo metiendarum. ad oculorum quantumvis curioſiorum certiſſimum ſtuporem ita ſupra artem byſſo pleraque & auro gravida, dubium relinquunt, ars opulentiam, an hæc artem vincat.

Quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Quamquam ſi ex vero ſingula metienda, dicenda; perfacilè vicerim, nullâ olim vetuſtate ſuperatam, æquatam ſæculi noſtri artem nullâ. Veterum texta, ſi cum noſtris hîc comparentur, dixerim agraria illa eſſe, & in ſilvis nata; urbica hæc ſunt, & à ſummis ingeniis nata; *ait Scribanius.* imò hoc ſingulare, non reperiri parem in Europâ locum, tam divite conditorio, tam concinnâ commodáque in omnem venditionem oportunitate.

De reliquis urbis ædificiis, utpote ſeptuaginta quatuor pontibus, macellis, librâ publicâ, xyſtis pictorum, vaſculariorum, divite & viſendâ ſupellectile coruſcantibus, ne nimium dicam, dicere ſuperſedeo. Anhelo ad *octavum Orbis miraculum*, nobile illud TYPOGRAPHEION PLANTINIANVM, natum architypographo regio *Chriſtophoro Plantino*. Domus viſu & contemplatu digna; area interior ſupra januas oſtendit è ſaxo effigiem Chriſtophori Plantini, Iohannis Moreti, & Iuſti Lipſii cum ſymbolo: MORIBVS ANTIQVIS. Ipſa officina, ubi typi & XII *præla* ſudant, in ſingulos dies ſumtu *ſupra centenos aureos, (ut habet Guicciardinus,)* ita extollitur à *Scribanio:* Centum hîc propè characterum genera, nobile opus, & quod raritate & elegantiâ ſuâ admirationem provocet: ſunt Syriacorum duo, Hebræorum decem, Græcorum novem, Latinorum ſeptem & quadraginta, variarum linguarum & gentium reliqua: ſunt & Muſicorum plurima, omnicanæ modulationi commoda. extra hæc imagines æri ac ligno faberrimè inciſæ ſculptæque ingenti numero. Denique quidquid plurimis typo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

typographiæ prælis exſudatur, quidquid extruditur, adeò ad limam lineamq́ue redactum, ut nec ex libitinis malignißimis, nec ex inviſoribus peßimis quiſquam habeat quod merito deſideret. Inſpice quicumque artem amas, & vide quàm nitidâ locatione, quàm propè prodigiosâ emendatione, quàm tereti ambitu, quàm preſſâ rotunditate, quàm ſcito intervallo mutuum ſplendorem augeant; quàm nullâ protubulatione è reliquorum cœtu quidquam emineat: an non laudabis tam numerosâ induſtriâ multiſcios, tam emendatæ peritiæ, tot utenſilium arti ſubſervientium Dædalos? Scio in omni propè gente floruiſſe in hac arte nobiles; novi è Latio Manutios, è Germania Frobenios, è Gallia Stephanos; at unius Plantini nomen omnium tenebravit nomina. Vt omnia hujus magna, nihil majus fuit Bibliis Regiis, è Latio, Græciâ, Palæſtinâ, Chaldæâ, Syriâ, hac obſtetriciâ operâ natis. Longum eſſet diſcretim ſingula, ſatis eſt coacervatim tetigiſſe.

A Plantino ad RVBENIVM te ducam, vivum Europæ miraculum. Ingenua artificis humanitas non negabit artem, humanæ æmulam naturæ videas. quæ ibi ſculpta, cælata, pictaq́ue vidi, cogitatione, non calamo habeo. Vnius tabulæ ſit mentio, æſtimii ſupra quinque mill. florenorum; opus natum auctore Rubenio, repræſentans judicium in die Domini magnum. ſuperiùs, cœli amœna, corporumq́ue ad ea volatus: alios in cœlo gaudio diffluere; alios apud inferos torqueri; hîc corporum raptus, inferorum gurges, mixtæ infelici interitu maribus

fœmi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

fœminæ, juvenes ſenibus. ita ut ſpectatorem ſuum tormenta terreant, & alliciant gaudia. Præter hanc, viginti & plures tabulas Pariſios deferendas, impenſis Reginæ matris, manu & operâ Rubenii pictas vidimus; alias alias, ſilentio potiùs quàm calamo à nobis fingendas. Supereſt palatium magnificum *Simonis Roderigi, Baronis de Rodes;* in quod intromiſſus contemplare hortum aurantiis & citriis malis virentem, fontes & ſtatuas aquas evomentes inſidioſè, vide, cauteque declina.

His omnibus viſis, feſſus fortè te recipe ad *tabernam vinariam, aux mille moyens, 't huys van duyſent middelen.* ſumtus grandes à prodigis quandoque hîc locantur; ſed parciùs & frugi honeſtiores vivere poſſunt, horámque licitæ dare voluptati & jocis convenientibus.

Ita materiale inanimatum fuit: ANIMATUM reſtat. quod in *frequentia incolarum, nationumq; diverſitate* conſiſtit. Cum Scribanio decurram per capita, & non niſi punctuatim, quaſi per ſummum verticem, aut capillum, ſingula. Frequentatiſſimos annos reperio, quinquageſimum ſextum, & qui ſequuntur, in ſeptuageſimum ſeptimum. Erant urbem incolentium ſupra centum millia. deſumam in hujus rei fidem è veteri codice anni 1568 numerum. cenſa illo anno civium capita: in prima regione ſeu tribu 6239: in ſecunda 5929: in tertia 6124: in quarta 6512: in quinta 5218: in ſexta 5810: in ſeptima 9627: in octava 6943: in nona 7419: in decima 7529: in undecima 7234: in duodecima 7164: in decima tertia 8248. capita ergo univerſim 89996. Hæc civium. (tre-

decim

decim ſunt urbis vici, quos *Wijcken* appellant. ad quorum numerum hic factus eſt capitum numerus.) Erant inſuper eodem anno variarum hîc gentium familiæ, quæ domicilio locum delegerant. capita in his 14985. Erant proinde capita 104981. Atque hæc extra nautas, quorum ingens numerus in navibus. Erant ſuper hæc in ſuburbiis capitum 50 millia, quibus jus civitatis, non ſecus ac in urbe natis. Iam peregrè adventantes quis enumeret? anno cIↃ-IↃ XLIX, LVI, LIX, LXI, numerata civium & aliunde accedentium capita ſupra cc millia. nemo mirabitur, qui cogitaverit, quanti heic è variâ gente Germani, Hiſpani, Luſitani, Angli, Genuenſes, Florentini, Mediolanenſes, Lucenſes, Piſani, quantique è reliquis Italiæ, adeoque & Galliæ urbibus: ſanè è ſola Hiſpania trecentas aliquando incoluiſſe hanc urbem familias accepimus, potentes plerasque, & quæ ingentes ſecum opes traherent. Quid quod ſtatâ bis de die horâ, meridianâ & claudente diem, ſupra quinque hominum millia, in deſtinatum negotiationi locum convenire ſolita? numerat Guicciardinus ccc ætate ſuâ pictores, ſartores icc, aurifabros cxxiv, chirurgos cx, piſtores cLxix, omnes familiarum ductores, & arte ſuâ magiſtros. Ex hac frequentia olim, ubi florem Antverpia oſtendebat orbi ſuum, numeratæ ſunt *naves* non ſemel in flumine bis mille & quingentæ, in anchoris ſtantes, duas, tres etiam ſeptimanas, priusquam terram aut tenerent cominus, aut onere ſe levarent; nec erat dies, quâ non quingentæ minimùm adnavigarent, aut enavigarent, omnium generum mer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cibus onuſtæ: ac uno non rarò maris æſtu cccc appuliſſe jucundum fuit videre. Iam *currus* vix fidem inveniant. nulla dies non ducentos vidit vectoribus gravidos: taceo Germanica plauſtra, Hanſatica, Lotharingica, Gallica, quæ nullâ non ſeptimanâ millia adæquarent, ſub amico pondere gementia: taceo ruſticos *carros* omnis rei commeatuum deportantes, qui hebdomadatim decem millia ſuperarent: taceo in animorum laxamentum, in luxum etiam faſtumque deſtinatas *rhedas* facilè quingentas: quæ ſingula olim quanta fuerint, quis non cum gemitu cogitet, exclamétve, Antverpia fuit! Hîc abrumpo *materiale* urbis. ad FORMALE itio eſt; & id in ſtatu *pacifico* & *turbato*. Pacis florem videmus in *regimine Magiſtratus*, & *ſubditorum obedientia*. Magiſtratûs heîc *dignitates* & *Iuſtitiæ adminiſtratio*. Scribanius fuſum caput de his habet in ſuis Orig. Antverpiæ; ut & Guicciardinus heic non ſterilis. eapropter breves hîc erimus, lectorem eò remittentes. *Dignitates Magiſtratûs* ſunt vel *ſuperioris, vel inferioris*. Superior reſpicit VRBIS PRAEFECTOS, CONSVLES, SCABINOS, QVAESTORES. Singulorum videbimus numerum & officia. Præfecti *duo* ſunt, alter MARCHIO, AMANNVS alter.

Marchio, apud Romanos Triumvir Capitalis, nomen defert, crimina aut maleficia privata publicáve denuntiat, jus poſcit, (nullum dicit,) datum exſequitur; & quidquid publicam quietem tangit, ſeriò curat.

Amannus eadem quæ Marchio peragit, ſed in alio actionum genere, civili nimirum, idque priva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

privatorum: ejus curæ omnis privatarum civilium actionum diſquiſitio commiſſa eſt, facultasque Senatum ſuper his conveniendi, jus poſcendi, judicatum exſequendi.

CONSVLES DVO ſunt, (qui & Burgi-magiſtri dicuntur, quaſi Magiſtri civium:) *Externus. de buyten-Borgemeeſter*, ad res externas; quia nempe præcipuum ejus munus, peregrè ſæpe abeſſe, & in aula cum terræ Ordinibus incidentia quæque negotia pertractare: *Internus, de binnen-Borgemeeſter*, ad res urbanas; proprium ejus officium in urbe ſemper adeſſe, gerereque præcipuam ejus regendæ curam, & civibus exterisque præbere aures.

SCABINI, qui ſunt Senatores, numero XIIX, è quibus *Conſul internus* unus, princepsque reliquorum, omnes juri dicendo præſunt. In hunc ordinem Senatorium NEMO extra Brabantiam natus adlegi poteſt, nimirum ut arctiore nexu Patriæ inſertus, nec externa cogitet, extraneo lactatus ubere. NEMO alieno toro natus. etiam in parente labes vitanda, ne quis aut à ſemine virus hauriat, aut degeneris frutex arboris, adultero originis fetu maculetur. NEMO adulter. quod ſi adlecto advenerit, abdicatione crimen luit, è veteri ſanctione. *Non poſſum è Scribanio rationes præterire.* Quod enim ſcelus damnet, indulgens ſibi? aut quâ excandicabit, nec quidquam de reciduo fruticare permittet, conjugalis corporis defraudator? quomodo exhibebit linguam famulam in caſtimoniam juſtitiæ, qui membra ſua famula exhibuit immunditiæ? non poteſt jaculari cum Apoſtolo juſtam ſententiam in luxu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

riæ & libidinis negotia, qui impuro alieno incendio ignes exſtinguit ſuos, qui corpus ſuum ſpeluncam facit mœchiæ, quique aliter quàm nuptiis illo uſus. NEMO Principi muneris alterius jurejurando obſtrictus. cùm non rarò intercurrant, quæ utrumque haut patiantur. NVLLI patrueles, matrueles nulli, aut de vicinitate ſanguinis innexi; ne cognatus ſanguis cognatas de civium capite ſententias eliciat; nec tam facinoris magnitudo, quàm agnationis cæcus impetus trahat in ſanguinem. NEMO qui non annum antè ſolidum civitate donatus; quò firmiùs coaduleſcat urbi, fertili immiſſus trunco, cujus opimitati reſpondeat; ne, ſi externo inſeratur nucleo, aſper oleaſter pro miti olivâ exoriatur; &, dum de peregrino fructificat, ſilveſcat in hac area. NVLLI è plebe in Senatorium ordinem adleguntur. Magnum apud Romanos ſeminarium turbarum, mixtim Senatum legi è Patribus plebeque: nec ſemel puditum, cum plebe honores communicaſſe, pareſque ſummis infimos feciſſe. NEMO auro aditum ſibi ad Senatorios faciat honores. ac ne prece quidem, quod & ſanctiſſimo interpoſito jurejurando firmatur à ſingulis auſpiciorum die. Nam qui alterius vitæ neciſque poteſtatem pretio paravit, quam adferre in ferendis ſententiis integritatem poteſt? Aurum qui profudit, aurum ſperat; neque enim de nihilo erogatur illud: nam & largitiones plurimùm majora ſpectant: aut quiſquam facilè fruſtratorium profudit aurum? Hamus hic eſt, eſcaque vilis, in ſpem majorum. ne fidite. Quam ſpem dabit incorruptæ mentis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tis, qui à corruptelâ initium duxit?

QVAESTORES ſeu PRAEFECTI AERARII, quibus ad triennium omnis ærarii adminiſtratio credita, TRES ſunt. Inter quos primus è Senatorio, duo reliqui è civium ſunt numero & ordine. Delectûs formulam, quia rara, è Scribanio adjiciam. Tres Senatorii ordinis, à Senatu deſignantur; è quibus *Decuriones* corporum Civitatis, vulgò *ambachten*, in tres principes tribus relati, unum deligunt. Hic *Quæſtor* ſcilicet *Præfectus ærarii* eſt, diciq́ue Senatorius poteſt, cum è Senatorio ordine deſumatur. In inferiorum delectu pugnat ex diametro cum priore modus. Decuriones enim, tres ordinis ſui deſignant, è quibus Senatores unum deligunt. hic plebeius dici poteſt: qui ubi triennium munus obivit, altero triennio plebeji ſeu ſecundi *Quæſtoris* ac *Præfecti ærarii* munere fungitur, ac demum ſexennio expleto magiſtratu abit.

Superiori huic Senatorum ordini accenſentur DVO PENSIONARII, à penſione ſive ſalario dicti, quod de publico ipſis ſtatutum eſt. Doctor vel Licentiatus Iuris hunc locum coronat. Alibi audiunt Syndici. Procurant cauſas, omnes urbanas; & quotiescunque res poſtulat, domi foriſq́ue habent Orationes; unde Conſuli ad res externas unus aſſiduus eſt comes in conſiliis ineundis, ſcriptiſq́ue conficiundis: Ob id perennes, apud Principes, Exteroſq́ue, publicæ voluntatis dicuntur interpretes, ac quaſi perpetua quædam memoriæ ac diſpoſitionum in Republ. ſcrinia.

GRAPHIARII item QVATVOR. Eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

munus ſententias & actus judiciales in civilibus ſubſcribere, litigantium poſtulationes referre in codices publicos, jura hinc inde producta cuſtodire, curam libellorum ſupplicum habere. Quibus ſcribæ ſex aſſignati miniſteria faciunt.

A SECRETIS item QVATVOR, qui abſentibus Syndicis eadem ferè cum illis obeunt munia; cuſtodes parvi ſigilli: conficiunt contractuum inſtrumenta, ſubſcribunt criminalium rerum decretis: His duodecim ſcribæ ſunt adminiſtri.

INFERIOR MAGISTRATVS creatur à ſupremo ſine ullis delegatorum ab aula ſuffragiis. Inque tres ordines poteſt dividi. *Primus* complectitur viros omnes conſulares, qui functi ſunt Scabinatu, & minoribus poſtea Magiſtratibus præſunt. *Secundus* conſtat ſex & viginti civium Capitaneis, binis nempe in ſingulas urbis regiones, & quatuor viris nobilibus. *Tertius* eſt Collegiorum ordo, *de Gülden;* & quinquaginta quatuor Decurionibus conſtat, quorum bini ſingulis præſunt opificum in hac urbe collegiis. Varia horum munia, & officia, ut & nomina, apud Guicciardinum & Scribanium legere poteſt lector. cui paucis IVSTITIAE ADMINISTRATIONEM oſtendam. Ius omne, aſſerit Scribanius, cujus laxiſſima ſpatia cognitionem & exſecutionem rerum in quæſtionem vocatarum ambitu ſuo complectuntur, prudenti Principum noſtrorum conſilio, bipartitò diviſum; ut cognitionem omnem tàm capitalium quàm civilium mixtarumque rerum *Senatui*, denuntiationem & exſecutio-

ſecutionem *Marchioni* & *Amanno* demandarent: neque tamen hanc omnem, aut promiſcuè, aut uni: ſed, *Marchioni*, quidquid ubique criminis aut maleficii aut ſanè publici juris eſſet; *Amanno*, quidquid extra crimen, privatorum jus faſque tangeret: ne, ſi omnis juris latitudo in uno reſideret, in nimiam metuendamque potentiam excreſceret; ſimul etiam, quò cuique certiùs jus ſuum conſtaret, quod non ab unius voluntate, ſed à plurium, impoſiti inter ſe muneris quadam æmulâ concertatione pugnantium, dependeret. *Vide Guicciard. fuse in fol. pag. 93. & ſeq.*

Ad SVBDITOS eo. Horum dotes *naturâ* & *arte* dabimus, cum auctario *morum animi* & *corporis*. NATVRA viri ſunt mirè humani, civiles, ingenioſi, & qui promtè admodum imitentur exteros, contrahantque ex facili cum illis ipſis affinitatem. Mundi & in eo itinerum gnari, ac magnam partem, ne fœminis quidem exceptis, etiamſi numquam peregrinati ſint, ternis quaterniſve linguis dotati: ne quid addam de iis, qui quinas eas habent, imò & ſenas, imò ſeptenas. Non profectò non utilem modò, verùm etiam admirabilem, nec in aliâ ullâ provinciâ, nedum urbe, reperiendam. *Guicciard. heic.* Erga exteros nusquam gentium major hoſpitalitas, nusquam frequentior, nusquam dulcior inter ipſos converſatio. in qua nec leporis nec joci, nec fabularum, nec cantionum, nec chorearum condimenta deſiderantur. Cives à puero indole liberali, &, niſi parentum indulgentia adulteret, candidi & artium capaces. Viri ſunt Mercuriales, induſtrii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſolentes; fœminæ tenaciores, ſedulæ, familiares, cum aliquo tamen faſtu: pueri tenelli, educatione magis quàm natalibus; ad quidvis tamen formabiles: puellæ lepidiuſculę, comptulæ, donec marito in manum dentur; nec operoſæ, nec otioſæ nimiùm; plurimùm pallidulæ & graciles. *ita Grammaye.* Scribanius de univerſis Belgarum ingeniis affirmat, ad omnes artes ſcientiasque à natura facta, ut nec ad penetrandum difficilia acies viresque deſint: cùm Belgica conſtitutio ferè ſanguinea ſit, omnium temperamentorum nobiliſſima. cui cùm accedat aliquid melancholiæ quaſi terreum, quò quæ impreſſeris tenaciùs adhæreant; choleræ etiam quantum ſatis eſt ad res magnas aut audendas, aut finiendas: fit ut Belgica conſtitutio non facilè cuivis cedat. Neque enim opprimitur phlegmate, ut quarumdam nationum aliarum, ac mulierum ut plurimùm, quò minùs capeſſendis ſcientiis idonea. Belgas proinde cùm nobiliſſimæ temperaturæ videamus, in qua & probatiſſimus ſanguis vitę principium ac quaſi vehiculum dominetur, & melancholia fluxum illius, innatâ ſibi ſiccitate, ſiſtat reprimatque, & cholera animos addat, & permiſtum phlegma, tamquam ſuffuſo frigore calorem temperet; quis de ingenio dubitabit? *Tantum Scriban. in Antverp. & dicta exemplis firmat.* Ab ingenio natæ ſunt *induſtria in mercatura;* unde opes: *artes in mechanicis;* unde fama. Opes certè condit Antverpia immenſas. quàm alacri animo in rebus etiam deſperatis quodammodo fortunas ſuas in rem ſui Principis expoſuit ſemper? quàm incredibili promtitudine, ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

uſus popoſcit, argenti atque auri vim incomparabilem, bellorum ſcilicet nervos, vel minimo negotio & quaſi momento deprompſit? Hinc Franciſcum I Gall. Regem, quòd ad Monarchiæ faſtigium pervenire minùs poſſet, *tria tantùm obſtare*, ſæpenumerò teſtari ſolitum referunt; *perpetuam nimirum ac mirificam in Imperatore Carolo vigilantiam; populi ſui erga eum fidem ſpectatiſſimam; &, quod caput erat, Antverpiæ civitatis emporium, totius orbis celeberrimum atque nobiliſſimum.* Vnde Euphormio *lib.* 2. appellat urbem ubi nundinæ agebantur. Verè. L'hiſtoire des Eſtats ſubſcribit: *Avant le revolte des pays-bas c'eſtoit un lieu de grand trafic, & de telle importance, qu'on y faiſoit plus d'affaires en un mois, qu'à Veniſe en deux années.* Vnde *Mundi excambium* audiebat. Carolus V Imperator ſine detrimento noxáve negotiationis trecentas auri tonnas numeratæ monetæ ſibi ſolvi in hac urbe vidit. quæ res reſponſum Franciſco I fecit, cum hic Carolo opes Pariſienſium pontibus impoſitas monſtraret; Mihi, ait Carolus, una urbs unusque civis ſubjacent, (*Antverpia* ſcilicet, & *Fuggerus,*) qui ſingulis diebus tantum ſunt ſolvendo. Scribanius vidit, vix ſolidis diebus viginti, ingenti auſu, è privati nobilis negotiatoris manu ſupra ſeptingenta aureorum millia in militaria erogari ſtipendia: vidit deinde ab eadem manu, menſe uno auri millionē unum; ab eadem denique menſibus non tribus integris, portentoſo conatu, auri milliones duos, & ſuper hæc aureorum ſeptingenta millia. Vis propiùs aliquid? intuere civilia hæc bella. ab-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

erraſſene credes à vero, qui ducentos auri milliones ab hac domeſtica ſanguinaria charybde inenatabali impactos profundo dixerit? *Cap.* VIII *in Orig. Scriban.* Nullo non anno quingentos argenti milliones, auri nimirum centum triginta tres, & quod excurrit, in rerum emptionibus venditionibusque erogatos accuratiore disquiſitione invênit. atque hoc extra campſualem pecuniam, illam reciprocam & tamquam adlabentis relabentisque oceani æſtu adfluentem refluentemque ſtatâ acceſſione & fugâ, dum per univerſum orbem inambulat fenerario itu redituque. Fuit hoc: hodiè naufragii, quod mercatura hîc paſſa eſt, paucæ ſuperſunt tabulæ. ita nihil ſtabile, nihil perpetuum.

ARTES ab hac urbe, tamquam à matrice, quis enumeret? *Pictoriam, ſculptoriam, cælatoriam, inciſoriam, architectonicam,* fuſo calamo ſcriptas apud Scribanium & Guicciardinum lege. Liberaliſſimarum artium hîc non minor negotiatio: nam in una hac urbe *ludi* fuerunt *ſupra* CL: omnium ſcientiarum linguarumque vernacula domicilia: hinc plerique antequam pedem urbe extulerint, omnium loquuntur linguis: nec viris hoc tantùm, ſed & mulieribus perfamiliare eſt. *Scriban. cap.* VIII *in Orig.*

Mores in *victu, cultu & vultu*, en paucis. *Guicciardinus* dicit: Hodiè, licet infimatium aliqua pars, & rigidiores nonnulli, antiquam ſervent in victu parcimoniam, promiſcuè tamen ſplendidè ſumtuoſeque, imò forte præterquam decori ratio poſtulet, in Antverpia vivitur.

vitur. Cultus tam virorum, quàm fœminarum, in quavis ætate magnificus, & novâ peregrinâque ſubindè formâ concinnus. Cæterùm multi ſplendidiùs longè & ſumtuoſiùs induuntur, quàm civilitas & honeſtas permittant. Videas inſuper ſingulis pœnè horis convivia, nuptias, choreas: audias paſſim ſonos, cantus & ſtrepitus: &, ut paucis complectar, omnibus prorſus modis omniqúe ratione ſeſe prodit potentia, opulentia, pompa & ſplendor hujus urbis. *Scribanius ſequiorem ſexum propiùs tangit, & format:* In omni corporis habitudine digna elucet VIRO gravitas: hinc nihil in voce, alloquio, oculorum aut lateris jactatione quod levitatem ſapiat. Teſtudinem cogita, fidium concentu nobilem: ita ad artem omnes & ad regulam compoſiti. Certant cum viris NVPTAE, ac prope majeſtate vincunt; certant VIRGINES. Magna ubique majeſtas oculorum, inceſſus, oris, veſtium: in quibus nihil, quod libidinis negotium curet. nulla hîc purpura multo ſaturata conchylio, intexta auro, coloribus diſtincta; aut ſanè non niſi perquàm rara. Plurimùm pullâ veſte gaudent: & reſpondet innatæ morum gravitati & modeſtiæ: veſtitus enim pudoris prænuntius eſt: nam mores ferè habitus prænuntiat. gravitatem ergo heic, & quamdam maturitatem ſapit. nihil leve, nihil quod matronalem, nihil quod virginalem pudicitiam dedecorat. Omnium habitus ſeveritatem redolet, & pudicitiam teſtatur; ut reliqua taceam. Quòd ſi quæ ſtrictiùs procedant, vel natalium, vel dignitatum, vel divitiarum cauſsâ; ita temperant, ut prætextu neceſſi-

neceſſitatis, nihil laſciviam ſapiat, ne virorum quemquam petulantiâ ſuâ vulnerent. magiſque, quò propiùs intueberis, videbis tales ſerico probitatis, pudicitiæ byſſo, quàm voluptatis indutas. Vultus verò in pleriſque omnibus tranquillus & placidus; frons pura, nullâ aut mœroris ſupervacui, aut effuſioris motûs rugoſitate contractior: oculi in lætum æquè ac ſeveritatem remiſſi: os modeſtiâ & tranquillitate ſignatum: verba aperta & recta, & quæ ferè pectus prodant, ab omni arte alienum. Deniq; tota habitudo ſeveritatem potiùs quàm alium minùs compoſitum præfert affectum. Nihil heic leve, nihil quod raritate & peregrinitate ſuâ alliciat; ſed maturo quodam ingenitæ gravitatis pondere caſtimoniam ſingula ſpirant;ut vidiſſe ad honeſtatem ſatis ſit. Quòd ſi quis arſerit hoc igne, ſolo earum aſpectu, tamquam flumine, reſtinguitur incendium. Hoc audeo:nihil me vel in moribus vidiſſe maturius, vel in oculis caſtius, vel in vultu modeſtius, vel in ore tenerius, vel in inceſſu temperantius, vel in colloquio circumſpectius, vel in totius corporis conſtitutione magis ad regulam. Nulla autem inter has otioſa; otium favilla libidinis. nulla hîc vinoſa; vinum laſciviæ fomes. nulla frequens in contuberniis; per hæc irrepunt verba pudoris inimica. *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.*

His adjiciam *mores nuptiales, natales* & *funerales*. NVPTIAE fiunt nimisquàm ſumtuoſæ. Excipiuntur opiparis cœnis, idque per triduum, utriusque partis cognati atque adfines. Sponſus magnificè prorſus excolitur; ſponſa magni-

magnificentiùs, mutatâ indies per triduum illud veſte, ceteroq́ue omni ornatu. Si contingat aliquos ſponſos tam diu in matrimonio vivere, nuptiæ quinquageſimo anno exacto magnâ ſolemnitate & gaudio repetuntur, ac veluti renovantur. Quicumque è civibus matrimonium contrahit, & conſummat extra territorium Antverpienſe absque Conſulum alterius conſenſu, is ipſo facto amittit jus civitatis, etiamſi vel primo à nuptiis die revertatur, ſeq́ue in urbe habitaturum contendat. at pecuniâ tamen & gratiâ facilè id quod amiſſum eſt recuperatur. Civis, qui cum uxore & liberis per ſex cōtinuas ſeptimanas, Conſule inconſulto, habitaverit extra territorium urbis, privabitur proculdubiò civitate: Iuvenis verò matrimonii expers, etiam ſine veniâ, liberè poteſt ubicumque & quousque placuerit peregrinari, nec in pœnam ullam iccircò incurrit. Civis qui aliò transfert familiam, privilegia civitatis amittit: niſi tamen denuntiarit accenſeri ſe velle civibus ſuburbanis: duplices enim hîc cives, urbani & ſuburbani. teſtificatus ſe civem ſuburbanum, & ſedes ſuas commutaturum, quas ne ſic quidem extra quadrantem Antverpiæ vel imperii ſacri Marchionatum licet transferre, tenetur quotannis ut minimùm ſemel ad ipſam urbem & in eâ ſacram ſynaxin accedere, tum florenum reipublicæ pendere: quo præſtito, privilegia ſibi illibata conſervat. Civis Antverpienſis, vel & quilibet Brabantinus, ſi plus anno in urbe commoratus ſit, & in alium quemvis Brabantiæ locum ſedes ſuas tranſtulerit, reipublicæ ſolvit ſtabilium quorumcumque

bono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

bonorum viceſimam: ſi migraverit extra Brabantiam, duplicabitur illi vectigal, & decimam ipſam dependet. unde exemti tamen ſunt ii, qui in ea ſive Brabantiæ ſive extranea loca demigrant, quæ, factâ cum hac urbe transactione, adepta ſunt hujus tributi immunitatem, qualia nominatim ſunt Lira, Bergezomium, Breda, & Middelburgum Zelandiæ.

In PVERPERIIS & parvulorum baptiſmatis magna & ſumtuoſa celebrantur ſolemnia. Offert uterque parens initialis puerperæ bella quædam munuſcula,& ab eâ partu levatâ convivio rursùs excipitur. Sed, quod maximè notes, uſitatum eſt hiſce hominibus arbitros ſacro fonti adhibere etiam patres & matres, fratres item & ſorores, imò interdum & liberos. quæ res niti magis videtur veteri conſuetudine, quàm eccleſiaſticâ auctoritate.

FVNERVM ſolemnia magno admodum ſumtu multaque in pauperes beneficentiâperaguntur, perſolutis defuncto juſtis. exhibetur deinde, oblitterando utcumque dolori, propinquis & familiarium intimis ſplendidum & magnificum epulum: ceteri verò qui prodierunt in funus,ſextario vini & oryzæ lacti incoctæ patinâ ſinguli ferè donantur.

Tantum de incrementis hujus Reipub. in ſtatu pacifico acquiſitis. IMMINVTIO ejuſdem in TVRBATO eſt, per *flammam, ſeditionem, & bella.* tribus dicemus. *Flamma* aliquando nobiliſſimas plateas depaſta eſt; negotiationis domum, qualem nulla viderunt regna parem; arcem, nullibi in Europâ validius propugnaculum; ſenatoriam do-

mum,

mum, & ſeptingentas privatorum ædes; templum D. Virgini ſacratum, quod tamen ſurrexit auguſtius. *Seditio* anno 1554 popularis propemodum tragica evênit, maximeque patribus patriæ adverſa; conſtantiâ tamen & probitate honeſtiorum civium ſedata. Hiſtoriam habet Guicciard. & Thuanus. *Bella* intra & extra mœnia, à diverſis diverſa. Sævijt alter ferro, igne, rapinis, ſtupris. Furias ex orco aſcendiſſe & Antverpiam intraſſe dices, lector, ubi crudelia Hiſpanorum facta leges *apud Meteran. lib.* VI, *pag.* 242 *& ſeqq. Thuanum lib.* LXII, anno cIↃ IↃ LXXVI. Volebant urbem flammâ, cives ſanguine, vitâ, famâ perire, niſi Deus obſtitiſſet, pœnasque mitigaſſet. nec uſque dum

— quæ tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,

hodie ex illo morbo revaluit. Summa petierat; media ubi attigerat, mox in præcipiti præcipitium. Notent exemplum hodie urbes, divitiis & populo affluentes, ſimilemque caſum timeant. nam irruunt ejusmodi caſus, aut Dei imperio laſciviam & faſtum depreſſuri; aut ab opibus & grandi populo diffidia & in partes ſectiones. Concludamus cum Scaligeri elogio, & Scribanii monumentis. Illud eſt:

Oppida quot ſpectant oculo me torva ſiniſtro,
Tot nos invidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum eſt, operoſa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetûm vaſta, Toloſa potens.
Omnigena merces, artes priſcaque novaque,
Quorum inſunt aliis ſingula, cuncta mihi.

Iſtud

Iſtud eſt:

BELGIVM orbis ANNVLVS,
ANNVLIQVE hujus GEMMA
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis OCVLVS,
OCVLIQVE hujus PVPVLA
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis NEMVS,
NEMORISQVE hujus LAVRVS
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis PARADISVS,
PARADISIQVE hujus DELICIAE
ANTVERPIA.
BELGIVM orbis COELVM,
COELIQVE hujus SOL
ANTVERPIA.

Antverpiam quatriduum viſu & uſu habitam non ſine affectu reliquimus, navigio *Mechliniam*,

—— locum reliquis ubi jura Brabantis
Dant proceres, plenamq; ipſam pictoribus urbem,

petentes. jucunda navigatio fuit, Scaldi tranquillâ, cœlo ſereno. *Rupelmundâ* ad dexteram cum Scaldi declinatâ, & Abbatiâ amplâ Bernhardi, circuitus cujus unum milliare; flumine DELIA vecti; propugnacula ſex ultrò citroque ad ripam habuimus, Mechliniam uſque. ubi prandium lautum, ſed ſumtuoſum, in *interſignio* ROMAE; ſtomachus prandio benè habiturus, labore priùs exercendus erat; ea propter mox ad adventum, urbis *materiale* & *formale* nobis in oculis & mente.

MECHLI.

MECHLINIA.

GAllis *Malines*. Exigua habet initia, nec ita longi temporis tractu in eam, quâ nunc eſt, amplitudinem excrevit. quondam enim hoc loco nihil fuit, præter ædes illas veteris ſtructuræ juxta Remboldi ſacellulum, ad quas, medio ſcilicet itinere inter Bruxellas & Antverpiam, peregrinantes divertebant. His pro inſigni erat *D. Michaël* Archangelus, aut, ut alii volunt, hoſpitis nomen erat *Michaël*, quod vernaculo ſono *Machiel* efferunt; & inde nomen urbi manaſſe, detorto paulatim in *Machelen* vocabulo. Alii aliam, ſed magis poëticam, derivationem tradunt.

Quibus relictis ad materiale urbis imus; ejus SITVM & PARTES luſtraturi. A ſitu non ineptè *meditullium* Brabantiæ dici poteſt, Lovanio, Bruxellâ, Antverpiâque, tot clariſſimis ſimul urbibus intercluſum, & undiq; quatuor milliaribus diſtans. quam tetrapolim qui circumſpexerit, is juſtam trianguli formam efficiet. Loco plano, in agro fertili, terrâ levi, ac ſubarenoſa, omnigenûm fructuum feraci, modò debitus cultus impendatur; dicit *Ortelius*. Gaudet mirâ cœli temperie, & ſalubritate. unde Philippus I & Carolus V heic educati. *Fluvius Delia* mediam ſecat interluitque. ſatis amplus, marino æſtu, ad leucæ ſupra Mechliniam ſpatium procedente, mirum in modum intumeſcit, ita quidem ut in complures ramos & veluti alveos ſive canales dividatur; plurimis intra urbem pontibus ſtratus, & ſatis multas in eâ efficiens inſulas, templorumque & domuum pri-

vata-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vatarum pulchrè & oportunè diſtinctas areas. Validiſſimè *munita* eſt *mœnibus* & *aquarum copiâ*, quæ quotiescunque uſus & neceſſitas requirit, circumjacentem agrum magna ex parte inundare faciunt, ita ut dum hoſtis ſupra caput & Annibal ante portas eſt, patefactis oſtiis, viciniam omnem, diffuſis aquis vaſti lacûs inſtar, cives complere poſſint atque hoc pacto hoſtem intercludere.

PARTES ſunt PLATEAE & AEDIFICIA. Illæ ſunt amplæ, mundæ; & eleganti diſpoſitione, pontibus lapideis, admirandæ. Iſta, *divinis* & *humanis uſibus* dicata, non minùs ſumtuoſa quàm egregia. *Septem* numerabis *parœcias*, templis ſuis inſignes. Cathedralis inſcripta eſt Rumoldo; ſub Philippo II in Archiepiſcopatum evecta, primo Antiſtite Antonio Perenotto Cardinale, apud Cæſaream & Regiam Majeſtatem toto & ferè unico conſiliorum arbitro, inſtituto, ut videre eſt *apud Meteran. lib.* 11. Ædificium egregium, præaltâ turri, etſi necdum ad colophonem perductâ, conſpicuum, unde in plurimas civitates undique, pagos multos, campos latiſſimè lætiſſimeque circumjacentes, jucundus patet proſpectus. Suſpenſæ ibi grandes minoresque campanæ, apto ſonorum temperamento concentum harmonicum horis ſingulis edunt & præcinunt. In ipſa æde, intentiori oculo *fornices, ſacella, columnas, organum, altare* affabrè è ligno, *chorum*, & in eo inſignia aurei velleris, *ſepulchrum ſanctum, Cardinalis Borromæi effigiem*, vide. Monumentum nec præteri *Iani Bernartii*; ubi monitum: FAC QVOD VELLES FECISSE MORITVRVS.

Cœnobia

Cœnobia multa & varii ordinis. FRANCISCANORVM, non elegantiâ minùs, quàm capacitate & amplitudine omnium univerſi Belgii habetur pulcherrimum & abſolutiſſimum: *Pitzemburgenſe*, nobiliſſimi ordinis Equitum Teutonicorum: *Capuccinorum, Carmelitarum, Carthuſianorum*, & aliorum. Inter virginum monaſteria *Clariſſarum*, amplum & pulchrum, nec ulli ordinis ejus cœnobio facilè cedens. Quâ Antverpiam itur, ad portam Catharinianam, urbi Mechliniæ conjunctus fuit ampliſſimus circus, caſtelli inſtar, muro clauſus, domiciliis plenus, frequentiſſimo mulierum conventu plus minus ſeſqui mille celebris, quæ religionis ergò eò conceſſerant, lanâ ac telâ victum quæritantes; libertate fruentes ut nemine contradicente exire inde & nubere potuerint. modò cœnobium hoc, quòd urbi nimis vicinum, per hæc bella civilia ſolo æquatum eſt. *Politicæ* ſtructuræ ſunt, *curia, parlamentum, macellum, halla textorum, fons in foro.* Præ reliquis ARMAMENTARIVM, receptaculum tormentorum & munitionum Principis. Olim ſtructiſſimum erat tot tormentis æreis, ferreis; tot machinis belliciſque inſtrumentis, puta navibus, pontonibus, carris; tantâ re caſtrenſi & militari ſupellectile affluens, tot operariis fabriſque plenum, ut ſpectatoribus cauſa fuerit admirationum. Verùm hodie vacuum maximam partem, raroque fuſiones tormentorum exhibentur. *Palatia* & ædes magnatum non deſunt, *Hochſtratanum, Cæſareum* ſub Carolo V celebre, *Naſſovium, Egmondanum, Arebergicum*; ſingula nomine magis,
quàm

quàm uſibus ſuperſunt. *Horti* complures & viridaria, non amœna minùs, quàm ſpatioſa in urbe; Extra eam, quâ itur Lovanium, ampliſſimus hortus, ceraſorum ferax, quam ſylvam dixeris, præteritur; ordine & copiâ ita ſtructus, ut nullibi parem viſurus ſis.

FORMALE urbis ad *magiſtratum* & *ſubditos* tendit. Magiſtratus eſt *regius* & *opidanus*. Ille dicitur Conſilium regium ſive Parlamentum; quod Carolus Dux Burgundiæ anno cIↄ cccc-LXXIII heic inſtituit, cujus ipſe princeps eſſet; cæteroquin XXXIV viris adſcitis, cancellario, cohærario, binis præſidibus, IV equitibus, VI ſupplicum libellorum magiſtris, initiatis conſiliariis VIII, profanis verò XII, partim Doctoribus, partim prolytis. Verùm cùm Philippus I uxoris Ioannæ beneficio ad ampliſſimam Hiſpaniæ regni poſſeſſionem vocaretur, anno cIↄ Iↄ III, Senatûs hujus forma, nec non Conſiliariorum numerus immutatus eſt, qui, uti adhuc hodie eſt, uno præſide, XVI conſiliariis, duobus ſcribis, ab epiſtolis ſeu à ſecretis octo, ſtat & durat. Ad hoc auguſtum Conſilium ultima eſt in Belgica provocatio. Equites aurei velleris primâ, ut loqui ſolemus, inſtantiâ coram hujus Senatûs tribunali citantur. cujus omnes ſententiæ, tam in capitalibus quàm civilibus cauſis latæ, decretoriæ prorſus ſunt, nec ullatenus retractantur, niſi quòd permittitur tamen *reviſio*. Obtinet in hoc ſupremo tribunali mos, in commodum potiſſimùm exterorum, ut & diſceptentur cauſæ, & conficiantur ſcripturæ *idiomate Gallicano*, ut Flandricę genti magis communi. Ordinaria heic olim & ſolemnis

lemnis aulæ Burgundicæ fuit ſedes. unde Philippus Bonus, Caroli pater, Mechliniam à Brabantia ſeparavit, voluitque diſtinctam eſſe à cæteris ditionem. Amârunt valdè hunc locum Principes Burgundici . inprimis Margaretha Caroli amita in hac urbe firmum fixumque ſibi elegit domicilium: tandemque anno 1530, in flagranti omnium gratiâ, inibi eſt extincta. Quia ſingularis eſt ditio, jurisdictione ſeparatâ gaudens, ſuis legibus clara, in Brabantia tamen media ſita; hinc eſt, quòd gravidæ matres, dum pariendi inſtat tempus, relictâ urbe, in interioris Brabantiæ municipium quoddam ſe recipiunt, inibi onerоſæ alvi pondus depoſituræ, eo conſilio & fine, ut liberi in partem immunitatum Brabantinarum (quæ magnæ ſunt extenſionis & uſûs) itidem veniant.

Opidanus Senatus XII eſt virorum. quorum ſex ſunt patricii; ſex plebeii, nimirum *piſtores, ichthyopolæ, tinctores, coriarii, cereviſiarii, lanii.* quorum omnium tanta eſt dignitas, tantaque exiſtimatio, ut è ſingulis horum collegiis ſinguli eligantur quotannis Scabini. Inter hæc ampliſſimum maximeque momentoſum eſt *Collegium coriariorum;* ut quod opidanorum ferè quadrantem complectatur, ſuas ſeorſim manſiones habens & ſedes; capaciſſimas illas, & cùm variis aquæ vivæ canalibus, tum ædificiis quoque, foſſis, inſtrumentis, aliisque ad tam varias operum & apparatuum ſpecies neceſſariis rebus luculenter inſtructum. ipſi ejus ſodales compluribus, iisque inſignibus admodum privilegiis & immunitatibus, inter cætera autem, liberâ venandi & aucupandi poteſtate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſtate, non ſecus quàm viri nobiles & magnates, donati ſunt.

SVBDITORVM videbimus *naturales* & *artificiales* dotes. Mechlinienſes, civiles admodùm, & tractabiles ſunt. Præter indolem ipſis innatam etiam venuſtatem neſcio quam & urbanitatem ab aulâ olim apud ipſos commoratâ adſumſerunt, & in hunc uſque diem retinent; dicit Guicciardinus. appellantur *de meeſters van polijt*. Artificiis mechanicis operantur XVII collegia. Inter ea excellunt numero textores. Officinæ eorum olim ſupra ter mille ducentas numeratæ ſunt. Pannorum tenuiſſimorum & præſtantiſſimorum copia heic magna. Lintea inſuper contexuntur ejus bonitatis & pretii, ut non temerè uſquam inveniantur vel præſtantiora, vel pulchriora. Omne genus tincturæ pulcherrimæ heic conficitur & proſtat. Aheneæ machinæ, campanæ, tormenta, tintinnabula & vaſa quævis ambigam an alibi terrarum majori artificio dexteriùs faciliusque ære conflentur. Adjicit Guicciardinus omnis formæ & capacitatis navigia.

Tali materiâ & formâ ſtructa nituit Mechlinia; quam anno CIↃIↃ XLVI incendium deturpavit; fulminis jactu turris portæ arenariæ vicina, quâ maxima pulveris nitrati vis aſſervabatur, disjecta conflagravit, abſumtis ducentis, & triplo pluribus vulneratis hominibus. Quæ à bello adverſa ſuſtinuit, Meteranus lib. x habet.

Mechliniæ prandio habito, curruque conducto, itinere & viâ perquam amœnâ & commodâ

Veſpera

Veſpera Muſarum ſedem collegiaq́ ampla
Lovanii *aſpicienda dedit, numerumq́ frequentem*
Doctorum, & juvenum, Phœbi qui caſtra ſequuntur.

LOVANIVM.

Metropolis Ducatûs, & Brabanticæ terræ primi quadrantis caput, reliquas urbes omnes præcedens. præſtat enim omnium prima Principi juramentum, idq́ue ab illo viciſſim ſuſcipit. Quatuor diſtat mill. Mechliniâ. Ingreſſi urbem, divertimus pernoctatum ad *inſignium* IMPERATORIS. dum cœna paratur, caſtellum in ſublimi colle ſitum aſcendimus, viſuri & colloquuturi cum celeberrimo PVTEANO. in tempore venimus, voti compotes facti. omnia arcis conclavia nobis aperta fuêre, iubente & ducente Puteano. Arx ſita eſt in collibus vitiferis; circumcirca amœnitatum amœniſſima amœnitas in ſeptis & floribus; ſuavitatem conciliat luſciniarum cantus. ſed omnia hæc, nihil ad Puteani humanitatem, cujus bibliothecam & opera Inſubriæ inſpeximus; auxit benevolentiam munuſculo Inſcriptionum feneſtralium, & Kalendarii perpetui ad manus & digitos formati, tametſi ſchedæ adhuc eſſent ſine cataſtrophe. res voti erat, tantum virùm videre ad cœnam; ſed excuſatione morbi non ita pridem abacti, facti non fuit. Dimiſſi deſcendimus in diverſorium, ubi à cœna datum eſt dormire in conclavi, quo olim Iohan. Fridericus Sax. Elect. captivus habitavit, & à Carolo V Imperat. cum quo familiariter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

liariter ibi vixerat liberatus eſt. Sed ad LOVANIVM. quod *externè* in NOMINE; *internè* in OPERE & REGIMINE videbimus.

Nomen, poſthabitis diverſis originationibus, cum Lipſio à ſitu ei dabimus. qui talis eſt, ut mœnia vetuſta, quæ, uti illa tulit ætas, fuerunt firmiſſima, ex albo nimirum lapide ad normam conſtructa, ex *alto* deſcendant ad loca humilia & aquis obnoxia, quas *Dilia* fluvius major & *Vorta* torrens extra ripas ſuas evomere quàm frequentiſſimè ſolent, & longè lateque omnes campos & intra muros & extra in ſtagna & paludes permutarunt. *Altum* autem illud, è quo deſcendunt, *Lo* vocatur; è quo mons aſcendit ſylvoſus, à *Lo* nominatus *Lobergh* & *Lo-boſch*. Subjecta iſta pulcherrima planicies aquis exundans, veteri linguâ *Vên* dicitur. Inde *Venæ* Batavorum etiam hodie, unde ceſpes ille uſtibilis eruitur. Ergo *Lovanium*, ſive, ut vulgata & vera vox eſt, *Loven*, dictum, quaſi *Lo-ven*, humida planicies iſti *Loæ* ſubjecta. Latini *Lovanium* fecerunt, Gallicam magis pronuntiationem Louvain ſequuti.

Vrbem ipſam contemplabimur à *ſitu* & *ædificiis*. Ille amœnus eſt & jucundus, cœli & aëris benignitate nulli cedens opidorum Brabanticorum; unde majores hîc Muſis ſedem ac domicilium legerunt. Terræ bonitas non minor. intra urbem & in ſuburbanis ubique campos habet aquis obnoxios, è quibus colles aſſurgunt, alii vitibus conſiti, alii ſilvis horridi, alii pomariis uberes, alii per declivia ſegetibus læti. Sunt hæc quidem, *inquit Becanus lib.* I *Atvaticor.*, Lovanio & Romæ communia,

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſed ſic, ut, ſi meo judicio ſententia ferenda ſit, longè lateque loci amœnitate Roma ſuperetur atque vincatur à Lovanio. nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus eſt, qui magis videatur mereri, ut ſit ſacrarum Muſarum domicilium. Ager vini ferax, ſed temperati, & ſtudioſorum cerebro, quos ſobrios eſſe decet, convenientiſſimi. *Dilia* fluvius interluit urbem, quæ ſphæricâ penè rotunditate ambitum habet. menſio facta eſt, anno cIↃ cccc xxvII, procerum certamine. Erant heic Aulici complures cum ipſo Duce, per occaſionem inſtitutæ nuper Academiæ: & fortè ſermo de urbis hujus magnitudine, &, ecquid aliæ finitimæ æquarent, aut ſuperarent? Sermo primùm, mox ſponſio: atque ea inter quattuor Dynaſtas. Incaluerant, & miſerunt gnaros talium, & metiri juſſerunt: compertumque eſt, *Lovanium ſuperare Gandavum tribus virgis, Leodium octo, Lutetiam decem, non incluſis tamen ſuburbiis, Coloniam octodecim.* ex *archivis Lipſ. cap.* VII *in Lovanio*. Poſt ſedulum factum examen, opidum hoc interiore mœnium ambitu ſex Italica milliaria, quibus conficiendis duas minimùm horas impendas, exteriore verò plus octo milliaribus continere comperior, dicit *Guicciard*.

ÆDIFICIA, *externa* & *interna*. Externa primùm ſunt *foſſæ*, latæ, profundæ, atque eæ ſæpè per vivum ſilicem, aut ſcrupoſam terram percuſſæ.

Muri, lateritio pulchro opere, & ſectis deinde lapidibus albis, latis magniſque, interſtincti aut intecti: iidem validis fundamentis ab imâ

foſſa educti: ſic ut operis tertia pars vix veniat in adſpectum.

Turres denſæ & altæ, quæ diſtinguunt; atque infra eas fornices & cryptæ, robuſto opere, ad condita aut uſus militares. Eminet inter alias *Turris impenſæ perditæ ſeu ſupervacuæ; de verlooren koſt*; ob id nomen adepta, quòd ſimiles ſeptem cogitaſſent diverſis partibus erigere Lovanienſes, ſed abſolutâ unâ & ſuperveniente calamitate ſumtibus impares à cœpto deſiſtere coacti ſunt. *Grammaye in Lovan. pag. 6.* Ex hac cœlo ſereno Antverpia octo mill. diſſita videri poteſt ab acribus oculis. Structa anno cIↃ CCC LXIV. latereulo muri introrſum ſtructi, lapide deinde candido veſtiuntur. rotundâ formâ in altum æquabiliter ſurgit, non in alium (& hoc fine facta) quàm ſpeculæ uſum; circumjecta enim ad multa millia paſſ. undiq; detegit. Ad ſummam, urbs turres eximii operis in mœnibus habet LIII. *Propugnacula* XIII, & moles aggeſtâ terrâ conſolidatæ, & *pontes* ſublicii XVI, alibi extantes, ad munimen portarum nuper acceſſerunt, de mandato Gubernatoris harum provinciarum. Portæ XI, è candenti ſecto lapide. è quibus ſpectabili operæ viſuntur hæ; BRVXELLENSIS, MECHLINIENSIS, HASBANICA, DIESTENSIS, PARCENSIS. nomina à locis habent, quò ducunt. aliàs dicuntur; BANCKENSIS, MONTANA, THENENSIS, FLIERBACENSIS. accedunt his VINEARVM & HEVERLENSIS; illa à vinearum, iſta ab hortorum in ſuburbano frequentiâ nuncupatæ. IOBBENSIS à Sacello D. Iobi in VVeſemalia, aliàs *emiſſitia* dicta, quòd illac aqua mittatur.

Tantum

Tantum de externo urbis opere: INTERNVM ſequitur, binis fulcris firmum, nimirum *Sacris* & *Politicis ædificiis.* E ſacris I. *Baſilica Petri*, viſu digna; architectorum judicio, nulla pluribus locis pari politurâ invenitur. In chori medio tumulus Ducis, & alii alibi; quorum epitaphia Fr. Svvertius collegit. inquire inibi in effigiem Chriſti, audies hiſtoriam de cruce & fure. Turris inter pulcherrimas Belgii habita, ſed ruinis & igne multùm deformata diverſo. Canonici ibi collocati XVIII: quibus *Præpoſitus* etiam, præter Decanum, velut caput præeſt: magna dignitas, & olim non niſi in Principum aut Procerum filios collata. Dignitati adhæret honos, quòd is à novo Principe, quoties auſpicia imperii ſuſcipit, juramentum ſolemniter exigat, capiatque: in quo & *Advocatos ſe Canonicorum D. Petri fore* profitentur. Equum deinde Principis, cui inſidet, donativum habet: quem tamen olim *Cantor* vindicabat, & lis inter eos fuit. (*Lipſius lib.* 2, *c.* 14, *de Lovan.*) Parochia II. *D. Michaeli* inſcribitur. ſuperſtructa eſt portæ murorum veteri. turrim initio habuit altiorem, ſed corruit cum vicinarum ædium detrimento, CIↃ CC XXV, neque iterùm eſt educta. III. *Iacobo.* quæ de cœlo tacta, ſed reparata, collegio Canonicorum data eſt. IV. *Gertrudi.* inhabitatur à Canonicis Regularibus. fama habet, turrim iſtam, ſatis egregio opere, emolitos lanifices eſſe, idque collaticio inter ſe ære: potentem hîc ſcilicet, frequentemque tunc nationem. Eynhoudtius, vir prudens, cœnobium pulcherrimo ædificio auxit & ornavit. Eſt ab eo perpetua & magna

porticus circum hortos, in membra & cubicula ſupernè diſtincta: ad uſum duodecim è nobili ſtirpe adoleſcentium, (nam tales admittuntur tantùm,) quos hîc ali & ſcientiâ ac pietate voluit informari. Inſigne opus, & inſtitutio. V. *Quintino* aſſignatur. Templum quidem non maximum, ſed vel pulcherrimum, *LipsI* judicio, inter omnia eſt: benè & aptè commenſuratum, multâ luce undique colluſtratum.

Ad VIRORVM COENOBIA eamus. Eminent inter ea DOMINICANI. In choro templi, feneſtræ vitreæ ſunt, Principis Henrici III donaria. Fama tenet, *Albertum Magnum* Ratiſponenſem Epiſcopum huc veniſſe, & altaria quædam in anteriore templo ſacraſſe, anno cIↃ CC LXXVI. Ajunt &, diſcipulum ejus, *Thomam Aquinatem*, comitem fuiſſe, & euangelium de loco ſuperiore ceciniſſe: ac pulpitum ipſum ſervant, quo ferunt uſum. Familiarem fuiſſe Principibus, illud conſtat: & Aleidem, viduam dicti Henrici, ad eum Pariſiis agentem ſcriptitaſſe, & conſilia vitæ dirigendæ petiiſſe, atque accepiſſe. *Lipſ. cap.* XVI, *lib.* 2, *in Lov.* FRANCISCANI his à tergo adhærent, brachio fluminis diviſi; qui huc veniſſe quinquennio poſt Franciſci mortem, anno cIↃ CC XXXI, dicuntur. Cœnobium vetus eſt: chorus templi novus, altus & illuſtris, ſtructus anno cIↃ IↃ XXXVI. Columnæ appenſa ſunt IVSTI LIPSI *icon* & *epitaphium*, quod ſibi ipſe ſcripſit & poni mandavit, anno cIↃ IↃC IV, III eid. Febr.

Quis heic ſepultus, quæris? ipſe ediſſeram.
Nuper loquutus & ſtilo & linguâ fui;

Nunc

Nunc alteri licebit. ego ſum LIPSIVS:
Cui literæ dant nomen, & tuus favor.
Sed nomen. ipſe abivi; abibit hoc quoque;
Et nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA *fumus, umbra, vanitas,*
Et ſcenæ imago, &, verbo ut abſolvam, NIHIL.

Extremum hoc te alloquor:
æternùm ut gaudeam, tu apprecare.

CARTHVSIANI intra mœnia ſunt, loco ab omni tumultu & frequentiâ ſemotiſſimo; ita ut nec eremi ſolitudinem in urbe magnoperè deſiderent monachi. In cœnobio eſt ſpectabilis porticus, magnitudine & opere: nec ſcio, ait *Lipſius*, an heic, aut in finitimis locis, alia comparanda.

Patres Societatis primùm heic duo; mox numerus auctus collegium fecit. TorrentI Episcopi Antverpienſis liberalitate; qui moriens opes ſuas ei legavit, hodiè multùm ſupereſt.

Reliqua virorum cœnobia eant ſuis numeris. *Fœminarum* IX numerat Lipſius; quæ, ſi placet, ibi vide, ſine noſtro calamo, adjumentóve.

Priusquam hinc diſcedo, leges pietatis dabo pro divino cultu Lovanii olim ſancitas; quæ ſunt: *Templorum parietes aut cœmeteriorum areas urinâ aut excrementis ne fœdato; aliàs graviter mulctator: Templis, ædibusq; ſacris honos eſto, & ne quis pilam, néve trochum in area, aut circum illa, ludito.* Item: *Diebus feſtis ſacratisq; ne quis aliud agito. Nemo cauponam aut tabernam promercalem ante publici ſacrificii finem*

nem reſerato, néve quid emito aut vendito. De tabernis hodiè adhuc ſervatur: in caupones verò vulgus ſe immergit. Lex alia, ad probitatem, claudat: *Ne quis noctu perſonatus, néve mutatâ veſte obambulato. Ne taberna, ne caupona, poſt veſpertini æris ſignum patens eſto.*

Ad POLITICA ſi voles ire, CVRIAM commendamus, totam è ſecto per artem lapide, figuris & emblematis variè ornatam. Magnitudinem juſtam habet, ſymmetriam belliſſimam; inſigne eſt majorum elegantiæ vel opulentiæ monumentum. Videre intus habes ſcalas & petardas, quibus occupata olim urbs fuit: Tabulam inſuper, Andromedæ fabulam-quæ repræſentat, factâ accommodatione ad introitum Alberti. Sed curiam ſine legibus, præſertim raris, non relinquam. In *raptores* erat: *Stupri raptúsve conciliator aut adjutor exſul eſto; qui autem patraverit, ligneâ ſerrâ caput abſcinditor.* Novum, hercules, de *ligneâ ſerrâ*; & abſterrere gravi & lento hoc ſupplicii genere voluerunt. Item in *pugnatores: Si quis civem invitum ad certamen provocaverit, aſſere plectitor.* Aſſer autem genus ferreæ ſecuris erat, quâ ex ſuperiori loco & cum pondere trabis averſæ demiſsâ caput reclinato in truncum proſcindebatur.

Sed conſcendamus hinc ARCEM ſive BVRGVM, olim Comitum ſedem. In hac agebant; abſentes Burggravium, id eſt, arcis præfectum, conſtituebant; liberos ſuos hîc locabant & alebant; etſi alibi jam, aucto imperio, domicilium ſuum haberent. In cauſa aër purus & ſalutaris, cum proſpectu circùm pulcherrimo. Heic

Carolus

Carolus Quintus Imperator, puer cum ſororibus eſt educatus. Heic exteri Principes, & qui adveniſſent, metationem accepêre, & velut per honorem in veteri aulâ collocati. Heic *Eduardus* ille, Rex Angliæ, qui Philippo Galliæ bellum fecit, anno CIↃ CCC XXXVIII, cùm in Belgicam veniſſet, ſocietatem & auxilia rogaturus, cum uxore totam hiemem egit. *Puteus* in arce heic miræ profunditatis. altitudo C XXX pedum eſt. è profunditate adſurgit echo: egregium quid & quod unum ibi notes.

CATARACTES pulchro & operoſo opere, in ipſo fluvio Diliâ, atque illi coërcendo, aut diſpenſando, anno CIↃ CCC LXV factus: qui tamen ex inſidiis urbem pænè oppreſſit anno CIↃ IↃ. LXXIII. Lipſius narrat, cùm ingentes pluviæ fuiſſent, & nix item ſoluta, VI idus Ianuarias, negligentiâ Curatoris evênit, ut obices parùm in tempore levarentur, aquamq́ue transmitterent. Stitit ſe amnis igitur, & magnâ mole intumuit, & mœnia jam ipſa æquabat. quæ juxta cataractem denique perrupit, & toto impetu urbem invaſit. pecudes & homines quoſdam abſtulit, ædificia dejecit; ut ſupellectilem & penum civium omittam.

Reliqua urbis opera ſunt; FORA IX rerum venalium; MOLAE FLUVIATILES XIV; VIAE urbem ſecantes mediam XII; PLATEAE laterales CXL; PONTES lapidei XVI; FONTES publici IV. His accedunt *Croijorum*, *Schoon-vorſtiorum*, *Naſſoviorum*, & *Bergenſium* Principum palatia.

Verùm ad *ædes* LIPSI. Venerare MORES ANTIQVOS; Canes, delicias tanti viri, ad caminum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

num pictos, inſpice; Nomina & carmina laudi memoriæque eorum à Lipſio ſcripta rogatus addam:

SAPPHIRVS catellus, gente Batavus, corpore albet, capite auribusque purpurat, diſcrimine tamen albo à ſummo eo, inter aures, cuneatim ad os deſcendente. Senecio nunc eſt, & tredecennis. cùm in flore, pulcherrimus & lepidiſſimus catulorum.

Gemma dedit nomen; ſum verè gemma catellûm,
Quotquot terra habuit Belgica, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis Venus: adde lepores
Ingenii, humanum qui ſapiant genium.
Et ſanè eſt aliquid mî hominis. vis argumentũ?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

MOPSVLVS catulus, domo Antverpiâ, donum à Cl. V. Arnoldo Borcoutio, amico veteri & ICto. is corpore albet, capite, auribus atque altero oculo ſufflavis. Roſtrum è rubro albicat, breve & obtuſum; & nare prorſus repanda, craſſulus, argutus, mordax eſt, ætate bimus.

MOPSVLVS *aſt ego ſum, domini conviva: quid ultra?*
En etiam lectum participo domini.

Eſt-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Eſtné aliud? domini dominus, ſi dicere fas eſt:
Vſq; adeò formæ huic jungitur improbitas.
Sed formæ, quæ rara cluet, ſi examine juſto
Pendor, quod nec ames eſt mihi, plus quod ames.

MOPSVS canis, gente Scotus, colore craſſo ſpadiceo, ſed circa oras aurium, & in ipſo ore, dilutius flavo. ſuper oculum utrumque orbiculi æquales duo; itidem flavi. idem color in pedibus interioribus, intra femora, ſub cauda, & in ano. at pectus latum & honeſtum, pantherina prorſus ſpecie, album & maculis ſpadiceis ſparſum. tales ipſi imi pedes. annum agit tertium, ad invidiam pulcher.

MOPSVS *ego, formâ qui vinco ſæcla caninas*
Quod nolim in magno corpore nil habeo.
Quodq; velim, dominum, dominam, ancillamq; volentes
Conciliat probitas ſimplicitasq; mihi.
Ille canis redeat meruit qui cælica templa:
Si certet, terra hunc, me ſibi cœlũ habeat.

Sed properemus ad ACADEMIAM; videamus *Magiſtratum* & *Collegia*; *nobilitatem* & *plebem*; quæ nobis erunt FORMALE. Academia, urbis anima, è Colonienſi nata, ſed matre magnificentior; ſecundum Pariſienſem nec numeroſior, nec ornatior. Situm loci en à Lipſio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Quid ſitu ſalubrius, vel amœnius? Aër purus & ridens: loca paſſim vacua & delectantia; prata, agri, vineæ, luci & rus, ut ſic dicam, in ipſa urbe. Mœnia conſcende & perambula: quæ ſubjecta facies? cujus frontem animumque non explicet iſta mirabilis ſimul & delectabilis varietas? Heic ſegetes, poma, uvæ creſcunt; heic pecudes balant, aut mugiunt: ibi aves garriunt & cantillant. Iam pedes aut oculos extra mœnia effer. ſunt rivuli, aut flumen Dilia, vago flexu; ſunt villæ, aut cœnobia; eſt ſuperbum illud Prætorium *Heverléa;* arboreta, aut ſilvæ intermixtæ, & ubique meræ locorum deliciæ. Annus & dies natalis & auſpicalis ejus eſt, cIↃ-cccc XXVI, ſecunda Octobr. Hic dies & hodiè ſervatur, & majorum exemplo quotannis lectiones renovantur, ſive ipſo noſtrorum verbo reſumuntur. *Forma* adminiſtrationis hæc eſt: *Rector* & *Senatus* ſunt qui regunt, & dux *Ioannes* olim, monitu Pontificis, omne jus ſuum in eos contulit, ac liberam poteſtatem in ſtudioſos permiſit. *Rector* à Senatu academico creatur, idque ſingulis ſemeſtribus, ut nunc res habet. Magna eſt hæc dignitas, & ſplendorem ei dant *Accenſi*, ſive *Bedelli*, ut vocamus: quorum unus, prælato grandi argenteo ſceptro præcedit & ducit, famulis ſequentibus; interdum & octo præeunt, cum ſuis quiſque ſceptris, ſed in ſolemni proceſſione, aut die feſto. Narrant, Carolum Quintum, Imperatorem, cum fortè heic eſſet, loco ceſſiſſe, & latus Rectori texiſſe. *Inſigne* poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem rejicit, cujus oræ pellibus variegatis prætexuntur.

Capu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Caputium vocant, nec abs re: nam olim caput eo velare ſolent,& ſic geſtare. eſtque hoc à Principum imitatione & exemplo, quorum talis ille olim cultus. Hic Rector jus omne in Scholaſticos habet; cauſas audit, decîdit, mulctat, punit. Cui rei *Promotor* etiam eſt, (ſic Prætor ibi appellatur,) qui, jubente aut conſentiente Rectore, neque aliter, manus injicit; in cuſtodiam & vincula etiam ducit. Grandioris noxæ convictos punit, vel capite, ſi viſum eſt; ſed rarò viſum, ait Lipſius: & omnis iſta judiciorum ſeveritas in pecuniarias ferè mulctas deſinit; mitigatque crimen vel ætas adoleſcentiæ, vel & favor qui ſtudiis debetur. De *foro* & *judice* pauca adjicio. Si civis agit, rei forum ſequitur, id eſt, ad Rectorem venit. Si ſtudioſus in civem, aliud huic rei tribunal repertum eſt, neque ad urbanum aut ſæcularem Magiſtratum itur. Eſt enim *Conſervator*, (nomen illi, quia jura noſtra tuetur & ſervat,) qui tribunal ſuum habet, & adſeſſorem juris peritum, ad quem cauſæ hæ tales conjiciuntur & aguntur. Imò licet ad eum è tota Brabantia evocare, etiam æs aut aliud debitum petere: magno ſtudioſorum commodo, qui domo ſe, aut certè opido non movent. Eccleſiaſticum hoc tribunal eſt,& ideò telum aut fulmen *excommunicationis* exſerere poteſt in non parentem. Qui autem hoc contemnunt, in eos Iudex à ſæculo advocatur. Singulare hoc jus eſt, & olim nuperque obtinuit, ſuo quod exemplo probat Lipſius. Iſti muneri ſolet præfici aliquis Antiſtitum, & ferè *Abbas* Gertrudanus, qui in urbe agit. Eſt etiam alius honos in Academia,nimirum *Cancellarii*

dignitas,

dignitas. Is jurisdictione abſtinet, dumtaxat titulos & honores, exactis ſtudiorum ſpatiis, auctoritate Pontificiâ confert; dico *Magiſterii*, *Licentiæ*, *Doctoratus*, ut Academiarum mos nunc habet. Hoc munus vindicat *Propoſitus Divi Petri*, & illo abſente *Decanus*: ac proximum à Rectore in conventibus publicis locum tenet. Ita regimen & capita fuêre: *Senatus*, qui omnia adgubernat, ſunt quinque *claſſes*, ſive *Facultates*: THEOLOGIAE, IVRIS CANONICI, IVRIS CIVILIS, MEDICINAE, ARTIVMQVE. In has Doctores omnes veniunt; adſciſcuntur & aliqui non doctores, ut prudentia aut uſus ab iis ſuadent: in illam autem *Artium*, præcipui è Magiſtris. Hæc & *Decanum* habet, ſeorſim in conſeſſibus honeſtandum. Hic Senatus Rectorem, ut dixi, creat: idem omnia moderatur & temperat. & *Rector*, etſi nomen magnum, tamen potentiâ ferè ut Venetorum Dux eſt, & à Senatu ſuo pendet. *Hæc Lipſius cap.* III, *lib.* III. Iam ad collegia ſive ſcholas publicas. Primò eſt publicus locus, ubi tres primariæ ſcientiæ docentur, *Theologia*, *Iuriſprudentia*, *Medicina*: prima, inferiùs; supernè duæ reliquæ. & ſunt auditoria in univerſum quinque. Aedificium vetus eſt, nec huic uſui primò ſtructum, ſed lanificibus, cùm ii in flore eſſent, anno CIↃ CCC XVII. quod duplex inſcriptio parietibus inſerta docet. Vocant *Halas*, ut ſolent iſta hominum aut mercium receptacula: latinè *Baſilicas* dixerimus: hodiè *Athenæum* audit. In hoc Lipſius docuit, & hiſtorias & antiquitates explicuit. Præter hunc locum publicum, qui liberis auditionibus ſervit, (nemo

mo enim adigitur,) ſunt *pædagogia* quatuor; ubi ſtrictior diſciplina; & pueri vel adoleſcentes in primis artibus atque ipsâ Philoſophiâ maximè inſtituuntur. Egredi inde, aut abeſſe, ſine venia non fas. Nomina verò habent ab inſignibus ſuis, & ſunt; *Lilium*, *Falco*, *Caſtrum*, *Porcus*. Accedit tertius locus, linguarum notitiæ deſtinatus, quem à re vocant *collegium trilingve;* nam Hebraica, Græca, Latina illîc docentur. Dicitur alio nomine *Buslidianum*, ab auctore Hieronymo Buslidio, Carolo Quinto qui erat in deliciis. hic moriens opes ſuas in hos ſtudioſorum uſus reliquit. Præter hæc, aliud collegiorum genus eſt, ubi non tam docetur, quàm alitur juventus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet. Pulchrum inventum, & quod in Anglia, Oxonii præſertim, magnificè uſurpatur. Primum eſt *Theologorum;* quod diviſum, &, ut facilius regimen eſſet, alterum factum, quod *parvum* appellant. *Beſſarion* Cardinalis, cùm legatus à Pontifice in Belgium eſſet, anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio heic fuit, & hoſpitio exceptus, memoriam ſui reliquit Biblia manuſcripta. Iisdem ſtudiis dicatum eſt *collegium* Pontificium; digna Duce, digna Principe domus. quam extruendam curavit Pontifex Hadrianus Sextus; ſed cùm cœpit, Decanus heic in æde D. Petri erat. Primum in *Iure* collegium eſt, quod *Divi Ivonis* titulo dedicarunt; alterum eſt *Donatiani*; tertium *Winckelianum*, Iuri dicatum, ſed à Doctore Medico Ioanne VVinckelio, anno CIↃ IↃ LII, fundatum. Duo inſuper ſunt ædificiis conſpicua,

cua,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cua, *Sabaudianum & Dalianum*. atque illud juventute etiam ſatis frequens eſt, & floret: hoc modicè; ſed ob ſplendorem Princeps ſibi in Palatium legit, & huc veniens eò divertit. *Leodicenſe* auſpiciis Erneſti Bavariæ Ducis ſurrexit.

Ab academia ad *nobilitatem* & *plebem* veniamus. Nobilitas in VII familias fuit diviſa, ſive gentes veriùs; quæ ſunt: *Limingii, Calſterii, Radingii, Steenii, Vernſalii, Gielii, Rodii:* è quibus ſingulis alii, familiarum velut rami orti, latè ſparguntur, &, quamquam ad unum caput relati, nominibus dividuntur. Limingiorum habet familias *triginta & unam;* ſecunda, *viginti octo;* tertia, *novem;* quarta, *duodecim;* quinta, *quattuor;* ſexta, *ſeptem*, ſeptima, *novem*. Sunt ita centum familiæ. Ex his ſoli in Patres ſive Senatores legebantur, (titulo *Patriciorum.*) Senatorum numerus eſt XXI; è quibus duo Conſules leguntur, tum ſeorſim ſeptem Scabini. Iſti omnes è nobilitate olim: obtinuirque ad annum cIↃ CCC LX, cùm ſeditionibus plebs etiam ſe inſeruit, & mixtio eſt facta. His accedebant *Petermanni*, plebeio verbo, quaſi dicas, *homines Petri*, ſive de *familia* S. Petri. Vnde hi & quales ſint, vide *cap.* IV, *lib.* II, *apud Lipſ.*

Iam ad PLEBEM; quæ olim frequens hîc. Annales habent, tempore Ioannis III, anno cIↃ CCC L, tantam textorum multitudinem heic fuiſſe, ut ad tria, imò quattuor millia textrinorum in urbe eſſent; addunt autem, cuique textrino opus fuiſſe non minùs triginta aut quadraginta homines, qui lanam præpararent, qui

carmi-

carminarent, qui nerent, aliaſque tales operas exercerent. Sed inprimis, qui fullonicam. multis enim iis opus, cùm molæ iſtæ aquariæ ad eam rem aptatæ tunc nondum in uſu. hæc ſi vera, colligit Lipſius, ex ſolo illo genere ad *centum ſexaginta* millia in hac urbe degiſſe; unde tanta heic turba fuit, ut, cùm horâ undecimâ ſignum campanâ daretur deſinendi operis; parentes ſollicitè minores liberos in ædes ducerent aut traherent, ne impetu & impulſu venientium obruerentur. Quòd ſi hi tam multi, non oportuit pro numero multos quoque fuiſſe caupones, ſartores, ſutores, lanios, alios, alios? ſed hæc olim; hodie infrequentia magna eſt. Militiam aut agros multi, alii ſellularia opificia exercebant: ſed honeſtiores, & qui præter caput aliquid in cenſu habebant, arma etiam feſtis vacuiſque diebus tractabant. Militia tunc & tela (quod ad plebem) ferè ſagittæ erant, eæque arcu vel balliſtâ emiſſæ. Igitur Collegia, in quæ nomen darent qui hoc vel illo utebantur telo, inſtituta. Erat unum *ſagittariorum* ſimplice arcu; duo *balliſtariorum;* poſtremò *ſclopetariorum*. Hæc collegia GILDAS dicunt: imago manet; uſus periit, ſerius nimirum & verus, qui ad militiam ſpectat; nam in oblectationem aut pompam nunc uſurpant. Areæ ſive horti his exercitiis deſtinati erant, in quibus docebant, diſcebantque. Lovanienſes & Bruxellenſes, finibus & amicitiâ ſemper juncti, ſtatum quotannis tempus habebant, quo *Furam* convenirent: amœnum locum & pari ferè ſpatio ab urbe utraque ſejunctum. Vetuſta ibi arx eſt Principum Brabantiæ, & aſſita *Sogniacenſis*

gniacenſis ſilva : & juxta eam area, & certamen; ibi balliſtariorum certamen; præmium victoribus vinum erat. Tantum de plebe. quæ olim frequens & in flore, pòſt imminuta, præſertim in lanificibus, qui indignatione & metu patriam mutantes, iverunt in Angliam. Vnde ibi adhuc hodiè eorum coloniæ, & gloria inde pannificii. Ita fuit olim Lovanium florentiſſimum; modò defloruit, & ex veteri gloriâ & copiâ non niſi umbra hodiè. Iuverunt lapſum grandis populus, opes, laſcivia, diſſidia, ſeditiones, venena omnis ſtatus. Lector, ſi volet, *Lipſium* legat de his in Lovanio, & *Grammaye*.

Ad ſuburbana reſpiciamus. Eſt BANCVM ad lævam, ipsâ viâ Bruxellenſi, teli jactu à porta, cœnobium virginum D. Auguſtini. Peculiari inſtituto obligatæ ſunt judicare de leproſis, & judicatos recipere atque alere, qui ſunt Lovanienſes, aut Heverleenſes. Princeps novus, priusquam Lovanium intret, illîc quoque juramentum ad altare GeorgI ſolet edere, & precibus nuncupatis, dono aliquo honeſtare.

PARCVM item aliud cœnobium eſt, ſed ordinis Præmonſtratenſis. Nomen habet ab ipſa re & uſu, quem antè præbuit; fuit enim *vivarium*, ſive locus clauſus, alendis feris ad oblectationem Principum, quod genus *parcos* dicere ſolemus. Amœnus locus eſt, ſilvâ, piſcinis, rivo, pratis delectabilis, & ſtudioſos ſæpe ad ſe trahit.

Extra portam dum nos occupamus, HEVERLEAM oculis libemus. Mediæ horæ itio eſt; Via pulcherrima ab ipſo opido recto limite adusque.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

uſque ſilvulam & fontium receptacula ſive caſtellum aquarum ducit. Longa eſt paullo minùs mille paſſus, lata pedes XL. ad libellam æquabilis, & inter montes aut colles, altos alibi ad viginti pedes, depreſſa & complanata. Margines ſepibus vivis clauduntur, in parte muris: tiliis arboribus adſitis utrimque obumbratur. Egregium & regium opus; domicilium Ducum Areſcotanorum. Ipſa loci facies, à Deo & natura multùm eſt amœna. Ecce inter modicè declives colles arx jacet; flumen Dilia præter-currit à fronte; à tergo FVRA rivus; cujus curſum in præcipua parte opus & manus direxit: eumdem per prata derivavit, piſcibus aut piſciculis receptaculum & cuſtodiam. tum prata, agri, ſilvæ, venatibus aptæ pulcherrimo adſpectu recreant animum & diffundunt.

Piſcinæ numero ſeptem, ſuavi adſpectu, & oportuno ſitu, inter declives agros, & veſtitos arboretis colles. Horti heic, pomorum; nuceta; vivaria cuniculis aut lepuſculis; columbaria. Hoſpitibus adventantibus, imò & nobilibus domeſticis heic domus. Adſita area & equile: area altera ante arcem, lata & pulcherrima, utrimque arboribus, ambulacris & xyſtis clauſa: tiliæ arbores diſpoſitæ. Hortus prunorum, perſicorum. Propè hortus florum cum ſuis flexibus & labyrinthis; Ibi fons, qui altè ſubſiliens marmoreo labro duplici excipitur. Adſunt pergulæ, topiario opere, grandes: occultæ aquæ aut ſiphones in iis, qui ingredientes fallunt & inundant: monticuli item ſive rupes è topho, ſilice, teſtis conchiſque marinis mirandâ arte. Vertebrâ motâ, molæ molunt, avicu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

aviculæ cantant, aqua adſtantes ſpargit: alia, cum oblectatione miranda. Alia via, arboribus limitata, ad cœnobium ducit; antè, hortus olerum, & herbarum edulium. Fons in eo è marmore, & tali vaſto labro. Porrò pergulæ, labyrinthus & fons TEMPLVM & cœnobii multiplex ædificium ingredere: in quo vigintiquattuor religioſos ordinis *Caleſtinorum* eſſe oporteat, ex lege & ſcito teſtatoris: ſed injuriâ temporum, itemque hominum incuriâ, diminuerunt. Amplius ibi, res miranda: marmorea Principum Croyorum & affinium ſingulorum monumenta; ibi genealogiam Ducum de Areſcot ab Adamo uſque ad præſentes ultimos videbis in choro ad latera, cum eorum iconibus & nominibus. Res non Belgio, ſed Europâ admiranda. Inter cetera, en epitaphium Caroli Ducis in lapide, litteris circumcirca ex orichalco, quod ipſus ſibi dicitur compoſuiſſe:

Carolus à Croy, nuper Dux Croy & Arſchotti, ex magna progenie natus, nunc putredo terræ & cibus vermiculorum. obiit in Domino, exſpectans reſurrectionem mortuorum, anno cIↃ IↃcXII.

In Sacello varia ornamenta ad miſſam. *Numus* ibidem oſtenditur, qui è numero dicitur eorum, quibus Salvator venditus, magnitudine bacionis, ſed pondere dimidii Imperialis; alterâ parte caput humanum; alterâ flos cum epigraphe, ΡΟΔΙΟΝ; fortè quod in inſula Rhodo ex argento fuerit facta talis moneta,

neta, & Hieroſolymis uſurpata in quotidiano uſu & mercimoniis. Templo egreſſus, ingredere hortum religioſorum, aream, collegium, quod deſtinatum ut parva academia lectionibus aut diſſertationibus, in gratiam Principis & adventorum. Adjacet hortus cœnobii,aula inferior,& piſcinæ; nec deſunt agri, & prata; ampliùs, parcum eſt, ſive locus clauſus in ſilva, ad feras. Ibidem arboreta; fons primarius & ſcaturigo; mox piſcinæ. Hæc omnia extra arcem. Iam ARX ipſa, domicilium Principis: ſuperbum opus, ſi perfectum. Fons in ea pulcherrimus, altè ſaliens, & labris marmoreis exceptus, ſtatuis ornatus. Foſſæ circum arcem latæ, profundæ, nitidâ aquâ plenæ. Hortus voluptatis adſitus, cum molendino duplici: frumentis frangendis & ſecandis lignis: mox venatorum domus & falconariorum. Adjacent prata, foſſis è rivo Furiâ circumdata; trans rivum viæ arboribus ſeptæ, & agri. Ad ſummam, locus amœnitati & Muſis factus;cui ipſe Princeps quoque impendia ſua & curas confert; ſed & Lipſius ſuum hoc epigrammatium:

Mœſta ô Belgica noſtra, tolle vultus,
Tolle, & lumine lætiore luſtra
Magni Principis *hoc opus, ſacratum*
Muſis *&* Veneri, *& venuſtiorum*
Quidquid eſt hominum. ſuperba gaude
His adaucta palatiis & hortis,
Hiſce fontibus, hiſce & arboretis,
Xyſtis, limitibuſq; & ambulacris.
O diſpar facies vetuſtiori!
Antè ſcabra loca hæc, & abſque cultu

Horrida,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Horrida, ardua, iniqua, ſabuloſa:
Nunc quàm ſplendida, quàm polita rident?
Ades GRAECIA *tu vetus, vetusq;*
Ades ROMA: *mea, ecce,* BELGICA *audet*
Se conferre; an & auſit anteferre?

Sed pedem jam extra urbem ponemus in iter; quod perreximus, cœlo conatibus noſtris adplaudente. Bruxellam circa meridiem deducti, Lovanio quatuor leucis abjunctam. ingreſſi commodum ſatis hoſpititium, quod VETERIS LVPI nomen præfert, quatriduum commoratione, frequentatione urbis & aulæ, tempus conſumpſimus.

BRVXELLA.

NOmen & originem à Brenno (*Bruſſel* quaſi *Brenſel*, id eſt, Brenni ſedem) & Senonibus ducunt annalium compilatores: qui heic arcem, Galliæ infeſtandæ in has oras profecti, exſtruxerunt: alii à paludibus, quarum magna in vicino copia: alii à lacu ſive voragine in ſilva Zoniæ: alii à Ruſſis. Et quia montem haut procul Lovanio norunt à Ruſſis dictum, putant locum hunc nomen accepiſſe *By-Ruſſel*, id eſt, apud Ruſſorum ſellam ſitus. Alii ob frequentes fontium ſcaturigines, & proinde cavitates terræ, *Bruſſel*, quaſi *Ruyſel*, id eſt, ſedem ſeu locum tumultuantem, vel *Ruyshel*, id eſt, antrum murmurans dictum, opinantur.

Sed ad urbem, qualis ea, & quomodo regatur. videamus *Situm* & *Partes*. *Situs reſpectu terræ,* locum occupat amœniſſimum. Ea agro benè culto, nemoribus ac pratis undique circumdata. Intus partim in colles leniter aſſurgit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

git, partim ſe in planitiem pandit, digniſſima maximo Principe ſedes. pulcher proſpectus ad aliquot leucas ſeſe extendit. ita quidem, ut nunquam heic vel pabuli, vel annonæ, in uſum aulæ, fuerit penuria, licet aliquando VII heic uno eodemque tempore fuerint coronati Principes congregati, nimirum Carolus V Imperator, filius ejus Philippus Rex Hiſpaniæ, Maximilianus Rex Bohemiæ, unà cum uxore Reginâ: Heleonora regina Franciæ; Regina Hungariæ, gubernatrix; & ex Africa Rex Beleſſæ. hi juncti cum aliis Principibus præſentibus, minimùm octo vel novem millia ſecum habebant equos. Ab alia parte Silva Sogniacenſis eſt, leucæ tantùm quadrante disjuncta, venatione ſimul & lignatione Regali inſignis, tùm abbatiis undique ac monaſteriis cincta, fontibus item limpidiſſimis, & magnâ fructiferarum arborum copiâ nobilis; quæ omnia inter ſe juncta & cœlum efficiunt ſaluberrimum, & aquas longè dulciſſimas.

Reſpectu aquæ, fluviolus Sinna mediam interlabitur. huic aquæductum civitas adjunxit, *die vaert;* qui per quinque tota miliaria recto ferè tramite naves ab urbe ſolventes in Rupelam fluvium, mox in Scaldim delabi facit, ut inde libero curſu, ſi velint, vaſtum mare petere poſſint, ſummâ cùm civium tum vicinorum commoditate. Præter hæc omnia, heic quinque cataractæ, quos ab effectu illi *Excluſas, Sluyſen*, dicunt; oportunis maximè locis ad aquam idemtidem coërcendum & ſiſtendum, maximâ ſanè induſtriâ & judicio ſtructi; ne ſcilicet uno, quidquid ejus eſt, impetu, in primum

primum illud receptaculum ſeſe effundat; cùm Bruxellæ &, in aquæ ductûs hujus initio, aqua, ſit quadraginta & ampliùs pedes, quàm in exitu, altior.

Forma externa cordis humani figuram exactè refert. *Circuitus* opidi æqualis ferè eſt Lovanio, comprehendens quantum duarum horarum ſpatio obiri poteſt.

Antequam diſcriminatim ad Partes veniamus, monebimus, in opido hoc *ſeptenarium numerum* multùm valere, Mathematicis ſacrum propter Planetas, qui res omnes terrenas adſpectibus ſuis & influentiis, Deo ſic diſponente, regunt & moderantur. Et hoc commune habet cum Avenione Galliæ urbe. Numerantur verò Bruxellæ, VII *fontes publici*, VII *in forum deducentes plateæ*; in quo & VII *ſunt ex ordine domus* ampliſſimæ, quæ à Senatu civibus elocantur. VII *parochiales Eccleſiæ*. VII *nobiles*, & cùm antiquitate, tùm privilegiis illuſtres familiæ. VII *Scabini*. VII *obſtetrices*, quæ mulierum parturientium curam ſuſcipiunt: hæ, cùm ejus artis admodum habeantur peritæ, & Senatui juramento ſint obligatæ, tàm tenuioris quàm ſplendidioris fortunæ matronis, è Magiſtratûs edicto uſui & auxilio eſſe coguntur. VII *portæ* Dorico opere; quarum unaquaque ſuam habet deambulationem. *Lovanienſis* ducit ad aucupium; *Algidomontana* ad piſcationem; *Obbruxellenſis* ad venationem; *Anderlechtenſis* ad agros; *Flandrica* ad paſcua; *Lakenſis* ad fontes & vineas; *Mechlinienſis* ad hortos.

Iam ad *partes*. *Exteriores* ſunt; *Muri* opidum

dum cingunt gemino ambitu, & aggere præalti, foſſis adſitis amplioribus. Turres in mœnibus (ſi veniant in numerum minores) LXXIV. è quibus plures vetuſtate & bello collapſæ. *Interiores*, ſunt *ædificia, religioſa* & *profana*. Inter VII parochias eminet D. GUDULAE. intus duorum Ducum & Archiducis Erneſti ſepultura, & aliorum cenotaphia infinita. ad latus odei ſacellum eſt; ubi tres aſſervari dicuntur hoſtiæ à Iudæis confixæ. (*Guicciardin. heic.*) templum duabus inſigne turribus; ad quas IↃ gradibus aſcenditur: cujus excelſum Pario jaſpide, opere Corinthiaco ſplendens, piorum eleemoſynis in templi medio erectum eſt.

Franciſcanis, qui à capucio vocantur, rigidiorem vitæ modum amplexis, nuperâ memoriâ extructum monaſterium eleemoſynis Hiſpanorum & Italorum potiſſimùm, anno cIↃ IↃ LXXXIIX.

Patres Societatis primò advenerunt è caſtrenſi peculio ſuſtentati. nunc ex publicis & privatorum eleemoſynis collecto ære, & collegium & ſcholam aperuerunt, anno cIↃ IↃc IV. numero creverunt ad LXX. ſub Rectore Carolo Scribanio nobis patebat aditus ad bibliothecam.

Cœnobia virorum alia, ut & virginum, noſtrum heic non eſt deformare; videatur Grammaye, qui ampliter de his. Unum addam de *mulieribus*, quæ exemplo Mariæ Magdalenæ ad meliorem frugem converſæ ſuum habent collegium: pœnitentes, quæ huc ex magno naufragio evaſerunt, inſtitutum D. Auguſtini reformatæ ſuſceperunt.

Hoſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Hoſpitalia in urbe varia ſunt. Eſt *Noſocomium* publicum D. Ioanni inſcriptum, ubi omnes omnis generis ægri curâ & ære publico per Medicum & Chirurgum peculiares foventur curanturque. Aliud, ubi utriusque ſexûs homines, *fratres & ſorores* dicti, infirmis ſubſerviunt. Sunt inſuper IV excipiendis *hoſpitibus & peregrinis* deſtinata domicilia, ubi unicuique advenæ triduum hærere permittitur, nimirum, *Giſleni, Iacobi, Laurentii, Cornelii*. Huc referenda inſignis publico ære ſtructa, coërcendis qui in *phreneſin* inciderunt, honeſto loco natis. Alia inſuper *expoſititiis* infantibus nutricandis dedicata ſunt, & *eleemoſynariæ* domus diverſæ, quas S. Spiritus vulgò vocant.

Loca ſacris ſimilia ſunt *ſcholæ* & *ludi*; quos, præter Ieſuitas & Auguſtinianos, numerant quidem XLV.

ÆDIFICIA ad uſum politicum nunc luſtremus. Inter hæc EQVILE REGIVM primo loco, capax CXXVII equorum, uſibus tamen & exercitiis inter ſe diſtinctorum. Supernè *armorum conclave*, & repoſitorium, quibus olim Duces Burgundiæ in bellis utebantur. Ibi equi exuviæ expanſæ, & in ligneum corpus explicitæ, cui Archidux Bruxellam ingrediens inſedit; alterius item ſed candidi, Archiducem è prœlio Neoportenſi qui reportaverat, caudâ humum verrentis, jubamque longam demittentis; adjectâ inſcriptione:

Il cavallo noble.

Siſte gradum, ſpectator; ego de nomine dicor
Nobilis: at præſto nobilitate rei.

Archi-

Archiduci Alberto ſubſtravi corpora quondam,
Quando prope Oſtendam Martia Erynnis erat;
Illumq́ eripui pugnantem hoſtibus armis,
Cum vel ei, mihi vel mors ſubeunda fuit.
Me magis ardebat miles: quia virginis inſtar
Cernebat niveam creſcere fronte jubam.
Hinc, ut me raperet, crebro ſua ſpicula & enſes
In caput ignoti ſtrinxerat Archiducis.
Evaſi, eduxiq́ virum, meq́ ipſe reduxi
Incolumem: noſtra non erat hora necis.
Aſt anno vertente die quâ evaſimus ambo,
Nobilis interii. Cernite qualis eram.

Ibi *pectoralia* ferrea LII: inter quæ Archiducis, quo prœlio Neoportenſi interfuit indutus; ut & ephippium. apparatus alii equeſtres, ſtapedes, calcaria, fræna, enſes diverſarum gentium; dono huc miſſa omnia, unionibus, margaritis, gemmisq́ue exornatiſſima. Ibidem *Caroli Audacis* Burgundiæ Ducis *gladius*, quem, equeſtrem dignitatem alicui collaturus, Carolus V Imperator adhibere ſolitus fuit. Omnia polita, diſpoſita, & purè cuſtodita aſſervantur. Subtus in equilis area, *currus ſponſalis* monſtratur, Mediolani fabrefactus, pretii quatuordecim mille coronatorum, olim Iſabellæ ingreſſuræ Bruxellam oblatus. pretium ſi cogitas, æſtimabis artem, & anhelabis videre.

Palatium ipſum in editiori urbis parte eâ magnificentiâ eſt exædificatum, ut Regiæ Majeſtatis dignitatem ſatis præ ſe ferat, idonea Curialium ſedes, & peropportuno loco poſita. *Atrium* majus non diſſimile Hagenſi; ubi trophæa & ſpolia appenſa. *Porticus*, quæ binæ ibi,

habent Regum & Principum icones. Per unam Archidux, vehiculo inſidens, agitare equum conſuêrat prono deſcenſu in hortum. res digna viſu. Iconum nomina illuſtria adponam, ut adventantem excitem. *Vladiſlaus* Sigiſmundi III Pol. Regis filius ad ſiniſtram januæ ſuperſtat. *Iſabella*, cum binis aliis è Hiſpaniâ donatis. *Vxor Philippi III. Albertus. Philippus IV* cum uxore. E regione *Ferdinandus II* Imperator, cum *cane candido.* quem Viennæ vidi perpetuum Imperatoris aſſeclam & cuſtodem. prandenti ad pedes eſt, nec è conclavi cedit. obeſæ formæ, minusque licet venuſtæ, magnæ tamen fidelitatis exemplum. *Maria* Ludovici XIII Gall. R. mater. & *Anna Mauritia* Regina, uxor Ludovici. *Heleonora* Imperatrix. *Sigiſmundus III* Pol. Rex, & *uxor.* Altera *porticus*, diverſa navigia, menſas magnę artis & valoris exhibet; nec non horologia, globos argenteos. Iconem item Alberti; qui penitius introſpicienti Iſabellam videre dat; & Iſabellæ, quæ Albertum. Non longe inde diſtat *locus concameratus*, ubi Alberti denati effigies. indutus tunicâ monachali Ordinis Minoritarum, tenens manu crucem. hoc habitu dicitur ſepultus in æde Gudulæ in ſacello, ſine ullâ pompâ. *Sacellum* inde Alberti & Iſabellę pete. locus devotioni deſtinatus: octo intus cellulæ, octo aris coruſcantes: penſile ſupernè ambulacrum artificioſiſſimi operis ædificium ambit: lychni undique penſiles, & ardentes: aurum, gemmæ & reliqua ornamenta oculos perſtringunt, ſenſusque attrahunt; opum heic acervus & magna donaria. Ipſa Princeps, noctu devota, pro-

procumbit foris ante feneſtellam parieti inciſam.

Arci adhæret *ampliſſimus circus*, perpetuo muro clauſus, ad extrema uſque urbis mœnia extenſus; qui omni delitiarum genere, Regibus Principibusque & quâvis nobilitate dignarum, copiosè abundat. Nemus eſt, & labyrinthus à Burgundis Principibus adornata. *Vivarium*, habet artificioſo opere canalem, è ſecto lapide, limpidiſſimæ aquæ; quâ vaſa onerantur & in arcem per binos camelos indies portantur. Ibi feræ, damæ aſſervantur. In piſcinis cygni & trutæ, in aviario volatilia nutriuntur, laſciviunt, congrediuntur.

Mox ambulationibus, pilæ ludo, epulis, omni recreationi ſua loca ſunt deputata.

Perge ad *cryptas.* altera inferior; ubi Pegaſus concentûs muſici, quaſi cantor, metitur numeros; Orpheus pſallens, è fidibus delicatam elicit harmoniam; juncti ſunt globus cœleſtis, & Satyrus.

Inde VII graduum ad alteram aſcenſus eſt; in quinque partes ſive alveos diſtinctam. ibi organum ſuaviſſimum edit concentum, Satyro rem tibiâ juvante: aves modulantes, opifices operantes, audiuntur, videntur.

Ad deſcenſum hortus florum patet, labyrinthi ſpecimen ſingulare oſtentans; ubi in contemplatione ejus hæres, fiſtulæ benè multæ ſubterraneæ, arte poſitæ & directæ, te aſpergent.

E vivario exeunti fons cum ingenti labro oſtenditur; ſunt duo leones grandis formæ, avem ore perpetuam aquam evomentem

medio tenentes: Opus natum ipſâ *Iſabellâ* inventrice, & in declivi poſitum.

Palatium hoc regium verſibus Nath. Chytræi augeamus:

Excepit Bruxella, *ſacras ubi Cæſaris arces*
Vidimus, adjunctosq; hortos muro undiq; cinctos,
Tum magno ſpatio ut ſilvas & luſtra ferarum,
Vitiferosq; unà colles, fontesq; lacusq;,
Prataq; contineant. multas hìc undiq; damas,
Capreolos, leporesq; leves, cervosq; fugaces,
Diverſi & generis volucres plantasq; tenellas,
Cretenſisq; novum ſpecimen videas labyrinthi.
Hac olim magni moderator Carolus orbis
Sede libens vixit: proceres hìc undique multi
Confluxère olim, pacem auxiliúmve petentes.

A palatio Ducis, ad *palatium Senatorum*, ſive curiam deſcẽdamus: eximium opus, curâ Principis & Opidi ſtructum. admirandum ab aqua, ad faſtigium quę duci poteſt. *Turris* re & nomine præfert Archangelum Michaëlem, urbis tutelarẽ, ſtatuâ verſatili æneâ pedum xv perfecta. *Supremæ contignationes*, ſunt armamentarium & repoſitorium jaculorum, arcuum & ejusdem generis veterum armorũ. *Curiæ conclavia* merentur videri ob tot tot tabulas, Principũ pictorum opera. Vna *judicium Salomonis*, Rubenii manu pictum, pretio ter mille florenor. habet. *alæ* ſive latera, icones Scabinorum tenent. *januæ* ſuperſtat Iudicium extremum. Conclave adſitũ exhibet *Iſabellam Archiducem* in encæniis paganis *pſittacum* arcu dejicientẽ de turri. *de hoc exercitio Meter. l.* VI. Alia tabula *eandem Mariæmontio* reducem exhibet; arx eſt paucis leucis Bruxellâ abjuncta, ſilvâ circummunita, feris abundans,

undans, (*en eſté le ſejour d'Archiduc.*) Alia cõclavia alias tabulas, triumphali currui pro introitu Iſabellæ impoſitas, habent: in alio, videbis XVII Belgii Ordines, adverſis armis inter ſe congredientes; inter quos medio loco poſita ipſa *Belgica*; ſupernè è nubibus Albertus & Iſabella cum palmis procedunt. Ante curiam, in area *rotundus circus* è lapide ſtratus, cui pegma olim inſtitit, ſupplicio Hornani & Egmondani Comitum (nefas dictu) deſtinatum.

Præter Archiducis palatium, eminent aliorũ adhuc Principum magnifica palatia. nimirum *Arſcotanum*, ex adverſo palatii Principum. *Auraicum*, in acclivi collis palatini, cujus magnam partem non ita pridem flamma depaſta erat incuriâ præfecti, ut dicebatur. *Aumalianum*, *Clivenſe*, & *Hoochſtratanum*, haut procul à palatio ad latus. *Barlamontanum*, & *Arenbergicum*; *Mansfeldicum*, & *Egmondanũ*, ſecus opidi muros. *Soranum* cum aliis aliquot circa planitiem arenaceam. *Fürſtenbergicum*, & *Spinolanum*. hoc Principum diverſorũ effigies copiosè tenet. palatium Comitis de Culemburg olim fuit: hodiè, eo ad fundum dejecto, pyramis è marmore conſpicitur ab Inquiſitoribus iſtuc poſita, cum inſcriptione IV linguarum; quarũ latina hęc eſt:

Regnante Philippo II, Cathol. Hiſpan. Rege; in his ſuis inferioris Germanię regionibus gubernante verò Ferdinando Alvarez de Toledo, Alvæ Duce, &c. Florentii de Pallant Comitis Culenburg quondam domum ſolo æquari ſancitum eſt, ob

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

execrandam memoriam repetitæ in ea conjurationis adverſus religionem eccleſ. Cathol. Rom., Regiam Majeſtatem, & ipſas regiones. anno à ſalut. cIↃIↃLXVIII, quinto Calend. Iunii. *Meter. lib. 3. pag.* 110.

Ad ſummam, ſolent provinciæ Belgarum plures, Abbatiæ ferè omnes, urbes pleræque, ſua Bruxellis habere palatia ſive hoſpitia.

E regione Curiæ, ſitum eſt palatium à piſtore quidem ſtructum, ſed magnis ſumtibus; *dat Beckenhuys.*

Montem pietatis, anno cIↃIↃcXVII, ne relinquas inacceſſum. ex Italia inventio eſt: Patavii, Neapoli & aliis Italiæ locis magno cum inhabitantium uſu videntur.

His adnumerari poſſunt *domus* VII *tribuum patriciarum*. I. Quarum prima ſita ad lapidem angularem in acclivi montis frigidi, *op Canter-ſteen*. II. in angulo vici Montenſis, loco qui Saxum Maximiliani dicitur, *Maximiliaens-ſteen*. III. IV. V. circa forum locis. quæ nunc *domus ſalaria*, *'t ſout-huys*; alia à decidendis litibus dicta, *'tpay-huys*; item *Hugonis Saxum*, nominantur, *Huys-ſteen*. VI. apud torrentem calceariorum, (*Schoen-beeck*,) loco qui *Falcoburgum* vocatur. VII. in platea equeſtri.

Præter has, ſunt *ſeptem* illæ magnificæ forum coronantes ædes; *Frumentaria* item domus; *Halla*; *Macellum*, & menſurationibus ſubſerviens. *Forum piſcium*, ab Alberto Archiduce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

chiduce anno cIↃ IↃc II in opportunum locum tranſlatum. *Pontes lapidei* flumini ſuperinjecti XII. *Turris D. Nicolai,* collapſa olim, ſed pulchriùs reſtituta, & anno cIↃIↃc V inſigni horologio & præludio muſicali inſtructa, ingenti impensâ è publico ſuppeditandâ.

Ad extremum, ſuperſunt *privatæ* civium ædes. amplitudine, ſpecie, ſplendent; commoditate fontium inprimis & hortorum jucundæ & amœnæ. Fontium in privatis ædibus decem ſubinde diverſis locis erumpentem aquam obſervabis. Hortorum non amœnitas ſed luxus eſt; & invenies, qui flores ſuos ſeptem aut octo florenorum millibus æſtimet, exiguo in hortulo natos; *ait Grammaye.*

Heic quia hortorum mentio eſt, extra opidum in propinquo eſt ANDERLEE, *hortus Ducis Aumaliæ,* floribus amœnus, aquis fœcundus, dignus ab adventantibus videatur. Alio loco & viâ quâ Gandavum tendimus, Archiducis *pharmacopola domum* & *hortum* ſtruxit. non civis ſed Principis manſio eſt. Eâdem viâ locus eſt BERGEN, diſtans Bruxellâ ſemihorâ, ubi picta memoria Caroli V Imperat. & ruſtici. Imperator in venatione aberrans à ruſtico oſtenditur; Bruxellas ſerâ nocte, nemine comitante, omnibus inſciis, imò ipſo ductore, cum laternâ prævio, reducitur; quid inter illos ibi actum inquire ab inhabitantibus.

Sed regrediamur in urbem, paucis *ſtatum* ejus *pacificum* & *turbatum* luſtraturi. In pace florent Magiſtratus & ſubditi.

Magiſtratus heic, non qui in Palatio regio, ſed in urbe ſedet; paucis deformandus. Eligitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

à Principe, è ſeptem ſtirpibus patriciis nomita ſunt: *Sleeuſii*, 'Sleevvs; (leonem ſonat, quem in ſcutis circumferunt:) *Tſvvertii*, Svverti; (à gladio aut hoſpite ductum nomen:) *Tſerrodolphi*, Tſerroelefs; (Herois Rodolphi poſteros ſignificat:) *Stenvvegii*, Steenvvechs; (viam lapideam denotat:) *Tſerhugii*, Serhuygs; (ab heroë quodam Hugone dicta & ducta ſtirps:) *Rojenbechii*, Rodebeken; (à ſuburbano quodam loco:) *Cavenbergii*, Cevvenberghe; (ab urbano quodam loco.) Annuus eſt, titulo Scabinorum inſignitus, *ſeptenario* numero conſtans. His Scabinis, *duo Conſules* adjecti; alter è nobilibus, è plebe alter; cum *Conſiliariis* VI, qui ſunt viri ſpectabiles, ex artificum cœtu delecti. Conſules cum Scabinis juri juſtitiæque præſunt; iis verò omnibus præit *Prætor urbanus*, juſtitiæ adminiſter, vir primi nominis & nobilitatis; à quo rogati Senatores tenentur jus dicere & reos judicare. Sequuntur *publici censûs adminiſtratores*. qui ſunt ſex Quæſtores; *bini è patriciis, quaterni è plebe*. Omnes hi annuatim mutantur, rationique reddendæ obnoxii ſunt; nec, niſi intra ſexennium, ad idem munus eos aſpirare ſancitum eſt. Eſt etiam *collegium pannificii*, duobus Decanis, Aſſeſſoribus octo, mediatim patricio, mediatim plebejo genere conſtans. Præter hos inſtituti *octoviri*, ad controverſias, ob pugnas & vulnera natas, ſopiendas. Ita majus opidi conſilium conſtat tribus membris. in primo, eſt Senatus: in ſecundo, omnes viri Conſulares, Senatorii, Quæſtorii & Decanatu pannificum functi, excluſis plebeiis: in tertio, Decani ſive præfecti

colle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

collegiorum ex opificibus; & hi poſtremi autoritatem habent judicandi de rebus artis ſuæ.

Cives ſive *ſubditi* opulentiores quinque contuberniis nomen dant. quæ ſunt: Arcus chalybei majus; minus; ſclopetariorum; gladiatorum; & jaculatorum. Quodlibet collegium quingentorum eſt capitum. magnâ pompâ, ſignis prælatis, ſolemnia ſua celebrare vidimus XIX Maji Bruxellæ in area arcis. Cætera plebs in opificum claſſes LII diſtincta eſt; eæque ſubdiviſæ in IX tribus, quas *nationes* dicunt. primariæ ſunt armifabri & polymitarii; hi aulæa & picturas textiles divendunt.

Hanc formam habet ſtatus pacificus. *Turbatus* ruinam intentavit ſæpius. A *lue*, quam ſudorem Anglicum vocitabant. hæc urbem anno cIↃ IↃ XXIX graviter afflixit; ſed gubernatricis juſſu, jejunia & preces indicentis, ſe remiſit. A *peſte*; cùm ad XXXIII hominum millia abſumerentur, cIↃ CCCC LXXXIX. Ab *igne*; qui exortus in Sabulone, aliquando bis mille & aliquot centum domos abſumpſit. Iterùm alius, qui cIↃ IↃ textrinas devoravit. *A ſeditionibus*; plebs in patricios ſæpius concitata, eorum potentiam & opes ſugillans. Hinc vetitum deinde decreto Ducis, ne quis deinceps textor (ii tumultûs authores fuêre) in urbe pernoctaret ſub pœna capitis. Alio tempore laniones, factioſum genus hominum & potens, & lapidicidæ, in Senatum conſurrexit. Ad extremum *belli vis*; cum temporis calamitas, & militaris rabies, malis ſuis etiam Bruxellam implicaſſet, & profanatis templis nihil non de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſignaret, Alexander Farneſius, captis vicinis locis, ita urbem coarctavit, ut de pacis legibus egerit, præſidium urbe exceſſerit, & ita urbs Principi ſuo reſtituta fuerit, anno cIↃ IↃ LXXXV. Vide *Thuan.* & *Meteran.* paſſim. Elogium hoc opidi pro coronide adjiciamus, è Grammaye.

Regia Belgiadum, Majeſtatuq; cathedra,
Fontibus excellens, cincta palude ſuâ.
Virgo patrocinium, tutelam Archangelus; omnes
Cui Duci dederunt munera quiſque ſua.
Dis conceſſit opes, vires Mars, regnaq; Iuno,
Ornatum charites, munera quiſque ſua.
Læta polo, populoq; frequens, fœcunda ſoloq;,
Latè vicinis qua dominatur agris.
O quam te vocitem Bruxella! id Belgicus orbis
Non capit aut referet, quod capis urbe tuâ.

Bruxellæ cum tres dies quieviſſemus, ægrè reliquimus comites noſtros ex Anglia nobiſcum proficiſcentes; illis ad Batavos euntibus, ſupremum vale ſæpè iteravimus, priùs tamen cibo pauco, potuque pro more regionis accepto. Pòſt, illi equos, nos currus conſcendimus. Iter erat ſub initium ſylvoſum, mox aliquanto planius, at ſemper commodiſſimum, ita ut circa meridiem levi negotio HALLAS deducti fuerimus, *tribus leucis* Bruxellâ diſſitas; ibi in *hoſpitio* CERVI penes templum mediocribus impenſis ſatis commodè ſumus tractati.

HALLÆ

VUlgo audiunt *Noſtre Dame d' Haulx.* Nam hîc

——— *Gallica lingva*
Auditur primò, intento diſcenda labore.

Opidum

Opidum nomen habet à tutela aut conſervatione, ut aliæ *Hallæ*, quæ paſſim exſtant; nam ædificia, ubi merces aut homines defendi ab aëris injuriâ ſolent, *Hallas* vocamus; & hæc vox nobis & Gallis in ore & uſu eſt pro *Atriis*, causâ eâdem, quia ibi conventus, & in tuto ac ſudo agunt. Sic *Hallæ* Lovanii olim fuêre, lanificii & lanificum domus, modò ab Arachne ad Palladem tranſlata, in qua optimatum artium ſcientiarumque doctores & diſcipuli cottidiè operantur. Pauca de *ſitu*, & *arce;* pluria de *templo*, & ejus *ſacello*.

Situm eſt in finibus Hannoniæ, quâ Brabantiam tangit, tertio à Bruxella, ut dixi, milliari. Ipſum modicum eſt, neque opere aut ædificiis conſpicuum; à ſacello ei fama & ornamentum. Ager in ambitu bonus; fœcunda pratis arviſque planicies, quam Zenna flumen interluit, & ipſum item opidum: atque illinc rivis amnibuſque auctum Bruxellam, navium in eâ & extra eam patiens, venit.

ARX, Dynaſtarum ejus tractûs olim domus, vel Prætorium fuit, in qua egiſſe ſæpiùs, atque etiam obiiſſe *Philippus Audax*, ab inſigni animi confidentiâ ſic dictus, dicitur; frater Caroli Quinti Galliarum Regis; is qui per matrimonium Margaritæ Malanæ Flandriam cum Brabantia, imò Belgicam cum Burgundia ſua junxit: Etſi *Froſſardus* in opido quidem, ſed in hoſpitio cervi (quæ domus adhuc ibi, & inſigne) non autem in arce ſcripſit obiiſſe. Id fuit anno cIɔ cccc IIII. Mortui *inteſtina* ſepulta ſunt in hoc ipſo templo D. Virginis; *cor* Sandionyſium amandatum eſt, opidum Galliæ,

altero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

altero à Pariſiis lapide, tumulandum inibi juxta Principes ſanguinis Franciæ; *corpus* verò, balſamo priùs conditum, regali pompâ ſepeliendum deportatum eſt Divionem, Ducatus Burgundiæ metropolin.

TEMPLVM foro imminet, eleganti ſatis opere: cujus ala ingredientibus ſiniſtra ſacellum habet & aram, ac ſuper eam ſtatuam D. Virginis. *Sacellum* modicum eſt; ornatum à donariis & tabulis votivis habet. Concurſus huc olim, & nunc undique, etiam à longinquis locis, quotannis primâ Dominicâ Septembris. (is ſtatus & ſolennis dies eſt.) Fuit ólim ſodalitas antiquitùs inſtituta; & codex aſſervatur, in quem nomina dederunt. Sunt Principes utriusque ſexus. inter eos *Cæſar Maximilianus I, cum uxore & liberis; Rex Angliæ Henricus VIII, cum uxore & liberis*, eidem Cæſari amicus: *Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, Limburgi, cum uxore & liberis*: item *Dux Geldriæ & Iuliaci*; alii, alii. Sunt præterea duodecim partim opida, partim municipia, quæ dictâ die Hallis ſe ſiſtunt: id eſt, ab iis miſſi primores aliquot civium aut incolarum. Quibus Eccleſiaſtæ & Magiſtratus Hallenſes obvii fiunt, comites & honeſtè excipiunt, & ad ædem ſtatuamque deducunt. Iisdem vina & cibi, benivolentiæ ergò offeruntur. Illi autem, pro ſuo quisque opido aut municipio, chlamydem Divæ offerunt, numero universè duodecim: aut (quia affatim jam chlamydum eſt) ipſas ab æditiuis templi ſumunt, & certam pecuniam in pios uſus rependunt. In ſupplicatione deinde, cùm ſtatua per urbem & ſuburbana defertur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

fertur, illi comites ſunt: & ordine etiam humeros ſupponunt, piâ æmulatione ſacrũ onus affectantes. Opida ſunt iſta: *Athum, Tornacum, Bruxella, Valentianæ, Condatum, Namurum.* Municipia autem, *Lembeca, Quijurania, Criſpinum, Brania, Buſigniacum, & Sancti. Lipſ. cap.* XXXIV *in Diva Hal.* Tabula *aræ* incumbens ex alabaſtro, elegantiſſimè cælata eſt, Ioannis Artiſtæ opus. *Statua* haud magna (bipedalis circiter) & è puro nec medicato ligno eſt. *Lipſius* cap. VI dicit, eam immunem ab exitiali peſte; ab incendiis, à vi bellicâ: exempla ponit, & rei monumentum ſtatuit: Servantur, inquit, *centum circiter globi* è ferro aut lapide, in æde ſacra, arcis ligneis conditi, qui triginta, quadraginta, ſunt & qui ſexaginta, pondo libras pendunt. Statua illa in mediâ arâ poſita, ſed auro puro inducta. Filium brachio uno præfert, altero florem lilii inauratum. In pectore monilis vice ſunt uniones ſex, puri, grandes: & in eorum medio carbunculus, ſive pyropus lapis, quem *rubinum* nos à colore vocamus. At in capite corona eſt puri puti auri. Sunt deinde (ut ad *donaria* & *ornamenta* ſacelli veniamus) in eâdem arâ *duodecim Apoſtoli*, ex argento fabrè ſatis facti: quos inibi etiam nunc eſt videre. ſimulque ad latus utrumque aræ *duos cæleſtes genios*, ſive angelos, eodem metallo, candelabra præferentes, & venerationem Divæ exhibentes. Supra has ſtatuas, ibidem *duæ ſunt militares*, altera pedeſtris, altera equeſtris. Iſtæ pariter ex argento: ſed fuerunt & duæ, *eodem militari habitu, puri auri:* quarum pedeſtris ſecurim, equeſtris lanceam manu

manu teneret. Et hæc omnia PHILIPPI BONI munera, qui & *lampadem auream,* inſigne munus dedit: cui aliam inauratam publica neceſſitas deinde ſubſtituit. Fuit & *ſtatua,* juſtæ magnitudinis, dimidiata ex argento, donum ejus uxoris. Conſpicitur item *feneſtra vitrea* in eo ſacello, variè picturata, Philippo curante & donante. Denique & *tabula* eſt, in qua ipſe Dux ſupplicis habitu effingitur procumbens ad Divæ genua; & verſus aliquot Gallici inſcripti: annus ſubſcribitur CIↃ CCCC LV, Martii dies XX. CAROLVS filius ejus, cognomento & re AVDAX, donavit *falconem argenteum*. MAXIMILIANVS I Imperat. conſpicitur etiam nunc, genibus nixus, in ſacelli dextro latere, tabulato paullùm altiore, loricatus, & cetero cultu militari. Ponè eum *Albertus* Dux Saxoniæ geniculatur, itidem armatus; qui bellis tunc Belgicis fidam fortemque operam Maximiliano præbuit, & filio ejus Philippo. Illum eſſe, inſignia gentilicia ſatis oſtendunt. Eſt & tertius, velut per ſubmiſſionem paullùm ab illis remotior, genu pariter flexo: quem, ex inſignibus, gentis Meluniæ eſſe apparet: ac fortaſſe *Robertum Melunium*, id ævi rebus conſiliiſque mixtum. *Dona Maximiliani* ſunt, calix cum patina inauratus: cui inſculpta Auſtriæ gentis inſignia, ſuperaddito pileo Archiducali. Ex quo liquet, ſub initia, & Archiducem adhuc, dediſſe. Ejuſdem eſt *Divi Maximiliani* ſtatua argentea, admodum bipedalis: quæ mitram capite, crucem unâ manu, alterâ gladium geſtat, & ab eo dependentes argenteas duas claves. Fama tenet, (& clavium argumento adſtruas,)

Bruxel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Bruxellenſes, tunc in pacem ditionemque acceptos, velut mulctam dependiſſe. Eſt ab eodem arbor, ſive roſæ frutex, è puro auro, cum pluſculis ramis floribusque, item bipedalis: quam ſacratam à ſe Pontifex Maximiliano donum, ipſe porrò Divæ Hallenſi miſit. CAROLVS QVINTVS Imperator, ſtatuam argenteam viri armati, genibus nixi, manibus in cœlum ſublatis, ſupplice habitu, dedit dicavitque. Idem ſcyphum grandem inauratum, operis antiqui. Idem militari formâ chlamydem, villoſo ſerico, auro intertextam, inſignibus imperii, & gentis Auſtriæ, decoratam. ALBERTVS AVSTRIACVS donum ſuſpendit lampadem argenteam, pondere & opere inſignem: eique vectigal annuum addidit, ut in ævum ante effigiem ſacram luceret. Iſabella Clara Eugenia, ejus uxor, chlamydem ſacravit, auro & argento intertextam. Præter hæc, eſt *lampas argentea*, Iulii II P. M., inſcripta, ANNO VIIII IVLIVS PONT. MAX. Item *ſtatua argentea* viri geniculantis, donum *Fuggerorum*. Ad ſummam, numerare ego XX *lampades* argenteas, uſibus ſacris deſtinatas. Præterea ibi ſcipiones, fulcra, mali aut tabulæ navium, variæ hominum aut eventuum figuræ. Vincula item; & icunculæ è cera, è ligno. Sed & PENNA argentea LIPSI, argenteis catenis appenſa, ad ſiniſtram notari debet; ſubtus tabula cum his verſibus: *(mea,*

Hanc, DIVA, PENNAM interpretem mentis
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit & terræ, & maris:
Scientiæ, prudentiæ, ſapientiæ

Ope-

Operatæ ſemper. auſa quæ Conſtantiam
Deſcribere, & vulgare; quæ civilia,
Quæ militaria, *atque* poliorcetica;
Quæ, ROMA, magnitudiné *adſtruxit tuam;*
Variaq́, luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perſudit: hanc PENNAM *tibi*
Nunc, DIVA, *meritò conſecravi* LIPSIVS.
Nam numine iſtæc inchoata ſunt tuo,
Et numine iſtac abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA *peperit, tu perenne gaudium*
Vitamq́, DIVA, LIPSIO *pares tuo.*

Supernè ad aræ dextram ſuſpenſa ſunt v vexilla, ſpolia Chriſtiano Brunsvicenſi ablata, & huc illata; adſcriptum diſtichon, in quo anni numerus:

HæC tIbI ſanCta parens hoſtILIa sIgna IſabeLLa
BeLgarVM prInCeps ſaCra tropæa VoVet.

Extra ſacellum in ipſa æde, ſuſpenſum eſt vexillum ingens cum cruce Burgundica, donum Buquoyanum. Videtur & inter cætera, quæ templi faſtigiis erant affixa, *haſta*, quæ cùm craſſitudine brachium viri robuſti æquaret, telo tamen ex arcu manuali, ut vocant, emiſſo transfixa ſpectabatur, ad rei ferè miraculoſæ memoriam.

Hallis refecti prandio, transeundo pagum *Thubiſe*, viâ ſatis jucundâ, ad opidum (Gallis *Braine le Comte*) devenimus, tribus à prandio milliaribus diſtans. Opidum perantiquum eſt, natum & conditum à famoſo illo *Brenno*, urbis Romæ deſolatore; Ejus adhuc hodie monumẽtum conſpicitur, perantiqua quædam turris.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Hinc ad ſiniſtram relinquitur *domuncula quædam viridis,* mirè delicioſa, arboribus contextis undique circumſepta, in quas è domo veluti in tabulata ingredi poſſis; domuique tignis erectis conſtructæ, domus ramis exurgens annexa videri poteſt. Sub veſperam per amœniſſimum nemus Soigniacenſe, SOGNIACVM opidum (*Soignies*) quatuor leucarum intervallo Hallis diſſidens intravimus, cœnaturi AV DAVPHIN D'OR. Nomen ſumit à fluvio allabente Zinnâ; opidulum amœnum ſitu, celebre collegio Canonicorum, cui à D. Vincentio nomen eſt. Natalis hic locus eſt multis Muſicis canorâ voce præditis; unde in hoc opido Princeps Cantoribus ſuis mercedem & annua honoraria pendere ſolitus fuit. Nocte hîc ſomno transactâ, proximâ luce ad Montes Hannoniæ acceleravimus, tribus emenſi viam leucis circa meridiei horam; ubi incommodum in immundo fuit commorari hoſpitio AV SINGE.

MONTES.

GAllis *Mons.* Opidum exiſtimo nomen habere à montibus ſeu collibus, quibus inædificatum. Eſt enim ejus pars quædam & angulus in montem ſublimem aſſurgens; cujus vertex ſpatioſus, planities multas habet leves, & luſibus diverſis aptas: In his exercere ſe globo juventus conſuevit. Vnde & compoſitiſſimum in ipſa valle conſtitutum caſtellum conſpicitur, & amœniſſimus in circumjacentes montes & ſilvas proſpectus aperitur. Eſt Hannoniæ metropolis à Carolo Magno facta. Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

terluitur fluviolo *Trullâ*, qui è pluribus rivulis derivatus, præcipuum habet fontem ad pagum Grandrengam. Fluit Trulla continuo ferè trium leucarum ſpatio verſùs occidentem: atque inde, in exitu hujus urbis Hainam fluvium influit. MONTES ſitu & opere ſunt munitiſſimi; qui omni ex parte inundari poſſunt & aquis cingi; inſuper præter ſitûs vaſtitatem firmitatemque, robuſti operis muro, & triplici admodum latâ foſsâ, arceque decorantur. Accedit ædificiorum magnificentia decens; platearum amplitudo, fori ſpatioſitas, fontium limpidiſſimas aquas ejicientium copia. *Epiſcopi aula*, novum opus, ſed ſine omni adhuc ornatu, foris inſcriptum candido muro habet: FORTE A BELLO PAX.

Collegium Canonicarum, & *Conſilium Regium*, opido lumen & famam dant. Vtrumque paucis. Gualtrudis illuſtris mulier, Lotharingiæ Princeps, pulcherrimi operis templum ſtruxit, inque eo celeberrimum *Canonicarum* ordinem inſtituit, ad cultum divinum præſtandum, & horas, quas vocant, Canonicas decantandas. Ordinem, inquam, nobiliſſimum, ut in *quem ſolæ dynaſtarum & virorum magnatum filiæ recipiantur:* hæ honeſto ſatis proventu ab ipſo collegio ſuſtentantur, & ſingulas manſiones, templo ferè contiguas, incolunt. Novum & infrequens virginum religioſarum genus vidi & miratus ſum. ante prandium quidem, ubi in templo ſunt, divinum quid & ſacerdotale præ ſe ferunt: veſtitu hoc teſtantur religioſo planè & candido; tunc arbitror *ſacerdotibus vacant* ſolis. poſt prandium, rejectâ perſonâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſonâ ſunt quidvis; *ornantur, comuntur, ſaltant,* & credo, *dicit Ioannes ſecundus in ſuo libello itiner., tunc patent. & nobis.* Licet enim iisdem, cum lubet, cœnobio exire, nubere & opus pro cupidine ſua agere. Collegio præeſt Abbatiſſa, luculentâ ditione dives. Hoc tempore Hannoniæ Comites ſunt Antiſtites ſæculares, patroni, cuſtodes, judices, protectores ac defenſores dictæ ædis, perſonarum in eâ viventium, & bonorum collegio relictorum; quibus & ſine ullo obſtaculo perfruuntur, & Antiſtitæ ſuas regendi vices mandant. Hæc autem in æternam fundationis memoriam tantam habet præeminentiam, ut ſuccedente novo Hannoniæ Comite ipſa eum magnâ ſollennitate ſuſcipiat, ac in Comitatus & dignitatis abbatialis aliorumq́ue bonorum à collegio dependentium poſſeſſionem immittat: ipſo contrà jurejurando ſe obſtringente ad privilegia omnia, immunitates, exemtiones, conſuetudines & profeſſiones templi & cœnobii conſervandas. Præterea heic ſunt *Canonici* aliquot, ſed vix alii rei, quàm negotiis hujus Collegii procurandis. In ipſa *Aede* harum virginum, *ſepulchrum* non inartificioſum eſt, in quo ſculpta mortui & jam putreſcentis hominis imago jacet, eâ ſpecie, ut vel vomitum poſſit excitare, plurimum autem & re docuit, & arte oblectavit.

Conſilium Regium ſive *Provinciale*, quod *Montibus* eſt, Hannoniæ Comitatum judicat, Valentianis modò exceptis. Iudicat autem Senatus hic (qui conſtat Regio Provinciæ hujus Gubernatore, & quattuor Senatoribus definitivè;

nitivè; ſuntque ſententiæ ejus decretoriæ, nec Mechliniæ aut alibi retractantur. cumque de plano (forenſi verbo) heic procedant, utanturque ſuis municipalibus legibus; fit ut ſine ambagibus ullis tricísve, ſed ex æquo & bono, unicuique reddatur jus. neque verò pronuntiatur heic decretoria ulla ſententia, niſi interveniente ſupremo Hannoniæ terræ Ballivio, tamquam Principis in civilibus ſimul & capitalibus cauſis vicario. *Guicciard. heic.*

Coronidis loco *adverſa urbis* adjiciam, quomodo *Montes* aſtutiâ militari à Ludovico Naſſovio intercepti. *Meter. lib.* IV, cujus & *Thuan. lib.* LI meminit, habet hiſtoriam. nos è *Meurſio, lib.* III *rer. Belg.* hanc damus. Naſſovius cum Lanovio & Ienliſio de Montibus opprimendis deliberat. ea urbs Hannoniæ prima, auguſtis ædibus, curiâ provinciæ, & antiquâ arce inſignis. mœnia ſolida è lapide quadrato, atque in illis turres crebræ,& propugnacula. circùm foſſa triplex ambit. ab hac initium audendi factum: ut, quantum animi ad vindicandam libertatem adferret, illuſtri exemplo in ipſo ſtatim principio oſtenderet; & de reliquo conatûs egregii ſucceſſu provincialibus ſpem aut conjecturam daret. Et acceſſerat pridem Antonius quidam Olivarius, fecialis, pictorque, qui impetratâ ab Albano veniâ, ceu res Gallicas exploraturus, animum ejus ſollicitaverat; aſſeverans, ſi cum copiis ſaltem exiguis ad urbem accederet, fore oppidanorum plus IↃCC qui ſe adjungerent. Igitur cum equitibus levis armaturæ IↃ, ſclopetariis CIↃ, clàm ſub veſperam ad urbem venit; copiisque

in

in ſilvâ vicinâ occultatis, duodecim aliquot ſelectos milites, caſum tentaturos, emittit: qui diſſimulato habitu, ceu vinarii mercatores, idem diverſorium ingreſſi inter cœnam hoſpitem rogant, quâ portæ aperiendæ horâ. eſſe ipſis vini plurimum, ob ſolis æſtum noctu advehendum. atque is, ignarus doli, quartam dicit. attamen, ſi maturiùs vellent, aliquid cuſtodi promitterent, qui tempus non gravatè præverteret. ita ſummo mane hunc accedentes, cùm ad ſpem pretii portam maturiùs aperuiſſet, hominem obtruncant, clavesque eripiunt. inde urbem è veſtigio cum equitibus L. Naſſovius invadens, eos per vicos disponit, ac, ſicubi oſtia aut feneſtras aperiri conſpicerent, illuc ſclopos explodere jubet. & vociferari interim, *ne timerent, aut hoſtile quicquam tentarent. adeſſe libertatis auctores, & Auriacum in propinquo, qui decimæ tributum gravisſimasq; Albani exactiones averteret.* Id aliquot horis tam incondito clamore actum, ut vel milleni in armis eſſe viderentur. Vrbe captâ, dum ſic domus obſiderentur, neque reliquæ copiæ procederent, ociùs ſe Naſſovius proripit, cogniturus quid morarentur. itaque per ſilvam oberrantes equites quingentos, qui ſingulos à tergo pedites veherent, in urbem ducit. inde curiâ occupatâ portas claudit, ac per vallum excubias ſtatuit. tum Magiſtratum convocatum blandè affatur: *non hoſtem, ſed amicum veniſſe; proinde illæſam urbem habituros. adventare Auriacum fratrem, cujus nomine rem tam magnam incœptaſſet. nihil aliud animo agitare, quam ut florentiſſimum*

pridem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

pridem Belgium contra vim Albani adjuvaret. eâ oratione deliniti, ſe ſuaque omnes illi ultrò permisêre. Deinde incertis obſequii civibus arma adimit; alios conſueta artificia, aut commercia, exercere per tubicinem jubet: ſuos protervè agere vetat. Inventa ibi arma multa, & cætera belli inſtrumenta; ærarium ingens. ſed, ut in urbe limitaneâ, commeatus exiguus, gaza plurima, plurimum ſacræ ſupellectilis, & ex auro argentóve imagines ſanctorum, quas vicinæ Abbatiæ & monaſteria, famâ captæ per Lumæum Brilæ territa, ceu in loco maximè tuto aſſervandas depoſuerant. Hæc ille. Ita Montes capti; verùm eodem anno ab Hiſpanis rurſus obſeſſi & dediti ſunt, ut Hiſtorici, de quibus ſuprà, referunt.

Montibus egreſſi, BOSSVTVM venimus, duabus inde cum dimidiâ leucis abjunctum. pagus ſanè quàm lautus, & pulcherrimo non Hannoniæ modò ſed & Belgicæ univerſæ caſtro ſpectabilis, ideoque & Comitatus dignitatem à Carolo V Imperatore conſequutus.

Inde *Kieuraing* pagum habuimus, & quod reliquum erat viæ uſque ad *Vallem-cygnum* ſine moleſtia devoravimus, opidum VII leucis Montibus diſſitum; ubi cœnam pro more regionis non ita amplam, amplo tamen in hoſpitio, *à la ville d'Orleans*, habuimus.

VALENTIANÆ.

V*Alenchiennes* vulgò. Nomen opidi Hiſtorici derivare volunt ab Imperatore Valentiniano, qui in hunc locum delatus, & amœnitate fertilitateque ac temperato illius cœlo mirificè captus,

captus, aliquamdiu heic ſubſtitit, & circa qualemcumque arcem hanc urbem fundavit, vocatam de nomine ſuo *Valentinianam*.

Sed urbis videamus MATERIALE & FORMALE. Illud in *ſitu* & *ædificiis*. *Situs*, *partim* in valle quadam amœniſſima ad Scaldim flumen, quod opidum ferè medium interluit, & junctâ Ronellâ, altero ad portam Cardonam intrante fluviolo, tantum aquæ adducit, ut præter compluſculas inſulas, per ſingulos ferè vicos ſubter domos labatur perennis quidam & jugis rivus, non privatis dumtaxat civium uſibus, ſed univerſim quoque urbi muniendæ peropportunus, ita ut foris potior urbis pars inundari, intùs autem ſingulis pænè paſſibus exſtrui poſſint propugnacula: *partim* in adſcenſu eſt, & collium formam obtinet; heîc latæ profundæque foſſæ, vallis & muris validiſſimis communitæ. Hinc à ſitu, æſtimatur *munitum* quî ſit opidum, ita ut non niſi gemino exercitu obſideri poſſit, & hoſti expugnatio detur difficilis. Alioquin ſanè amplum, amœnum, plurimisq́ue admodum ſumtuoſis ac magnificis ædificiis concinnum. Quæ nunc, ſed paucis, videbimus. Sunt *ſacra*, ſunt *politica*. Templum D. Virginis (incolis *noſtre Dame la grande*) primarium eſt; ædificium antiquum ſed artificioſo opere factum, redolens vetuſtatem, ac numine plenum videbatur, lumen admittens quale ferè ſilvæ. Laterna illis dicitur; in medio fornicis lucem diurnam transmittit ad loca ſubtus poſita. Columnæ ibi triplici ordine diſtinguuntur ſolido è lapide, teretes & leves, uſq; adeò ut natæ videri potuerint, partim è mar.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

è marmore, partim è porphyrite: mirandos efficiunt arcus, & ampliſſima infrà ſupraque inambulantibus præbent ſpatia, grato ſanè & peramœno adſpectu.

Præter templum *Ioannitanum*, cœnobia adeantur. *Franciſcanorum*, amplum & pulchrum eſt, tumulis Principum & epitaphiis exornatum. *Dominicanorum* LXXX fratribus claret, & tumulo Ioannis Avennenſis, Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani nepotis.

Religioni & piis uſibus plura ſunt dicata loca. Eſt *ſchola*, quâ juventus Græcè Latinè docetur. Eſt *domus orphanorum*, ubi tenuioris fortunæ pueri puellæque, à pluribus utriusque ſexûs magiſtris varia diſcunt opificia: & hæc omnia ad inſignem diſciplinam, & exactas leges.

Politicis ædificiis famam dant *prætorium*, *palatium Comitis*, & *armamentarium*. Hoc ſpectabile quidē, ſed non dives. Iſtud in angulo quodam verſûs Scaldim ſitum eſt, olim *aula Comitis*, vulgò *la ſale du Comte*; antiquitùs audiebat *aula Imperatoris*; ubi & loci ipſius ſplendore & cœli ſalubritate capti Hannoniæ Comites, iidemque Valentianarum Domini, ut plurimùm olim habitabant. Illud, *prætorium* nimirum, vulgò dictum *la halle*, primario opidi foro impoſitum; cujus frontiſpicium totum è ſecto per artem lapide; feneſtris & valvis variè ornatum; eo adſpectu & magnificentiâ, ut ſplendorem conciliet toti foro. Inſunt huic ædificio, ab eadem manu & opere, *templum D. Petri*; Eximium inſuper *horologium*; quod in edito poſitum, etiam procul abſtantibus eſt con-

conſpicuum; neque horas tantùm, ſed & lunæ aliorumque planetarum curſum, menſes item & quatuor anni tempora, dierum longitudinem, alia, alia, demonſtrat. Horologio ſubeſt *forum frumentarium*, amplum ſanè ac ſpatioſum, nec injuriæ tempeſtatum aërisve expoſitum. Suprà, *lanarum mercatus*; mox *ludus gladiatorius*; inde *pannorum mercatus*. Magiſtratuum urbanorum item *curiæ*, amplæ & laxæ; nec non *publicus carcer*. Ita ut unicum iſtud ædificii corpus, quæſitâ quâdam capacitate, omnia penè complectatur membra publicis opidi uſibus neceſſaria. Opus hodiè benè & aptè commenſuratum, ſplendidum atque magnificum, natum auctore *Guilielmo* cognomento *Bono*, Hannoniæ, Hollandiæ & Zeelandiæ Comite.

His operibus publicis adjici poſſunt x *pontes*, Scaldi injecti fluvio; quibus ſuperſtructæ ſunt amplæ quædam & commodæ manſiones, habitatæ ut plurimùm à privatis iſtis aulæ publicisque Hannoniæ terræ Quæſtoribus, aliisque miniſtris Principalibus; qui omnes, vectigalium omnium urbanorum ſunt immunes.

FORMALE in *Magiſtratu* & *Subditis* conſiſtit. *Valentianæ* cùm peculiarem ditionem conſtituant, ac legibus ab Hannonicis longè diverſis utantur, duplici Magiſtratui ſubſunt. *In eccleſiaſticis* ſuperiorem agnoſcunt Archiepiſcopum Cameracenſem; cujus nomine ſedem heic habet Archidiaconus: *In politicis* non ad Senatum Montenſem, ſed rectà Mechliniam provocatur. Politicus autem Magiſtratus *ſupe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

rior eſt Dux Burgundiæ; pari omninò ratione ac jure, quo & cæteræ Belgicæ provinciæ. *Inferior* Magiſtratus eſt pro ſententia dicenda *triplicis ordinis*. *Supremus*, Præpoſito & XII Adſeſſoribus conſtat; qui è primariis opidi civibus deliguntur, & varios adminiſtros ſibi habent adjunctos. hodiè hic quotannis renovatur. *Medius*, quem *Particularem* vulgò vocant, ex aliis quinque & viginti boni loci civibus conſtat. hic, petente ſummo Magiſtratu, res ad opidi ſtatum pertinentes tractat, ac nonnumquam augeri ſolet bono aliquo civium numero, qui, ut melior habeatur conſilii copia, & pro rerum tractandarum neceſſitate, advocantur. *Tertius* Magiſtratus veteri more & privilegio, in negotiis majoris momenti, quæ publicum bonum reſpiciunt, convocatur ad pulſum majoris campanæ, & repræſentat univerſum populum, è more Romanorum, apud quos Comitia centuriata. hinc *Centum-viri* dici poſſunt: non enim haberi poteſt hoc concilium generale, niſi cum centum ut minimùm civium interventu, nullo alienigenâ in numerum hunc intrante. In hoc concilio liberum unicuique civi, etſi prorſus privato, (quod non alibi tamen in toto hoc Belgio uſurpatur) ſuper iis quæ nomine Magiſtratus & Concilii particularis exponuntur ab ordinario Reipublicæ Syndico, ſententiam ſuam dicere. Curia verò à legibus habet famam, à gubernandi ratione lumen: utraque & in civilibus ſimul, & criminalibus, ita heic exacta, ut exteri multoties exempla hinc ſibi petierint, quæ in patriæ ſtatu conſtituendo ſeque-

ſequerentur. Guicciardinus allegat *Norimbergenſes;* qui cùm ad multas urbes certos homines mitterent, ut exemplo veterum Romanorum (qui ad Athenienſes) viris prudentibus benè notando, aliarum gentium laudabiles leges in uſum ſuum transferrent, eas hîc invenerunt conſuetudines, ut cupidè ſtatim nonnullas arripuerint, quæ hucusque in excellenti illa optimeq́ue inſtituta republica obſervantur.

Iam ad SVBDITOS; quorum etſi multi nobiles, tamen maximam partem cives mercaturæ & artibus manuariis operantur. Heic emporium vini Gallici *(de ſtapel)* mercatorum opus auget; Heic linteum Cameracenſe (*Kammerduech*) contexitur; panni undulati & mocajarri,& alia mercium ſimilium genera conficiuntur. Unde fit, ut mercatores, induſtriè rei ſuæ incumbentes, & opibus affluant, & quamplurimos tenuioris fortunæ homines occupent ac ſuſtentent.

Ita urbi huic quod eſt, vidimus & dedimus; alii quod ſcripſerunt, nos teſtamur à viſu. quod hoſtis Hiſpanus ei diminuit, apud *Meter. vide lib.* VI.

Poſtridie *Vallemcygnum* reliquimus, ad oppidum *Cambreſii* viâ planiſſimâ patentiſſimâque adcurrentes. In via, ad pagum *Happam,* ſitus eſt viculus, vulgò dictus *Avennes le ſec;* ubi candidum lapidem erui quotidiè ſcimus. candore ad marmor accedit, & facili labore ſubigitur & formatur; ferro obedientiſſimus, & cuivis inſtrumento ſe ſubmittit ſeçandum & ſculpendum, nullo planè vel ſciſſionis vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

rupturæ periculo. Statuarii, quia lapis naturâ infirmus, nec ferendis cœli injuriis, imbribus, nive, & ventis marinis eſt, excogitarunt conſolidandi rationem: imbuunt nimirum benè multo oleo, gummi juniperino, aliisq́ue adſcitis unguentis, & ita validam ei invictamq́ue cruſtam inducunt, ut operis perpetuitatem faciat. Sed oculum ad opidum quod ſeptimo Valentianis diſtat lapide; ibi prandium A LA TESTE DV PORC; aliàs inſigne proſtat AQVILA IMPERII ROMANI.

CAMERACVM.

Teutonicè *Camerick*; Gallicè *Cambray*; *Cambracum* Poëtæ, qui canit:

Cambracum, titulis auctam Imperialibus urbem,
Commendant bellum, firma cathedra, ſitus.

Sunt qui à Cambro, Cimbrorum atque Tungrorum Rege, denominatum volunt opidum; ſed ſine capite, ſine authore fide digno, hæc aſſeruntur. Certiora ex annalibus habemus, qui referunt, à Carolo Magno Cameracum mœnibus inſtructum, etiamſi initium ejus & origo ignoretur. Sed ad urbem. Sita eſt ad Scaldim flumen, quod mediam ferè interluit proſpectu amœniſſimo; ambitu alioquin ſat magna, mœnibus turribusq́ue valida. de hac anonymus Franciæ Hiſtoriæ ſcriptor; *Cameracum urbs magna, ſita partim in valle, partim in acclivi, nullam propugnaculorum, mœnium, munitionis ad novum morem habens ſimilitudinem.* (ita tunc temporis; nunc aliter ſe res habet.) *quà Franciam reſpicit & Orientem, campo agro-*

agroq; arvo per IↃCCC *aut* CIↃ *paſſus plano ſe totam offert aſpiciendam, ita tamen ut verſus urbem leni deſcenſu, nullis umbrarum obſtaculis, nullo arborum interecptu tendatur: verſus Occidentem loco humiliori ſuburbanum ingens, & horti prataq; ſecundum flumen optima: ad Meridiem ultra planiciem nonnihil declivem proſpicis amœna vallium, & collium diſtinctione picturatos agros: ad Septemtrionem collis eſt opido impendens.*

Iam ad PARTES. Externæ, ſunt PORTAE, numero quinque; *la porte neuve, S*te *Sepulchre, Cantimpre, de Selle, de Malle.* Et CASTRVM, genio loci, & arte humanâ valdè munitum; quod in edito loco ſitum Carolo V Imper. ſua debet initia. Hic enim à conſiliis neſcio quibus Gallorum malè ſibi metuens, Landrecæis anno CIↃ IↃ XLIII ab ipſo captis, ſtatim ut illi receſſerant, cum exercitûs parte urbem intravit. Et quo tutam præſtaret ab hoſtili omni inſultu, ditionesque Belgicas ſtabiliret, exſtruendam curavit munitiſſimam hanc arcem. Hodiè à præſidio Hiſpanico ſervatur, & tantâ curâ, ut adſpectus ejus hoſpitibus adventantibus innoxius vix concedatur: quin ſi quis ſit qui in murorum foſſarumque contemplatione commoretur, nihil etiam doli meditans, in periculo ſummo conſtituitur, ne ſclopetorum diſploſione illinc abigatur, aut non abigatur potiùs, ſed proſtratus extremum ibi veſtigium ponat. Eâdem ferè vigilantiâ *Mediolani* caſtrum cuſtoditur, ubi vel ſine Gubernatoris ſcitu & permiſſu nec licet extus ad foſſam caſtelli exſpatiari: Quod & *Senis* vidimus, ubi

tormenta minora in adpropinquantem viatorem mox exonerantur.

Internæ partes, ſunt TEMPLA, inter quæ primas tenet Deiparæ Virgini conſecratum, ad petitionem Philippi II Regis Hiſpan. à Papa in metropolitanum converſum. ampliſſimâ diœceſi longè lateque protensâ gaudet. ædificium partim ſæculum priſcum redolet, partim novitatem neſcio quam noſtram præ ſe fert. Qualecumque eſt autem, Epiſcoporum defunctorum monumentis longo ordine conſtitutis, & horologio ipſo etiam illo priore excellente magis, non poteſt non eſſe inſigne. Inſuper Lucæ Evangeliſtæ tabula ibi oſtenditur, magni artificii opus, quo Eliſabetha tramontana inviſit Mariam. Præter hoc ſummum, ſunt adhuc *parochiæ* IX; *abbatiæ* III; *cænobia virorum* IV, inter quæ Ieſuitæ, qui hîc gymnaſium occupant, docent. *Fœminarum item* III. Xenodochia & noſocomia plura, inter quæ illud *S. Lazari* celebre & opulentum, fovendis indigenis Cameracenſibus leprâ infectis deſtinatum. Internis his ſacris, adnumero *politi æ ædificia:* nimirum PALATIVM ARCHIEPISCOPI: CVRIAM; quæ extus habet lapide inciſa omnium eccleſiaſticorum & ſæcularium Electorum inſignia; in quorum medio ſtatua Caroli V cum aureo vellere; mox artificioſum horologium. PONTES item diverſos, & FORA rerum venalium, quæ tamen huc venientem non morabuntur. Vnum ex his amplum eſt, cujus unâ ex parte in circumjacentes montes ſublimes, & arbuſtis & ſegete virentes, proſpectus aperitur: altera pars templum

oculis

oculis objicit turri acutiſſima inſigne, & ædificia ſplendida.

FORMALE tribus verbis dicemus in *Magiſtratu & Subditis*. Archiepiſcopi, ſæculares ſimul & eccleſiaſtici urbis & territorii Cameracenſis ſunt Domini, ſic, ut titulos vulgò ſcribant, Archiepiſcoporum & Ducum Cameracenſium, Principum ſacri Romani imperii, Comitum Cameraceſii; licet in temporalibus ſub protectione Regis Hiſpaniarum ſint, & in ſpiritualibus agnoverint olim Archiepiſcopum Rhemenſem. *Subditorum ſtatus* locuples eſt populo, commerciis, & mechanicis artibus. Texuntur hîc lineæ telæ (*kamerdoeck*,) quæ operum ſubtilitate Arachnæos labores, ne dicam Palladias manus provocant, toto orbe notiſſimæ, Regum ac Reginarum præcipuæ deliciæ; quarum cum nive certat candor, cum ſindone tenuitas, cum byſſo pretium: & quidem tantâ copiâ, ut à nonnullis obſervatum ſit heic ſingulis annis ſexaginta minimùm tenuiſſimi hujus carbaſi faſcium millia confici, quorum ſinguli quadragenis ferè florenis taxentur: ſic, ut in vicies quater centena millia florenorum abeat ratio. Quandoque faſciculus longitudine XXII ulnarum eſt, pondere VI, VII, ad ſummum IIX unciarum, pretio CCC florenorum. *Meter. lib.* XV.

Ita urbs in incremento; *decrementa* iterata multoties habuit à *bello*; mox ſtatibus Belgicis, mox Gallo, mox Hiſpano, iterum Gallo, tandem Hiſpano ſubjecta manſit. Anno CIↃ IↃ. LIII Henricus Gall. Rex, cùm immineret urbi, nec poſſet eam pro voto in partes ſuas pertra-

bere, Cameracenſes declaravit ſibi hoſtes: at ſine ulla tamen ulteriori mutatione, vel civitatis detrimento. Anno cIɔ Iɔ LXXXI Cameracum ab Hiſpanis longo tempore obſeſſum, intercluſo omni commeatu, in ſummis anguſtiis verſabatur, adeò ut tantùm equis, felium & glirium carnibus in urbe obſeſſi veſcerentur. tanta verò erat caritas, ut vacca CC, ovis L flo., libra butyri XXIV, caſei XXX, ovum II, uncia ſalis VIII ſtuferis veniret; ac poſtremò cum nihil ſalis ſuperaret, quidvis, unde ſalſedo elici poſſet, elixabatur, & iterum atque iterum coquebatur, donec in muriam aut ſalſedinem verteretur. Laborantibus cum exercitu præſto fuit Andinus. qui etiam armatus magnâ pompâ urbem pòſt ingreſſus & feſtis populi tamquam patriæ liberatori acclamantis vocibus eſt exceptus. *Thuan. lib.* LXXIV. Ita manſit urbs ſacramento obſtricta in devotione Gallorum aliquot annos, donec anno cIɔ Iɔ XCV Comes Fuentius, nomine Regis Hiſpaniæ, eam iterum obſedit, & deditione cepit, ita ut ex eo tempore perpetuum habuerit militem Hiſpanicum in præſidio, & uſque dum limes Belgii ſit Galliam verſus.

His *Cameraci* viſis & conſideratis, prandioque ſumto, progreſſi ſumus è territorio Hiſpanico, ad primam Franciæ urbem *Peronnam* anhelantes; quam & poſt VIII leucas ſub veſperam attigimus. hoſpitium *ad inſigne Cervi* habuimus, ſed durum cubile cum culina vacua. Ad opidum ubi ventum eſt, cuſtodes portarum, qui in præſidio ibi, ſeriò inquirunt, & ferè jusjurandum exigunt de ſclopetis & ejus-

dem generis armis; quæ ſi tecum habeas, ſatius eſt ibi deponere, & ſub abitum ex opido repetere, quàm non profiteri, & ita periculum capitis incurrere.

PERONNA.

GAllis *Peronne*. Prima Galliæ civitas eſt hac parte accedenti, ſita in Picardia. ad Auſtrum, ubi Somonæ & paludibus adjacet, naturâ eſt munita; alias quâ partes, opere manuario munitiſſima. Fluvius Somona, vulgò *Somme*, non admodum largus, ſed altus, *aſſerente Maſſonio*; numquam aſtringitur gelu: uno loco periculoſiſſimè navigatur, propter cæcum gurgitem, accolis tamen cognitum. Oritur in vico Veromanduorum Fervaquio, unde S. Quintini municipium petit: inde *Peronam* progreditur, ubi flumen ponte jungitur; dehinc Corbiam, Ambianum, Abbatisvillam alluit, donec in mare egreditur prope Crotoſium urbem, caſtellum portumque Pontivi. ita omnem Picardiam penetrat, humectando fertilitatem auget; ita ut granarium Pariſienſium dicatur Picardia. caret vitibus, ſed incuriâ habitantium, non malitiâ ſoli aërisve aſperitate.

Inter ædificia, *templum B. Virginis*, in quo Canonici è Hybernia; luſtrandum ob architecturam admirabilem, imò pares cui Francia non multas habet. Chorus ex auro puro fulgens omnibus Picardiæ aliis palmam præripit. *Alterum*, quod famam auget, eſt; Heic Heribertus Veromanduorum Comes, captivum detinuit Carolum Simplicem Galliarum Regem;

ubi mortuus & ſepultus eſt, maximè conturbato ſuo regno. *Nec ultimum* eſt, quod heic deteſtandi & ad omnis divini & humani juris ſubverſionem tendentis fœderis (*ſanctæ liga*) prima initia facta fuerint: quod, præmiſſo SS. Trinitatis nomine, tactis ſacroſanctis Evangeliis, jurisjurandi formulâ pronunciatâ, principes, reguli, nobiles, opidani inierunt, autoribus Guiſiis, ad reſtituendum in integrum legem Dei, conſervandum ſanctiſſimum ipſius cultum juxta formam & ritum S. R. E., abjuratis ac rejectis omnibus erroribus ei adverſantibus, ad tuendum Regem Henricum III, ſalvis obſequio, cultu ac reverentiâ, quæ illi à ſubditis debentur. de hoc fœdere vide *Thuan. lib.* LXIII, *& Meter. lib.* XV.

Hinc ſequenti die, pane pauciſſimoque vino, non tam famis aut ſitis cauſâ quàm pro more, accepto, iter continuavimus. Primùm NESLAM propugnaculum, hac parte regni validiſſimum offendimus. Pòſt, ROIAM opidum non contemnendum, arce munitum, VII *milliarib.* Peronnâ diſſitum; quod nobis tenue prandium *au cheval blanc* largiebatur. Feſtinabamus ad opidum GOVRNAY, V *millibus*; quo cœnam & cubile pro ſitu loci ſat commodum habuimus *au cheval blanc*. In præſidio ibi aliquot cohortes Helvetiorum, ſub duce Friderico Heſſo, Equite de Glaris. Hinc, gallo diem nunciante, qui erat Sacrum Pentecoſtes, cùm noſtrorum multi ſomno nondum renunciaſſent, ego pedes, comite uno aſſumto, iter progredi, relicto retrò omni alio comitatu ſponte ſuâ. Anhelabamus COMPENDIVM, (*Compiegne.*) quod

& circa

& circa nonam inivimus, viſum Regem ulceroſos tangentem & ſanantem. Morbus eſt alioquin incurabilis, dictus *hernia gutturis*, vulgairement *les eſcroüelles*. *Originem* heîc & modum hujus actûs paucis, ut ut vidi, deformabo pace tuâ, amice lector.

COMPIEGNE.

ORiginem idiomate Gallico (ut habet Barbier, Advocatus Conſiſtorialis in Parlamento Delphinatûs, *in ſuo tractatu de miraculoſis effectibus ſacræ manus Regum Galliæ*) en hanc; cui quantum tribuere velis, penes te ſit. ita verò ille: Clovis *premier Roy Chreſtien, fut le premier qui en receut les teſmoignages incontinent apres ſa converſion, ayant eſté attiré au Chriſtianiſme par les ſainctes exhortations & prieres de la Royne Clotilde ſa femme, & par les voeux du bien-heureux ſainct Remy Archeveſque de Rheims, qui en meſme temps receut la ſaincte ampoulle envoyee du ciel, pleine du ſainct chreſme, duquel il oignit le Roy qui fuſt apres appellé* Louys. *Or ceſte onction fut bien toſt accompagnee de miracles, comme apert par la lettre, que le Pape Hormisda eſcrivit a S. Remy, en ces mots:*

Nous te commettons par ce preſent, pouvoir pour noſtre Vicaire en tout le Royaume de noſtre bienaymé fils Louys, lequel à eſté depuis nagueres avec tout ſon peuple converty à la foy, à l'aide de la grace & faveur

veur celeſte, avec grand nombre de miracles accomparables à ceux qui ſe faiſoient du temps des Apoſtres.

S. Thomas *au livre ſecond du regime des Princes confirme les miracles faits en la converſion de Clouis, & Genebrand employe les authoritez d'iceluy au livre troiſiesme de ſes chroniques. Mais pour le ſujet que nous traitons maintenant, ceſte hiſtoire eſt digne de remarque, recitee par Forcadel livre premier de l'empire & philoſophie des François. Clovis cheriſſoit grandement un ſien eſcuyer nommé Lanicet, qui ſe trouva attaint & griefuement malade des eſcrouelles, qui pour ſa gueriſon avoit recherché toute ſorte de remedes, meſme ſuyvant le conſeil de Corneille Celſe, en ſon livre 5, cap. 28. il avoit avallé une couleuvre, mais en vain, car la rebellion de la maladie ſurmontoit tous les remedes. ce qui rendit Lanicet ſi honteux, qu'il n'oſoit plus paroiſtre aux compagnies, & ſe cachoit. En meſme temps le Roy ſongea qu'il manioit & tatannoit la gorge de ſon Lanicet, & que ſoudain la chambre fut remplie de flamme reſplendiſſente, & que Lanicet guerit. Le lendemain le Roy s'eſtant preparé par prieres, voulut eſſayer s'il pourroit par ſon attouchement arracher ceſte maladie: ce qui arriva au grand contentement des aſſiſtans, que tous remercierent Dieu d'un ſi grand benefice.* Paulò poſt ſubjungit exempla, dicens: *A ce propos je ſuis obligé de dire, que venant du Dauphiné à Paris, je rencontray en chemin grand nombre de malades eſtrangers, qui ſe haſtoient pour ſe trouver à la feſte de Pen-*

tecoſte,

tecoſte, & recevoir le ſalutaire attouchement des mains de ſa Majeſté. Entre autres il y avoit trois gentils-hommes Italiens, qui marquoient par leur equipage d'eſtre de grande maiſon; à l'un deſquels la maladie des eſcroüelles eſtoit aſſez apparente. Les ayant abordez, je m'entretins longuement avec eux ſur le ſubject de leur voyage, mais particulierement, ſi ceux, qui eſtoient venus autresfois de leur païs en France à meſme fin, s'en eſtoient bien trouvez: Ouy, reſpondirent ils, voire ont eſté entierement guaris; car ſans cela nous ne ſerions pas venus de ſi loing avec tant de peine & de deſpence: mais nous eſperons en Dieu, que ce ne ſera pas en vain, & que nous recevrons meſme grace que les autres. Pareille reſponſe me fiſt une Dame Portuguaiſe, laquelle eſtoit venuë par mer juſques à la Rochelle ſur un vaiſſeau de ſon mary, & ſe rendict à ſainct Germain la veille de Pentecoſte, où elle ſe logea tout proche de mon logis. I'eus auſſi le ſoing de m'informer de pluſieurs autres malades, touchant ceux qui avoient eſté touchez en ce regne. quelques uns me dirent d'avoir ia eſté touchez, & avoir receu grand allegement; & que pour leur entiere gueriſon ils recouroient derechef au remede: mais pluſieurs autres eſtoient du tout guaris en leur païs pour avoir eſté touchez une ſeule fois. Nous liſons, que le Roy François premier de ce nom, lors qu'il eſtoit priſonnier en Eſpagne, guariſſoit les Eſpagnols, & autres qui ſe preſentoient à luy; ce que Dieu luy octroya ſelon ſes miſericordes accouſtumees pour le conſoler au temps de ſon affliction; l'aſſeurant par ce moyen, que la priſon ne luy pouvoit ravir

ce qui

ce qui luy avoit eſté donné & conſervé par grace, & que la protection divine s'eſtend par tout puiſſamment, où ſes ſerviteurs ſont; ce que le docte Scaliger à elegamment repreſenté par ces vers:

Ergo manu admotâ ſanat Rex chœradas, eſtq;
Captivus ſuperis gratus ut antè fuit.
Indicio tali, Regum ſanctiſſime, qui te
Arcent, inviſos ſuſpicor eſſe Deis.

Mais il faut remarquer, que ceſte vertu de guarir qu'ont nos Rois, ne naiſt pas naturellement avec eux, & ne decoule pas en eux, comme une proprieté naturelle & particuliere à leur famille commune aux deſcendans d'icelle; car tous ceux qui ſont du ſang Royal n'ont pas ce privilege, ains celuy ſeul qui ſuccede legitimement à l'autre, ſoit fils, frere, ou nepveu. Tantum Barbier.

Modus, quo tactus regius perficitur, talis eſt: Morbo illo affecti in genua procumbunt, protenſiori in gyrum formâ; quandoque in area ſub dio, quandoque in conclavi, pro ſanandorum numeroſitate, adventum Regis exſpectantes. Rex maximè ſolemnibus feſtis, nativitatis, paſchæ, pentecoſtes, omniumque ſanctorum, celebratâ priùs miſsâ, ſacrum hoc opus peragit. Præeunt cohors Helvetiorum, officiarii aulici; proximè ſceptrum Regale cum lilio, & ſceptrum cum manu juſtitiæ, Regi præferuntur: Inſequitur Rex, nudus capite, collo appenſa habens inſignia Equitum S. Spiritûs. Adeſt Regi, priusquàm ſacram manum extendit, aliquis qui tangendum manibus prehendit. (cauſam lubens prætereo.) Rex binis digitis frontem & tempora ſanandi leviter,

leviter, efficaciter tamen tangit, cruceque capiti adpoſitâ infit: *Dieu te gueriſſe, le Roy te touche, au nom du Pere, du Fils, & du Sainct Eſprit.* Regem ſequuntur qui eleemoſynas diſtribuunt pro viatico; longiùs abſitis decem & quindecim ſolidos; propioribus quinque & octo. Ita Sacrum hoc finitur.

Opidum aliquibus dicitur ædificatum ad formam Conſtantinopolis, & inde ei nomen *Carlopolis*, vel *Carnople*, à Carolo Calvo, qui pomeria ejus ſcribitur produxiſſe & muniiſſe, quemadmodum Conſtantinopolis à Conſtantino Magno. Locus eſt venationi commodiſſimus, & ob id *regalis ſedes* dictus; item *Compendium regium;* & *Convicinum.* Antiquitates Franciæ narrant hiſtoriam, quæ Philippo II cognomine Auguſto evênit, in nemore vicino venatum cùm exiiſſet; quam lector *ibi pag.* 402 videre potis eſt.

Abbatia in opido eſt, *Cornelio* ſacrata, in quo ſudarium, quo Salvator involutus fuit à morte, conſpici dicitur. Præter hanc, ſunt conventus *Iacobinorum* & *Cordigerorum*. Vnum, quod heic notabis: Anno cIↄ Iↄ LXXXIX, cùm Henricus III apud fanum S. Clodii ſceleratâ manu confoſſus eſſet, cor ejus ibi tumulatum, corpus verò in hanc regalem ſedem deductum & depoſitum eſt.

Sed revertamur ad iter noſtrum. Ego cum comite meo pedes eram, anhelantes Sylvanectum; ubi manè retro relictis nos cœnâ & cubili jungere in votis erat; verùm uterque noſtrûm æſtûs calore & nocte obſcurâ ſuperveniente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

niente didicimus, quàm fuerit inſuave non habuiſſe illud quod eſt apud Tibullum;

——— *Dormire ſub umbrâ*
Arboris ad ripam prætereuntis aquæ:

nec illud Senecæ potuiſſe experiri;

Ceſpes Tyrio mollior oſtro
Solet impavidos ducere ſomnos.

in cœmeterio quodam ſub dio, ſed obſcuro, cùm omne hoſpitalitatis jus nobis denegatum eſſet, pernoctandum nobis erat. Sequenti manè, auroram præoccupantes, ſurreximus, &, quod reliquum itineris, SYLVANECTVM uſque (SENLIS) perfecimus, *Compendio* XII *leucis* diſſitum: Hoſpitium, quo comites noſtri pridie recepti erant, *S. Eloy* dicebatur; non injucundè ibi vixiſſe videbantur, ut teſtabantur actus adſtantes.

SENLIS

LAtinis *Silvanectum* dictum quidam augurantur, quod ſilvæ nectatur. Opidum ſitum eſt in Ducatu Valeſio; præter epiſcopatum, præfecturâ & ballivatu nobile. Clarum à prælio anno cIↃ IↃ LXXXIX ibi commiſſo inter fœderis ſocios & regios: illis Dux Aumalius; iſtis Longevilleus & Lanovius præfecti erant. Hiſtoriam vide apud *Serrem in vita Henrici* III.

Silvanecto unius diei iter eſt, nec magnum, Pariſios, x *leucarum*. Levati itaque lecto comites mei, mox pro more regionis jentaculo tamen prius ſumto, ingreſſi mecum ſunt viam; & viſis pagis, *Pont Hermenbois*, *la Chapelle*, *ſaint Ladre*, circa meridiem ad vicum LOEUVRE delati, ibi AV CHEVAL ROVGE pranſi, feſtina-

ſtina-

ſtinabamus ad inſignem PARISIORVM urbem, viâ planâ, cœlo ſudo, itinere tamen ſuſpenſo à curru moleſto. Vrbs quòd in vallem depreſſa eſt, propinquum quoque viatorem fallit; eapropter ſuſpiria & deſideria evocat, auget, iis qui multum moleſtiæ in via devorarunt, priusquam dicere poſſunt:

Vrbs orbi ſimilis, toto & celeberrima mundo,
Muſarum ſedes, regina Lutetia, *ſalve.*
Francigenæ tu metropolis pulcherrima gentis;
Hoſpitio Regem grato, Regisque miniſtros
Excipis, & reliquas das jura ſuprema per urbes.

(*Chytr. in itin. Pariſ.*) Heîc *ſperatâ quiete & refectione fruebamur*, *divertentes* ad *Miltonium*, hoſpitem æquum & bonæ notæ, ad inſigne *ferreæ Crucis, vulgò à la Croix de fer*, in vico *Sanct-Martiniano.*

LVTETIAM

PRiusquam deformem, operæ pretium duxi circumſita nobiliora loca hîc, prout mihi viſa, explanare: Nam inter peregrinantes hodiè vulgaris mos obtinet, ut quilibet avidus novitatum & particularium, præ altero ſuis quid tabellis particulare inſcribere, & inde famæ ſuæ hoc augmentum eſſe velit. Vnde fit, ut confecto diverſis temporibus ejusdemque regni curriculo, ſeſe invicem viſitantes, maximè ubi notitia familiaris inter eos intercedit, examinent, inquirant quid hoc vel illo loco viſum notatumque ſit. ibi non rarò evenit, ut rudera, loca deſerta, famâ ſepulta, nihilominus tamen aliquibus pro opinione ſua tanti ſint æſtimii & elogii ac ſi mera eſſent Mauſolea & Lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

& Lutetiæ, magno audientis faſtidio & verum peregrinationis fructum animo reputantis. Communem eſſe errorem dico cum emunctioribus, multas locorum intercapedines ingenti ſumtu emetiri, ubi nec ſit quod animus virtutis & prudentiæ civilis amans, diſcere ſi velit, poſſit, & quæ poſſit, nolit: aliàs rectè peregrinatos dicerem quosdam nautas Batavos, qui per eas orbis partes ſtipendiis invitati, ligneis equis per cœruleas Neptuni plagas volarunt, quarum nomina omnibus ævi temporibus nec hominibus nec hiſtoricis cognita fuerunt, qui tamen ita virtutibus inſtructi redeunt, ut abierunt. Vt ut hæc vera ſunt, tamen in judicia noſtra proba tyrannidem exercet mos improbus, ſæpiusque invitis loculis & palato famis indocili curriculum aliquod obimus, unde præter vacuefactam crumenam nihil nobiſcum reportamus, licet apud alios qui idem iter aut inierunt aut ineundum perficiendumque, ab aliis perſuaſi, rem neceſſitatis eſſe credunt, opinionem Vlyſſeorum laborum & ſtupendæ peregrinationis ſuſtinere videamur. Idcircò ne communiſſimæ opinionis videremur immemores, libuit exire & conſignare, quæ circa *Compendium orbis*, ut LUTETIAM rectè quidam nominant, digna habita ſint à nemine ignorari, imò quę poſſint famam peregrinantis

Stellis inſerere, & concilio Iovis.

Quia verò *arces regiæ* luſtrandæ ſunt, placuit hoc judicium & diſcrimen inter Anglicanas & Gallicanas proponere. Gallicis arcibus Anglicæ, ſi interiorem faciem ſpectas, nullo modo

modo comparandæ ſunt. Nam etſi NONCIUTZ in Anglia, imò & quę primaria eſt HAMPTONCOVRT, exteriùs ſingularem majeſtatem præ ſe ferat, & gentis magnificum luxum præclarè arguat; etiamſi etiam pulcherrimâ ſerie interiùs ordinata omnia: tamen, ſi aulæa oſtro decora (quâ in parte Gallia nihil planè ad Angliam) & auro & gemmis diſtincta tollas, reperies intùs & poſt vela ſumtuoſiſſima ejuscemodi cameras, intra quas civem primariæ dignationis hoſpitio nolis excipere; plerumque ligna ibi non ſatis polita, telas aranearum, muros non ſatis integros, &, quod in noſtra patria argumentum eſt negligentis patris-familias, nihil poſt vela ſani & firmi. At in Gallia omnes porticus & cameræ (certè in arcibus primariæ æſtimationis) ſine adminiculis ambulatoriis & involucris, quemlibet Regem & Principem hoſpitio excipere non erubeſcunt. Quanquam majeſtatis quodam intuitu & tacitâ veneratione Henricus IV in illis quæ ipſe fieri fecit, majorum ſuorum induſtriam & magnificentiam ſuperaverit. Verùm, ut verbis noſtris fides habeatur, ſine ulteriori præloquio ipſas ingrediamur ARCES; ſpectator cum lubentia noſtras tuebitur partes.

Omnibus aliis præponimus *le chaſteau de Fontaine-bleau.* Ad hanc amœniſſimam Regiam ſedem Pariſiis ſubſequens te via ducet; prandium in *Eſſonne* ſumes, *au Lyon d'or,* VI *leucis* ab urbe. Pòſt ubi tetigeris *pont Hierry,* ſilvam quercetanam feris abundantem ingrederis, ubi ferarum cuſtodibus frequentes ſtructæ ſunt caſæ.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

De hac ſilva venationibus regiis celebri ita Serres in vita Henrici IV, anno 1598: *Comme le Roy Henry IV chaſſoit en la foreſt de Fontaine-bleau, voicy qu'il oyt environ à demy lieue de luy l'aboy de pluſieurs chiens, le cor & le cry de gens qui chaſſent, & tout ſoudain ce brut s'approche pres de ſa perſonne. Le Roy s'eſtonne qu'aucun ſoit ſi hardy que de luy vouloir troubler ſon paſſe-temps, & d'entreprendre de chaſſer à ſon deſceu en lieu reſervé pour le plaiſir des Rois de France. Il commande au Comte de Soiſſons & à quelques autres, d'aller recognoiſtre ces chaſſeurs. Ils s'advancent, & oyent le bruit, mais n'en voyent ny les autheurs, ny l'endroit. Vn grand homme noir parle à eux du plus fort des halliers: mais comme les choſes inopinees & non preveuës, donnent de trouble à l'eſprit, ils ne peurent diſtinctement entendre ſa voix, pour l'affinité des vocables que les uns rapportent avoir ouy:* M'attendez-vous, *ou,* M'entendez-vous? *& les autres, peut-eſtre avec de plus vray ſemblance,* Amandez-vous. *Mais ce que le phantoſme diſparut auſſi-toſt que la parole fut ouye, leur fit juger qu'il n'eſtoit pas expedient de pourſuivre plus outre. Si ceſte rencontre n'avoit pour les moins & les yeux & les bouches de perſonnes irreprochables, on la rangeroit parmy les Romains & Comptes fabuleux. Les manœuvres, charbonniers, bucherons, les paſteurs & payſans d'alentour, rapportent qu'ils voyent aucune fois un grand homme noir, qui mene une meute de chiens, & chaſſe par la foreſt, ſans leur faire neantmoins aucun mal, & appellent cét eſprit errant, le grand veneur.*

Ipſus

Ipſus cùm Pariſiis eſſem, noviter in iſto ſaltu ſpectrum illud viſum & nobili cuidam eſt obviam factum. Hiſtoriam cum circumſtantiis, typis exſcriptam vendebant, quam lector Pariſiis repetere poteſt.

Silvam hanc ubi penetraveris VIII *leucarum*, cœnam habebis in opidulo *Fonte-bellaqueo*, in interſignio *au Croiſſant*.

FONTAINE-BLEAV.

A*Inſi dit à cauſe de fontaines d'eaux vives, claires & belles, qu'y abondent: quaſi* FONTAINE ET BELL'EAV. Videtur verò in ſtagno quodam arcis fons limpidiſſimus aquæ ſcaturientis, à quo huic arci nomen inditum. Occaſio verò ædificandi talis fuit: Franciſco Rege Galliæ in iſto ſaltu venationibus ſe delectante, canis quidam venaticus ſalientis aquæ fontem offendit, præſente & adſtante Claudiâ Regis filiâ. Hæc dulcedine & puritate aquæ capta, patrem rogat, domunculam eò loci fieri faciat. cui Rex; Non domunculam, ſed arcem. Nec longè pòſt, ædificium Rex cœpit, & à belliſſimis fontibus (*Fontenbeleau*, quaſi fontem in bellâ aquâ) nuncupavit. Per ſubſequentes Reges quidem continuatum, ſed ad faſtigium per Henricum IV deductum, ita ut hodiè pulcherrimum, ampliſſimum & magnificentiſſimum omnium in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, & Italia eſſe dixerim. Ipſius ædificii videamus *ſitum* & *ſtructuram*. Sita eſt arx in territorio *Gaſtinois*, ſolo arenoſo, malè habitato & ſylvis maximam partem veſtito. Formam & magnitudinem, æneis typis exſcriptam, Pariſii tibi dant,

dant, quò te remitto. Structura ipſa *externa*, muris foſſisque eſt circumdata, portisque clauſa. *Primæ* portæ ingreſſus hanc habet inſcriptionem :

Henricus IV, Franciæ & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, bellator fortiſſimus, victor clementiſſimus, rebus ad Majeſtatis & publicæ ſalutis firmamentum compoſitis, hanc regiam auſpicatò reſtauravit, immenſùm auxit, magnificentiùs exornavit, anno MDCIX.

Interna ſtructura, cùm multa in hac arce ſint, quæ fugitivo oculo ſpectari obiter non debent, nec poſſunt; omnia verò notare, nec tempus, nec animus, nec memoria in infinitâ ferè (ſunt enim nongenta conclavia intus) iſtâ varietate ſinat; nobis tamen ædificiorum largietur diviſionem in *galerias ſive xyſtos, atria, cameras, areas,* & *hortos;* de quibus ſingulis curſorio calamo, ſecundum ſuas contignationes. Prima contignatio ſive *l'eſtage* offert *hortum Reginæ, le jardin de la Royne.* In quo *Diana* fonti inſtans, manibus cervum tenens; in medio IV canes procumbentes, ſubtus IV cervi. Ibi fons ſaliens. E regione nudus è cupro adoleſcens, ſpinam è planta pedis extrahens. *Lacoontis* cum liberis binis ſtatua in hoc ipſo quoque eſt horto, formâ, ſerpentum morſu quî enecentur. Porrò *bina* heîc *ſphariſteria*; alterum opertum, apertum alterum; quibus Rex & aulæ proceres,

res, cùm inibi ſunt, oblectationem Gallis familiarem capiunt. Hinc ad *aviarium, la voliere*, longum CCLXX paſſuum, venitur. Medium tectum turris rotunda penetrat: aërem & lucem undique ædificium admittit, clathris tamen prætenuibus, qualibus caveæ præcingi ſolent, munitum, ut volucribus omnis exitus ſit præcluſus. Intus avium domicilia & nidi intra arboreta & dumeta; mox fons, effundens diverſos rivulos, è rupe quaſi ſurgit: parietibus vites & roſeta adpicta; cum inſcriptione, H. IV. D. G. F. R. Ad dextrum latus, gemini ſunt angeli; alter coronam, caniſtrum alter roſis plenum tenet; ſubtus hi verſus:

Tot populos victor juſto Rex Marte ſubegit,
Regius iſte tenet quot ſibi carcer aves.

(magna certè hæc hyperbole, cùm aliquot millia ibi ſint aves intùs.) Ad ſiniſtrum itidem gemini ſunt angeli: cum corona & pſittaco:

Qui Ianum clauſit, volucres hic ſponte recluſas
Detinet, æternùm quæ ſua facta canant.

Nec immeritò canant: nam Henricus IV mox à primis ætatis annis, bello aſſuetus militavit; regnum motibus turbulentiſſimum nō ſolùm compoſuit & ſedavit, ſed legibus præſcriptis & ſancitis in ordinem redegit; cum hoſtibus exteris, Hiſpano & Sabaudo, pacem iniit; ære, cujus ſumma CIↃ auri tonnas conſtituebat, omni ſoluto, ita totam Galliam ſibi devinxit, omniumque affectus in ſe repoſuit, ut Euphormio non injuriâ dixerit: *Quod poſt numina nihil carius Eleutheria Rege ſuo haberet, ut qui proximè ad Deorum immortalium naturam accederet*. Ad ſummam, ſtatus Galliç,

Henrico

Henrico IV vivente, talis erat, ut feliciſſimum regnum ſub ſole, & invictiſſimum haberetur: ipſus Rex, quidquid jocabatur loquebaturque, mera oracula dixiſſe videbatur: collectiones magnâ populi lubentiâ fiebant: regiorum theſaurorum acervi & montes jam in ore erant non Galliæ tantùm, ſed & exterarum nationum: jam neſcio quod orbis terrarum imperium à plurimis (humanis tamen ſuffragiis) ipſi aſſignabatur; jam Belgium, Germaniam, credo & Hiſpaniam, infinita regna lætâ ſpe vicerat & vorarat. Nec tantùm debita conflata ſolvit, ſed regnum, immenſorum ſumtuum ædificiis & arcibus auxit & decoravit; & hæc omnia Regis parſimoniâ, Theſaurariorum dexteritate perfecta ſunt. Ita Regis res geſtas quod canant, affatim heic habent aves.

In aviarium proſpectus eſt *de la galeria Reginæ*. in hac ſitus Hagenſis, & Reginæ Mariæ Medicææ adventus Maſſilienſem in portum; res geſtæ item & prælia, de quibus Henricus IV triumphavit.

Ab aviario ad *galeriam cervorum*, ut vocant, duceris. Elegantes ibi cervorum, luporum aprorumque venationes, VII tabulis repræſentatas, videbis. Henricus IV habitu familiari, qualis fuit venatum eunti, conſpicitur; jam confodit gladio aprum, jam haſtâ cervum; & quæ alia ſunt venatorum præluſtria facinora. Vtrumque latus XLVI cornibus cervinis eſt veſtitum, diverſiſſimæ formæ & magnitudinis, prout interdum natura & caſus in rebus iſtiusmodi jocari ſolent. Mox ad januam in introitu arx Fontaine bleau; è regione ad exitum

arx

arx S. Germani, conſpiciuntur. Siniſtrum xyſti latus pictas habet *Follenbroy, Compiegne, Villecoterets, Bloys, Amboiſe, Chambour, S. Leger, Charleval, Monceaux, Vernevil, Madrit*. Dexterum verò meras feneſtras, cum binis arcibus, *S. Vincent*, & *Louvre Pariſiorum*.

Hinc ad cameram conſiliorum, *la chambre du conſeil*. in quo pictura Ducis d'Ombe, *oncle de la Royne*.

Mox *la chambre des eſtuves*. ibi Iohannes Baptiſta, januæ; Adonis cum Venere, camino impoſiti.

Mox *les eſtuves à ſe laver*. Ipſum balneum quadrilaterum. gradibus fit deſcenſus. circùm cancellis clauſum. Ibi effigies Gaſtonis de Foix.

Mox *les eſtuves ſeiches*, ſudoribus provocandis: Adhuc aliæ, pro tondendis capillis & radendâ barbâ. Finitur hoc tabulatum exiguo templo ſeu ſacello, auctore Henrico II, ſed perfectore Henrico IV: ubi verſus:

Imperio natiſq; potens, & conjuge felix,
Altâ pace, ſacram decorat Rex inclytus ædem,
Aeternùm ut pietas auguſtâ ſplendeat aulâ.

Alterum tabulatum habet *la chambre neufve*. in qua ad caminum *la Ducheſſe Gabrielle*, formâ Dianæ, manu tenens cor corvinum. Proſpectus eſt ad aream fontium, (*vers la court de fontaine.*) Picturæ Herculeorum laborum.

Inde *grandis galeria*, cujus inſcriptio talis:

D. O. M.

Cum per occaſionem civilium armorum & ob impuberem Principis ætatem, quibus tota ferè Gallia exarſerat, Eliſabetha Anglorum Regina portum opidumq́ue GRATIÆ, quod eſt ad oſtium Sequanæ poſitum, naturâ manuq́ue munitiſſimum, inſigni fraude occupaſſet, firmiſſimoq; præſidio teneret, auſpiciis Caroli IX Chriſtianiſſimi Regis, conſilioq́ue & prudentiâ ſingulari Catharinæ matris Reginæ, paucis diebus oppugnari ſummâ vi cœptum, deditione receptum eſt, anno MDLXIII.

Xyſtus quatuor eſt caminorum; & adſcribitur Carolo IX Regi. Feneſtrarun emblemata, cùm ſint magni nominis, heic adjiciam. 1. *Hunc ventus, ſed me ſpes fovet.* 2. *Puro ardet & uno.* 3. *Nunquam labitur icta fides.* (*Naufragum alter juvat.*) 4. *Perrumpe obſtacula lentè.* (*Quidam truncos è via movet.*) 5. *Tutum ſecreta ſilere.* (*Harpocrates.*) 6. *Pretioſior ipſe lapillis.* (*Cupido lapillos quærit.*) 7. *Rex floret ab armis.* 8. *Vigilantia regna tuetur.* 9. *Amat victoria curam.* 10. *Plebis amor regis cuſtodia.* (*Examen apum.*) 11. *Cor regis in manu Dei.* (*Manus è nubibus exit.*) 12. *Arcani cuſtodia fida.* 13. *Mens ardua tendit in altum.* 14. *Eloquium*

quium

quium tot lumina claudit. 15. *Nulla altiùs ardet.* 16. *Non frangunt obſtacula vires.* 17. *Animos alligat æquos.* (*juſtitia & religio.*) 18. *Manet victoria conſtans.* 19. *Hoc fœdere Lilia florent.* (*Gallia tota ſecum concors.*) 20. *Ortus occaſibus æquat.* 21. *Obſequium nihil impedit umbræ.* 22. *Caſus hærebit in omnes.* 23. *In ſplendore tuo labor & quies.* 24. *Agitatus creſco,* (*ignem feriens.*) 25. *Comitantur furta dolores.* (*favum puer rapit.*) 26. *Mox toto radiabit in orbe.* 27. *Mea clauditur hîc ſpes.* 28. *Innocuo non uritur igni.*

Extremum hujus xyſti offert obſidionem & recuperationem *Ambiani*; cui adſtat Henricus IV armato cataphractus equo inſidens, pulchri operis & magni æſtimii ſtructura.

Inde *la chambre* & *le cabinet* de Madame Ducheſſe Gabrielle. in utroque ſupra caminum Adonis & Venus.

Poſteà, *galeria Franciſci* I, ſive *la petite galerie.* proſpectum habet *à la court de fontaine.* ad introitum Bacchus, Venus, & Cupido proſtant. In hoc xyſto colloquium inter Cardinalem Perronium & Mornæum habitum; de quo Serres in vita Henrici IV.

Hinc in alium xyſtum egreſſus eſt, ſtatuis marmoreis dimidiatis exornatum.

Mox *la chambre du Roy* paululùm obſcurior; in qua Regis juſſu, per monſieur de Vitry, Marſchallus Bironius exermis factus, & captivus inde abductus. vide Serrem. Ibi in clypeo: *Invitæ Cereris non potes eſſe gener.* Hinc *le cabinet du Roy; la chambre de la Royne:* inter utrumque *aviarium* in ſublimi loco ſtru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ctum, ita ut à Rege & Regina videri & audiri aves poſſint.

Hinc *l'antichambre de la Roine*; locus natalis Ludovici XIII Regis: & *l'antichambre du Roy*.

Ita xyſtis & cameris viſis ad atria ſeu ſalas itio eſt.

1. Eſt, *la ſale de la garde*, picturis eminens & tapetibus manupictis, prœlia Caroli VII & trophæa ab Anglis devictis reportata exhibentibus.

2. *La ſale des feſtins*, epulis ſolemnibus locus. camino Henricus IV, equo è candido marmore inſidens, valore aliquot mill. coronatorum, collocatus, exhibet inſcriptionem:

Henricus IV, Francorum & Navarræ Rex, bellator, victor & triumphator, bello civili confecto, regno recuperato, reſtauratoque; pace domi foriſque conſtitutâ, Regis penatibus Regali ſumtu focum exſtruxit. MDIC.

Dextrum ejus latus *Clementia*, ſiniſtrum *Pax* concludunt, è marmore candido ſtatuæ: ut & columnæ è variegato. In ſublimi par leonum ex ære, cum coronis & armis. Subtus Regem equitantem tabula nitidi marmoris eſt, exhibens Regem equitem, ſed habitu Romano antiquo, hoſtes devictos conculcantem.

3. *La ſale des bals*, ampla & ſpatioſa, choreis & gyris deſtinata. in medio fornicis; *Donec totum impleat orbem*.

4. La

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

4. *La ſale des comediens*, ædificium artifi-ciofis caveis & operibus cœlum fingentibus conſtans. hinc inde hæc verba adſcripta habet: *Agitur pars tertia mundi.* Credo equidem omnia portendere debere monarchiam Gallicam, & ejus ſupra alias præeminentiam.

Hinc ad *hortos* & *areas.* Horti, muro incluſi, ſunt: 1. *Le jardin du Roy*, in areolas buxeis ſepibus diſtinctus: ibi varia hortulanorum deliria & ambulacra offendes: ad lubitum, in umbra, in aprico, ad amnes quieſcere aut obambulare potes, prout cujusvis genius monuerit. In hoc, Cleopatram ex orichalco, opus Angeli Politiani, videbis; ex Italia à Catharina Medicæa huc tranſlatum. Ibidem, Neptunum æneum; ad cujus pedes lupa Romulum & Remũ lactans. Mox tria ſtagna; quibus innatant cygni, piſcesq́ue diverſi innutriuntur. 2. *Le jardin de la fontaine;* in quo ipſe ſcaturiens fons pellucidæ aquæ ſitus, cauſa & origo arcis *Fontaine-bleau.* ibidem ſtagna aliquot, trutarum domicilia, optimi ſaporis, regiiq́ue apparatus. heic xyſti arboribus frugiferis conſiti; deambulationibus multorum mill. hominum apprimè commodi; qui tamen nec oculis nec auribus ſeſe invicem aſſequuntur; ita ars heic ſuam fecit induſtriam. 3. *Le jardin des pins;* quòd olim pinorum hîc magnus numerus, ſed poſteà exciſus, ſubſtitutis frugiferis: omnia ſtupendę magnitudinis & viſionis, vel v horarum & ampliùs. 4. *Le jardin des eſtangs;* in quo ſtagna majora & ambulacra peramœna. 5. *Le jardin de la Royne*, in medio ſtagni ſublimiori à fundo loco exædificatus, muroq́ue cinctus;

ad quem non niſi per pontem datur acceſſus. ibi ſpecioſiſſimi flores, herbæ, pro deliciis tantæ majeſtatis. *Hortus extra arcem* unus eſt; in quo arbores pomiferæ, ſtagnum item, & ſtruthio-camelorum par; aviarium item pro avibus ſilveſtribus & exoticis; ibi corvi Indiaci pſittacorum inſtar, anates & anſeres peregrinæ formæ; & quæ alia ad oblectandos Reges comminiſci potuit humana induſtria & ſumtus profuſiſſimi, qui in hanc rem facti ſunt, & adhuc fiunt cottidiè. Superſunt *area* ſive *les courts*. 1. Eſt *la court de la fontaine;* ubi fons, cui pro ornamento Mercurii ſtatua, duǽque aliæ è cupro nudorum virorum. 2. *La court de Dongeon;* in qua horologium bimembre comparet: binæ ſunt turriculæ; altera ipſum horologium habet, ornatum lunæ & ſolis ſtatuis immobilibus, ita tamen ut ſol ſceptro horarum numerum monſtret; altera planetarum motum oſtendit. 3. *La court des Officiers*. hîc, ubi Rex cum aula commoratur, aulici ſua deambulacra habent. 4. *La baſſe court;* in cujus medio equus prægrandis è gypſo factus, binis duntaxat pedibus inſiſtens videtur; opus ſingularis artificii: ſunt qui affirmant, equi ſilveſtris, qui in hoc ſaltu poſtea captus, figuram eſſè; ſed credat Iudæus apella.

His ita omnibus viſis, animum applica ad bibliothecam, Franciſco I Rege natam; ſed Pariſios pòſt transvectam: ſed nec hîc planè interiit, verùm per aſſiduos bellorum civilium nimbos eſt multùm diſſipata.

Vltimum, quod Regium hunc receſſum attollit, eſt natalis & baptiſmus Regiorum liberorum,

rorum, anno CIↃIↃC VI inſtitutus; de quibus tractare non hujus eſt loci.

Tantum de Fontaine-bleau. Properemus retrò ad alia; *Melodunum* & *Corbolium*.

MELODVNVM,

GAllis *Melun*, in territorio Heurepenſi opidum; ad Sequanam, Lutetiæ inſtar, ſitum; nam pontibus junguntur opidi partes, ita ut triplex opidum videatur. Olim *Iſis* ei nomen fuit; unde Lutetia, ad exemplum hujus, in inſula & continenti ædificata, dicta fuit *Pariſis*. Iocantur incolæ ſuo diverbio: *Apres Melun Paris*. Porta opidi inſignia habet Gallica & Florentina, cum elogio: *Concors inæqualitas facit melos unum*. Ceterùm figlina ars heic in magno præconio; luti quippe bonitas opificumque induſtria fornacem fecit, pretio DCCC coronatorum ab Henrico III Rege coëmtam. Hinc perge ad

CORBOLIVM,

DIſſitum VII *milliarib.* à Fontaine-bleau. Heic prandium ſume *à grands Carneaux*. *Corbeil* Gallis. Opidum antiquum, cujus meminit Cæſar lib. VII in ſua Hiſtoria: ſed adpellat Metioſedum. Antiquitatis adhuc rudera ſunt magna illa turris, quâ opidum in parte defendi poteſt. Alluitur Sequanâ & Eſſonâ fluviis; unde biſectum quaſi eſt in Corbolium vetus, & Corbolium novum. Non eſt, quod diu heic commoreris; Templum S. Spiræ, in quo Canonici, habet tumbam Comitis Aymonis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nis, quam ad ſiniſtram altaris, cum tabula teſte, videre habes.

Hinc per vicum *S. George* IV leuc. perge ad opidulum

CHARENTON:

QVod Pariſiis binis abjunctum leucis. Alio nomine dicitur *Pont de Charenton*, à ponte lapideo, fluvio Matronæ (*la Marne*) ſuperſtructo. Heic inviſas templum novum, quod Orthodoxis exſtrui permiſſum ab Henrico IV: verè novum; nam non ita multi anni ſunt, cùm maleferiati homines irruerent, & igne ſuppoſito dejicerent. Concio eſt frequens, & aliquot millia auditorum numerabis, qui rhedis, partim aquâ & pedibus, eò, Deo ſacra facturi, conveniunt.

Hinc antequam ad vicum *Conflans* tendis, non procul Corbolio, rudera templi alicujus fuerunt. hæc aſcende & clama; echo reſpondebit undecies & ampliùs. Sed hæc olim. Hodiè Carmelitani, eius loci cœnobio ſtructo, echo abegerunt. Antiquitates Galliæ dicunt; *Entre Conflans & Charenton s'entendoit un echo des plus merveilleux de l'Europe, avant que les Carmes refrmez y euſſent fait baſtir: la voix* (ita pergit de echo) *de cettuy-cy comme bien plus admirable, frappe ſouvent l'oreille juſques à dix fois, & d'un ſon ſi violent que les boulets de canon emportez des feux & de la poudre, ne ſufflent pas avec plus de vehemence.* Tu experire, qui eò venis; mihi anxiè inquirenti nihil tale evênit.

Charentonio ad *Confluentes* quadrante milliar. deſcende.

CON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

CONFLANS

NOmen habet à confluentibus Matronæ & Sequanæ, quæ heic junctæ Pariſios defluunt. Vicus ſitus eſt ad collem, ſubtus Sequanâ defluente. Seceſſus eſt verè regius Domini Villaregii; quem contemplaturus, oculos fige in cameris, galeriis, & hortis.

Cameræ ſuperbiunt picturis, caminis, & lectis magnarum impenſarum.

Galeria fornicata, auroque & coloribus artificioſiſſimè picta, utrumque latus veſtitum habet iconibus in Italia factis. à me obſervatæ ſunt ſequentes tabulæ XXI è gente Medicæa: Sibyllæ; Romani Imperatores; Papæ; Turcæ; milites, inter quos Scanderbegius ſive Caſtriota; Docti viri, Platina, Seneca, Guicciardinus, Iovius, Thomas de Aquino, Scotus; Duces Sabaudiæ; domus Lotharingica; domus Anglica; domus Borbonia; domus Valeſia; domus Navarræa; domus Naſſovica. & hæ tabulæ multi arficii & auri ſunt opus, natæ in Italia maximam partem, pectorali ſtaturâ. Inde ad caput galeriæ, nigerrimi marmoris feneſtra, omnis pellucida. non procul auro picta inſcriptio:

Qui ex hac ſtupenda porticu tanquam è ſpecula cadentem ſolem, fluentem Sequanam, imperioſam Lutetiam, denique Theſſala tempe altera miraris, mirare ut immota labaſcunt, agitata manent, imò dum

miraris, ipſe defluis: vita enim hæc, vapor & umbra: Ergo, &c.

Horti diverſi ſunt, flori & fructiferi. videbis delicias aurantiorum malorum. magno numero ſed eleganti ordine ſunt poſitæ arbores, ciſtisque incluſæ, adeuntibus undique ob & perviæ.

Hinc redeundum eſt ad ipſos ferè Lutetiæ muros, in viam quæ ducit ad arcem *Sancti Germani*. Hanc priusquam aſcendis, occurrit opidulum

RUEL.

IN cuius extremo palatium *Domini de Moiſſet*, cum hortis, fontibus & piſcinis, viſu digniſſimum. Ipſum ædificium cum area quadrilaterum eſt, non tamen omni ex parte habitationibus occupatum. Foſſæ profundæ grandioribus veſtitæ lapidibus, binis pontibus verſatilibus junguntur. altero horum ſuperato occurrunt bini canes ex ære conflati, aquam è genitalibus in foſſam ejicientes. Inde aliquot paſſus progredere ad fontem cui Roſæ forma eſt; in quo Herculem cum clava, Draconem multorum capitum, Cerberum, & alia è metallo aquam exſpuentia cernes. hinc ad ambulacra; ad ſilvulam labyrinthis & aquæductibus elegantem: mox ad ſpelæum ſalientium aquarum; ad piſcinas, & alia, quæ arte & ſumtuoſo opere heic compendio & forte ad invidiam ſtructa.

Hinc unum lapidem IOVIS GALLIAE delitiæ,

SAINCT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

SAINCT GERMAIN.

Difficilius paululum & montoſum iter eſt; Sed deſiderio tanti operis (ſuperat enim omnes regias domos, teſte Merulâ,) fit facile. Oppidulum arci adjunctum IV leucis eſt Pariſiis abjunctum; ſitum in aëre ſaluberrimo, qui heic ab infantibus Regiis primâ vitâ hauritur ſanus. heic primum Ludovici XIII R. quoque fuit domicilium & regimen. Prȩter cœnobium nobilium virginum (eò nec cuivis facilè patet aditus) non eſt quod in eo quæras. Ergo rectà ex hoſpitio *à la roſe blanche* ad ARCEM; diviſam in duo domicilia; alterum antiquum, alterum novum.

Antiquæ arcis fundator dicitur Rex Carolus V; reſtaurator Franciſcus I. Rei teſtimonium ſunt camini è latere cocto, quibus inſcriptas vides paſſim litteras F. F. F. F; ubi tectum ſummum, quadratis lapidibus ſtratum, conſcendis. Conclavia numerantur LXIII, ſpatioſæ, ornatu non ad noſtrum ſæculum. Ad dextram portæ, ſacellum ingrederis; omne ædificium lateritii ferè lapidis; area intus ovali formâ. Extus eſt ferarum ſeptum, longitudine duorum milliarium: in quo *le jeu de paillemail, le long duquel y à des pavillons quarrez, faits & maſſonnez expres pour repoſer, ou pour reȩevoir l'aſſemblee des regardans.* Subtus, eſt foſſa, domicilium cervorum, & avium rararum.

Nova arx nata Henrico IV R. auctore, in qua cameras & cryptas nota. Cameræ cum xyſtis ſeu galeriis fornicatis ſunt pro Rege & Regina diviſæ. Galeria pro Rege in ſummitate

habet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

habet emblema; *Duo protegit unus*: Duo, regna nimirum Galliæ & Navarræ, protegit unus Rex. Ianuæ ibi ſuperſtat arx *Fontainebelleau*: latera, habent urbes *Hux*, *Venize*, *Prague*, *Namur*, *Mantoua*, *Aden en Arabie*, *Campaigne heureuſe*, *Sion en Suiſſes*, *Moly*, *Tingis*, *Stafin en Afrique*, *Terracina*, *Ormus en Perſe*, *Bellitri*, *Werderbroch en Weſtphale*: *Numegen*, cum ſubſcriptione, *Ville du fondement de l'Empire*; nam Carolus Magnus urbem hanc imperialem eſſe voluit ejus loci: *Paſſavv*, *Maſtrecht*, *Theſſala tempe*, *Florence*. Galleria Reginæ ornata tabulis pictis prægrandibus ex Ovidio & aliis. In cameris ſunt camini nigerrimo in marmore, cœlo ſudo S. Clodii ſitum demonſtrantes: alibi balnea regia, ſacella cum refrigerio, aviaria bina, ut & ſupellectilem regiam aucupio deſtinatam obſervabis. Hinc per binas (quarum altera XLV, altera XXXVI eſt graduum) ſcalas lapideas, formâ ovali, deſcenſus fit ad cryptas ſubſtructas, artificioſis aquarum ductibus omnes Europæ reliquas ſuperantes. credamus hoc Gallis, cùm hodiè Italia digitum ori imponere neceſſè etiam habeat: etiamſi Brabanti ductus Bruxellenſes præferre non dubitent; ego tamen non ſubſcribo; quamquam & hoc ſtupendum otioſæ induſtriæ opus non negem. Cryptæ ſunt duûm generum. Sicca una eſt, *la croute ſeiche*: refrigerium heic, commodum ſub æſtivis caloribus levamen & manſio. Vdæ verò & rorantes ſunt IV; de quibus ordine & pauca. I. Habet Draconem, caput & alas motantem cum vomitu undarum è faucibus largiſſimo. ibi phi-

lomelæ

lomelæ & cuculi cantus & certamen : ad latera, duæ ſtatuæ nigro è marmore aquas ejicientes. II. Ad januam mox ſerpens eſt, ore undas exſpuens : audiuntur philomela & cuculus: videtur virgo movens caput, vertens oculos ultrò citroque ac ſi auditores & advenas reſpiceret, digitis organum tractans, ſuaviſſimo ſanè concentu. In medio menſa è marmore nigro poſita, cui tubus imponitur, è quo, adhibitis diverſis organis ex ære & ferro, diverſas formas unda ejicit. heic Calices Venetos, Lilia Galliæ & alia artificioſiſſimo productu miraberis. Penes feneſtram nota tabulam è marmore variegato; ſpecula hinc inde,& conchylia, delphinum item; ſed exiturus, cautus ſis laterum obſervator. III. Neptuno ſacra eſt; in qua corona globo imminet, ab aquis in gyrum elevata, guttas unionum inſtar ſpargens. Ibi officina Vulcanica; molæ papyraceæ; philomela cantans : duo item angeli ad latera cum buccinis; qui ubi ſonitum edunt, janua aperitur; Neptunus tridente armatus, currui inſiſtens, à duobus albicantibus equis tractus, ex antro prodit, paullùm ſubſiſtit, revertitur, antrumque repetit ; januâque clausâ, turbarum clangor repetitur. Dum hæc contemplaris, ſedile propè eſt, quod à te incautè occupatum affatim aquarum dabit; quod evitabis, ſi clavum ſubtus ferreum doctâ manu ſcies tractare & ducere: ſed & pavimentum teſſellatum lapillulis non minùs madidum te dimittet. IV. Crypta humiliori loco ſita, Orpheo dicata eſt; omnium belliſſima & artificioſiſſima. Mox ad introitum, exitus undarum intranti

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

eſt obvius. prodit Orpheus citharâ ludens, caputque movens; opus jucundum viſu & auditu. ex utroq; latere feræ diverſi generis ipſum circumſiſtentes ſequuntur, progrediuntur; mixtæ ſunt arbores frugiferæ, ſeſe inflectentes; rupes ramis, quibus aves modulantes inſident, ornatæ: ſunt & ſigna XII zodiaci, ſuo motu ad harmoniam progredientes. adeſt Bacchus dolio inſidens, ſcyphum manu tenens. Sunt paradiſus, infernus, mare, naves bellicæ, IV elementa; arx S. Germani; ad cujus alterum latus Rex cum Principibus & ſtipatoribus navigans; ad alterum, delphinus & angeli de cœlo deſcendentes; mox Neptunus, Mercurius, & Iupiter; & alia alia, ſupra memoriam & calamum noſtrum. Sunt & heic IV virtutes cardinales è candido marmore, olim ornamenta Ieſuiticæ pyramidis ante palatium Pariſienſe.

His omnibus rectè viſis, retrogrediundo Pariſios, uno lapide offendis ſilvam, *le Bois de la trahiſon*. media via eam ſecat. decerpe ab uno latere ramum & in aquam præterfluenté injice; ſupernatabit ut natura ligni eſt communis: ab altera viæ parte decerpe alium ramum, & in eandem Sequanam projice; videbis eum, lapidum inſtar, fundum petere. Silva cædua eſt, & quercubus conſita. In ejus angulo menſa lapidea adhuc monſtratur prægrandis, ad quam proditio fertur concepta. dicitur quidam Gamelon, *Sieur de Hauteville*, cum conjuratis aſſeclis, heic conſpiraſſe contra gentem des Ardennes & Pares Franciæ, eosque in hac ſilva cum multis aliis nobiliorum procerum trucidaſſe tempore Caroli Magni: qui poſteà ſuppli-

cio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cio affecti & heic combuſti ſunt. Et ut homines intelligerent, quàm abominabilis & deteſtanda hæc impia conſpiratio fuerit coram Deo; accidit, ut arborum cæſarum ſurculi remanentes non renaſcantur ampliùs: inde rara heic hodiè ſilva, raræque arbores. O ita nullæ ſeditiones, nec in Gallia nec orbe Chriſtiano, renaſcerentur! multò meliùs haberent res humanæ. ſed Deus properat humanos punire & finire furores; & Regum etiam Principumque; qui, poſthabitis imperii curis, libidinibus ſuis interdum ſtrenuè indormiunt, floccifacientes ſe Dei loco juſtitiam in terris exercere debere, &, ſubditis ut benè ſit, proſpicere.

Sed pergamus in cœpto noſtro recurſu. In viâ hac occurrit Regalis arx

MADRID,

UNo lapide Pariſiis diſtans, in planitie ſita, loco ſolitario & minùs inhabitato; olim ſilvulâ circumdata nemoroſâ, per bella verò excisâ, ita ut venationi minùs commoda hodiè compareat; licet Rex interdum ibi ſeſe oblectet cuniculis capiundis: muro undique ſat longo cincta & concluſa planities. Origo arcis eſt à Franciſco I Gall. Rege, ad Ticinum anno cIↃ IↃ XXV, XXIV Februarii capto; de quo *Pierre Matthieu en hiſtoire des guerres entre les Roys de France & d'Eſpagne:*

ArMa aqVILæ VInCVnt LILIa CeLſa trVcIs.

Alterius cujuſdam de hoc duorum Regum prælio, tale eſt diſtichon:

Gallus habet cantum, barbam, calcaria, criſtã;
Sub pedibus gallum ſed Iovis ales habet.

Qua-

Quadriennium igitur cùm Franciſcus Rex Madritti ab Hiſpano detentus eſſet, reverſus anno cIↃ IↃ XXIX, hanc arcem fieri fecit formâ cum Hiſpana ſimili; quamquam ſunt qui toto cœlo diſcrimen inter utramque aſſerant. Arx ipſa indies collabitur: aliqui putant, quòd conſultò & propter invidioſam Regis ſui in carcerem compacti memoriam fiat. Intus, quod magnoperè luſtres, vix invenies. quære feneſtram clathratam in atrio ſeu ſala, quæ reſpondet alteri in Hiſpania, per quam Franciſcus ab aulicis Hiſpanis, dum carcere incluſus erat, viſus, & digito quaſi monſtratus, pro ludibrio habitus fuit, quaſi upupa, Regum pueri cum qua luſitent. Henricus IV hanc ſedem Margarethæ Valeſiæ à repudio occupandam dedit, antequàm pòſt, palatium Pariſienſe ad Sequanam inhabitaret, modò funditus deletã & everſam.

Hinc uno eodemq́ue itinere ad opidum

SAINCT CLOV

DIvertere potes. Arx & locus nomen obtinuit ab regis Clodovæi Magni quarto filio Clodovæo; qui, renunciato Principis ſtatu, monachalique aſſumto, ibi ſepultus eſt. Monumentum in templo è marmore nigro, IV columnis è porphyro impoſitum, talem habet inſcriptionem:

Artubus hunc tumulum Clodoaldus conſecrat (almis,
Editus ex Regum ſtemmate perſpicuo.
Qui veritus regni ſceptrum retinere caduci,
Baſilicam ſtatuit hanc fabricare Deo:
Eccleſiaq́; dedit matricis jure tenendam
Vrbem Pontifici qui foret Pariſiis.

Alte-

Alterum, quod in choro templi ad dextram è marmore vides, monumentum eſt & repoſitorium cordis Henrici III Regis. In ſummitate ſunt binæ coronæ, cum inſcriptione:

Manet ultima cœlo.

nimirum duæ coronæ ſignificant Galliam & Poloniam, quarum Rex fuit: ultima verò in cœlo dabitur, id eſt, in tertio regno, ſi eò ſublatus eſt. Ipſum verò epitaphium tale eſt:

D. O. M.
Aeternæque memoriæ
Henrici III Gall. & Poloniæ Regis.
Aſta, viator; & dole Regum vicem.
Cor Regis iſto cõditur ſub marmore,
Qui jura Gallis, jura Sarmatis dedit.
Tectus cucullo hunc ſuſtulit ſicarius.
Abi, viator; & dole Regum vicem.
Quod ei optaveris, tibi eveniat.

C. Benoiſe, ſcriba regius, & magiſter rationum, Domino ſuo beneficentiſſimo, meritiſſ. P. A. 1594.

Sicarium illum *Serres*, *in vita Henrici III, ſub finem*, appellat *un moyne endiablé*, *un excrement d'enfer:* cum quo incidit anagramma ſuper verba: FRERE IACQVES CLEMENT: *C'eſt l'enfer, qui m'a creé. Lanſius contra Gall.* Vide etiam *le Catholicon d'Eſpagne* de hoc regicidio: *Bellus tom.* IV, *diſc.* XIX, ita narrat Latinè: *Kalendis Auguſti*, anno MDLXXXIX, *monachus quidam Dominicani ordinis, qui Iacobitarum quoque vulgò dicitur, ſimplici, ut videbatur,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

debatur, ingenio, circa veſperam verſus S. Clodovæi fanum, ubi rex tum erat, [obſidens Lutetiam XL mill. copiis] *iter ingreſſus eſt, commeatûs literis captivi cujusdam Præſidis Harlai operâ impetratis. Eò quum veniſſet, per internuncios ſtatim Regi ſignificari juſſit, habere ſe quæ oretenus cum ipſo communicare vellet: Rex verò cuidam è ſuis negotium dedit, ut eâ nocte hominem apud ſe retineret, & liberaliter tractaret; è cujus ſermone non modò nulla deprehendi potuit ſuſpicio, ſed etiam ſpes facta eſt, eum inſigne aliquid ad Regis ſervitium & utilitatem allaturum. Poſtero die mane idem monachus ad regem introductus, petiit, ut in ſecreto audiretur. Arbitris ergo remotis, Rex cum eo penitius conclave ingreſſus eſt. tum monachus literas ei porrigit: ac ſtatim iis legendis intentum, cultro in ventrem ſub umbilico adacto, confodit.* [Serres tamen circumſtantias facti aliâ formâ deformat; quem vide.] *Rex vulneratum ſe ſentiens cultrum continuò è vulnere ipſe educit; quod inde multo majus factum eſt. Ad ſtrepitum & clamorem mox familiares Regis & ſatellites accurrunt, & monachum multis vulneribus conficiunt, nimio ultionis zelo accenſi. quem Deo gratias egiſſe ferunt pro tam ſubitaneâ & leni morte; ut qui vivo ſibi deprehenſo omnes cruciatus paratos ſciret. Mortui cadaver à quatuor equis diſtractum, in IV partes diſſectum, & tandem crematum fuit. Rex plagam hanc non lethalem fore arbitratus; ut ſuis animum adderet, ipſe quoque animum præ ſe tulit, & è feneſtra etiam conſpiciendum ſe præbuit. At circa veſperam ingraveſcente dolore, medici & chirurgi in-*

ſpecto

ſpecto vulnere (quod jam liveſcere incipiebat) Regem periculi, utq; ad extrema ſe pararet, monuerunt: qui nihilominus meliùs ſperabat, donec tandem, deficiente lingua uſu, circa mediam noctem exſpiravit. Moriturus, Navarræ Regem & circumſtantes Proceres alloquutus eſt gravibus verbis; inter quæ de negotio religionis hæc ſunt: Remettez le different de la religion à la convocation des Eſtats du Royaume, & apprenez de moy, que la pieté eſt un devoir de l'homme envers Dieu, ſur lequel le bras de la chair n'a point de puiſſance. *id eſt:* Differentiam in religione ad conventum ſtatuum Regni rejicite; & diſcite meo exemplo, quòd pietas (ſive vera religio) ſit hominis obligatio coram Deo, in quam brachium ſæculare nihil habet potentiæ. *Vtinam hodiè conſcientiarum tortores, orthodoxæq; religionis everſores hoc perpenderent, nec in animas hominum ſibi judicium, quod ſolius Dei eſt, ſumerent! Nec abs re eſt vindictæ locus; periit enim in eo ipſo conclavi, quo annis retrò aliquot, cum matre Katharinâ & fratre Karolo IX in lanienam Pariſienſem contra orthodoxos conſpirarat. Ita verò:* Eſt profecto Deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt. Serres, Regius Hiſtoricus, dicto loco aſſerit: Regicidam à doctore Bourgoignio, cœnobii Dominicani Priore, Patre Commoleto, & reliquis

Ieſuitis,

Ieſuitis, ut & à Ligæ Capitibus perſuaſum & inſtigatum eſſe, cum amplis promiſſis, ſi evaderet, Epiſcopatuum & aliorum beneficiorum in terris Eccleſiaſticis: ſin minùs, primi loci in paradiſo ſupra Apoſtolos.

Tantum de regicidio hoc triſti. Opidum ſitum ad collem & Sequanam, quam pons lapideus perviam facit; arx & palatium agnoſcit Herum de Gondy. Altiori paululùm loco ædificium ſtat, unde proſpectus Pariſios & in circumvicinos agros amœniſſimus. In conclavibus, Magnatum cum uxoribus picturas contemplare; Reginæ præſertim, cum adpictis circumſtantiis. *Hortus* nemoroſis & variegatis, elevatis item & depreſſis ambulacris gaudet; ſingula à ſe invicem fontibus, & ſtatuis Ruſtici, Ruſticæ, & aliarum, interſtinguuntur. Hinc ad *cryptam* fornicatam, ſacelli inſtar, pergendum. medietas menſam rotundam è nigro marmore tenet, aquas per tubos variegatos emittentem: latera veſtiunt ſtatuæ marmoreæ: ſuprà & infrà aquarum copiæ ſcaturiunt improviſò. Hinc Pariſii & circumjacentes campi oculis emenſurari commodè poſſunt.

Vno lapide hinc diſtat

ARX MEVDON,

IN rupe ædificata tempore Franciſci I Regis ab Antonio Sangvino Cardinale, & perfecta ſub Henrico II, amœniſſimo ad ſilvulam loco. Intus grotta elegantis ſtructuræ, improviſò adventantes adſpergens. Conclavia marmoreis ſtatuis ornata. ibi Pariſii in marmoreo ſpeculo

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ad caminū oſtenduntur; heic è marmore Iulius Cæſar, Octavius, Tiberius, Caligula, Nero, Otto, Ariſtoteles, Demoſthenes, Cicero, videntur. Omnia olim elegantiora, priusquā Gallia inteſtinis bellis mota, & heîc furiarum veſtigia poſuit. Ad prçterlabentem fluvium cœnobium Capuzinorum ſub Carolo IX fundatum eſt.

Hinc uno lapide deſcendis ad pagum

VANVES,

OLim *Vannas*, nomine derivato ab antiquo Gallico *venna*, vel *benna*, quod eſt piſcis: hinc locus hic piſcatorum fuit domicilium. Hodiè à butyro claret, quod ob paſcua pinguiſſima hîc provenit dulcioris ſaporis quàm alibi. Hortum inſuper inviſe Domini des Portes: fontium, ambulacrorum, florum & herbarum eſt magna amœnitas, ita ut, quando pedes Pariſiis huc exis, amœniſſimâ quiete frui poſſis.

Cùm verò Vanves, vico GONESSE jungi ſoleat; non per locum, ſed commune diverbium, jungemus ea heîc etiam.

GONESSE,

VIcus eſt, dives frumento & pane, qui ibi pinſitur copioſus, & Pariſios defertur; boni ſaporis, ut de Vanves butyrum. Ex his binis locis olim Franciſcus I Gall. Rex Carolo V Imperatori, titulum regnorum ſuorum per integram paginam recenſenti, nihil aliud repoſuit, quàm, *Franciſcus, D. G. Rex Galliarum, Galliarum*, (& hoc ſæpius,) *&c.*

Domi-

Dominus de Vanves & Goneſſe. ſed alterâ facie beſſalibus litteris, ſyllabisque in lineas diviſis: NOLVMVS.

Propè hinc abeſt pagus

ISSY,

I*Ciacum* Romanis dictum, Pariſios obſidentibus. Olim adoratio gentilis Iſidis heîc loci; quæ & colebatur Pariſiis in ſuburbii abbatiâ S. Germani. præter aquam pellucidam & fontes ſalubres, in tranſitu Lutetiam nihil heîc habes. Aliâ viâ occurrit

BISSESTRE,

LEvi deambulatiunculâ Pariſiis. Falſum & fabuloſum nomen eſt à biſſenario numero, quo XII comprehenſi finguntur diſcipuli, quos Diabolus annuatim heic inſtituit, & pro didactro à circumgyratione rotæ decidentẽ animâ pariter & corpore abduxit, ſalvo manente cui Iohannis nomen fuit. Ampliùs fingunt, eo ipſo anno, quo Lutherus in ſummum pontificem & Roman. Eccleſiam detonare cœpit, ſilentium feciſſe perſonatum Doctorem. Colûs philoſophia & aniles fabulæ ſunt. Verum nomen eſt ab arce Regali *Vincenſtre*, ædificatâ à Ioanne Duce de Berry ſub Carolo V Rege; ſub Carolo VI verò à lanionibus & coriariis Pariſienſibus, in gratiam Ducis Burgundiæ, armatâ manu ſpoliata dejectaque eſt. cujus rudera in ſolitario colliculo etiamnum extant; ſpecus & meatus ſubterranei temerarios arcent, & præter externas deformitates ſpectatori nihil relinquitur notandum.

Qua-

Quadrante hinc pergis deambulando ad pagum

ARCVEIL,

AB arcubus ſeu aquæ ductibus, quos in ſuburbiis magnis impenſis ſtruere conſuêrant Romani, dictum. Olim Magiſtratus aliquis, auram popularem capturus, populi in emolumentum ejusmodi aquæductus exſtruxit, & in urbem per tubos & fornices deduxit, ad ornandam ſumtuoſitatem, & in cives quâdam pompâ demonſtrandam benivolentiam. Ex publico reficiebantur, ne cives contributionibus onerarentur, (*l. 7. C. de aqua ductu*) nemo eorum qui jus aquæ poſſident, quamcunque deſcriptionem ſuſtineat. nam execrabile videtur, domos hujus almæ urbis aquam habere venalem. Sed jam Pontificum luxuries, & ſumma ærarii neceſſitas, nō ex aquæductu tantùm, ſed & lotio humano, (quòd olim Veſpaſianus Imperator) ſi cives non refugerent, vectigalia & collectas exegerunt. Verùm ſordes ſordidi illi, & labra lactucas habeant ſimiles. A limpidis & ſalubribus illis aquis, Iulianus Imperator apoſtata, per tubos plumbeos balnea ſua ſtruxit; deducendo nimirum eas usque ad palatium ſuum, quod hodiè dicitur *l' hoſtel de Clugny;* deductosq; calefecit, & thermarum uſu habuit. Hodiè immenſi operis, novi heîc aquæductus ſtructi, curâ Henrici IV & Mariæ Medicææ : altiſſimâ è valle ſunt elevati fornices, quibus pons tectus innititur: à ſcaturigine paullùm remotiore iſthic, canalis rapidi progreſſus ducitur per pontem, qui monti annexus

xus undas intromittit perpetuo curſu ad verè regium palatium in ſuburbio S. Germani Reginæ matris, maximam partem perfectum.

Hinc non longè abeſt pagus

GENTILLY;

HOdiè ita obliteratus locus, ut quis, eo viſo, dicere poſſit, *Vbi eſt?* Olim heîc *les aſſemblees*, ſeu ſtatuum Galliæ conventus fuêre; nec non parlamenta interdum habita, quæ per Normanos cum omnibus antiquitatibus ſunt ſublata. Interlabitur pagum amnis *Bieure*, cujus aqua coccini panni tincturæ maximè inſervit. Ex hoc loco Rex Henricus IV ſcripſit ad Hiſpaniæ Regem, (exemplo ferè eodem Franciſci I, de quo ſupra:) *Henry* [cui aliâs titulus Franciæ & Navarræ Rex] *par la grace de Dieu Roy de Gentilly:* quippe juratus erat hoſtis omnis faſtus; & feſtivè illudebat Hiſpanum, litteris qui inſcripſerat ſuis nomina Regnorum, Ducatuum, Principatuum, quorum poſſeſſionem omnium nec habuit, nec habet, nec habiturus eſt.

Aliâ viâ Pariſiis egredienti occurrit Regia arx

LE BOIS de VINCENNES,

VNo lapide ab urbe ſita ad Sequanam, foſſis altis, octoque quadrilateribus turribus circumdata & munita; anno CIↃ CCC XXXVII à Philippo Valeſio cœpta, ſed à Carolo V finita, ut tabula habet ad ingreſſum pontis, penes caſtellum Demon, litteris Gallicis. *antiquitat. Franc. pag.*

pag. 196. Area intus ampla eſt, ad cujus lævam *la ſaincte & royalle chapelle*, in honorem SS. Trinitatis & Virginis Mariæ ſtructa à Carolo V, Canonicisque XV, ut ſacris operarentur, data. Carolus VI Rex, ſeditionem Pariſienſium caſtigaturus, omnes catenas ex urbis plateis auferri & in hanc cuſtodiam reſervari juſſit.

Ad arcem ſilva opaca, recreationibus Regum maximè commoda. unde heîc multum temporis inſumentes, non pauci è vivis quoq; abierunt; ut Ludovicus Huttenus anno 1316, 15 Iunii; Carolus Pulcher, 1327, 10 Febr.; Carolus Dauphin, 1386; Carolus IX Rex, 1574, 30 Maii. Hoc cum Seneca dixerim: *Non credo anxiè inquirendum, quando & ubi quis moriatur, ſed quomodo moriatur; hoc totâ vitâ diſcendum.* hic ſiquidem duabus ultimis hebdomadibus ægritudinis ſuæ, nil niſi ſanguinem è corpore vidit fluere, inque eâdem dicitur mortuus effuſione. *Serres in vita Caroli* IX. *Antiquitates Franciæ pag.* 199. vindictæ haut dubiè ſignum cruentæ cædis & lanienæ anno cIↃ IↃ LXXII ab hoc Rege inſtitutæ. *Thuanus dicit lib.* LVII; Regis ſomnum nocturni horrores poſt caſum San-Bartholomęum plerumque interrumpebant, & rurſus adhibiti ſymphoniaci pueri expergefacto conciliabant. Hinc lector ſeriò rem exputet.

Silva hæc invitat ſuâ amœnitate Pariſienſes; locus veſpertinæ oblectationi & deambulationi commodiſſimus: ibi centurias pilentorum & vehiculorum penſilium numerabis, exſpatiatum, iocatum, luſumque venientes;

Gratiæ & Veneres Pariſienſes ibi ſuos receſſus habent: heic lenes ſuſurri, ibi tenues repetuntur cachinni & loco & tempori inſervientes.

In hoc eodem Regis vivario cœnobium eſt fratrum Minoritarum Ordinis Franciſci de Paula; *les bons hommes* qui dicuntur. Pontificios ibi aſſervare reliquias pulveriſatas de pallio D. Martini, ut & dentem Servatoris, ait *Molinæus im Glaubens-ſchildt, edit. Baſilienſ. pag.* 458.

Hinc, ſi lubet, divertere potes ad Regiam arcem

SAINCT MAVR,

IN colle ad ſylvam ſitam, loco amœno, unde in circumjacentia diffuſus proſpectus. Ædificium natum eſt auctore Franciſco I. Sed minimam partem conſummatũ, pro more qui in Gallia obtinet circa ædificia Regia. In area, periſtylium lapideum ferramentis prædu̇ctum; ubi janua pectoralem Franciſci I ſtatuam oſtendit ex ære, cum inſcriptione:

Hunc tibi, Franciſce, aſſertus ob Palladis artes,
Seceſſum vitas, ſi fortè palatia grata
Diana & Charites & ſacravêre Camœnæ.

Inferiùs paululùm:

Vt vivas valeasq;, forum heic vitabis & urbẽ,
Nec res à ſomno nec revocabit amor.

Ianuæ ſalamandra liliis circumdata (inſignia Franciſci I) ſuperſtat: *Non deflorebimus iſto præſide & iſtis Ducibus.*

Arcem Henricus IV Principi Condéo donavit, ubi is etiam enutritus, ubi infantia luſit, & pueritia exercita eſt.

Hinc

Hinc recta via te ducet ad

MONT MARTRE;

OLim mons Mercurii vel Martis; quorum idola ibi culta à Gallis adhuc Ethnicis ſuperſtitionum amantibus. Vel etiam quaſi *Mons Martyrum*, quòd ab Ethnicis Gallis heic loci Dionyſius Areopagita cum collegis dicitur interfectus: *Omnes ſancti* (*dicunt Antiq. Franc. p.* 192) *Martyres nudi cæſi, & ſuis veſtibus reinduti, è regione idoli Mercurii, ad locum conſtitutum educti, ad decollationem ſunt genua flectere juſsi.* S. Dionyſius ibi cùm decapitatus eſſet, creditur caput (ſicut S. Albanus Moguntiæ fecit) ſuum portaſſe ad locum qui hodiè *S. Denys* dicitur. In viâ quatuor ſaxei cippi, veluti cruces pyramidales, *Mont-joyes* dicti, videntur eunti, reſpirationi inſervientes; verùm ad ſingulos, in funeribus Regum, ſtationes & commorationes haberi ſolent: poſiti principio ad deductionem funeris Ludovici IX; ornati tribus ſtatuis regiis; in culmine habentes crucifixi imaginem. Hodiè in monte cœnobium virginum Veſtalium à Ludovico VI & Adelheidâ uxore eſt exſtructum, Ordinis Benedictini, anno 1134. Materia gypſi Pariſios quæ defertur, ibi effoditur; unde proverbium: *Il y a plus de Montmartre à Paris, que de Paris à Montmartre.* Mons ita altus, ut oculis inde Pariſios ſupergredi poſſim.

Non longè a deſcenſu montis Regale extructum eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

L'HOSPITAL de S. LOVYS,

DIctum LAZARETVM, extra portam Templariorum. Inſcriptio templo talis impoſita ibi:

D. O. M. S.

Henricus IV, Franciæ & Navarræ Rex Chriſtianiſſ., domi foriſque pace altâ fruens, quam Dei virtute & ſuâ invictâ dextrâ ſibi & regno peperit, curam ſuam in omnes Reipubl. partes maximas, minimas pariter extendens, inter tot ſtupendarum ſubſtructionum moles, quibus Majeſtatem imperii Gallici indies amplificat, inſtaurato ptochotrophio urbis, cognito defuiſſe hactenus noſocomium, quæ res ingenti civibus incommodo ac periculo vertebat, opus novum in valetudinarii uſum à fundamentis excitavit; inque ejus fabricam, memorandam in omne ævum, liberalitate tanto parem incepto, pecuniarum vim unâ donatione contulit; ædem inſuper hanc in honorem Divi Ludovici progenitoris ſui, qui, pro Chriſti Servatoris gloriâ adverſus infideles tot bellis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

bellis feliciter geſtis, in Africa demum morbo peſtilenti mortalitatem exuit, dedicatam, de ejus nomine dici voluit: documentum ſubditis, quæ jam nunc Ludovico filio exempla ſua & ſuorum Majorum proponat imitanda. A.D. cIↃIↃc VIII, Regni ſui XIX.

Item in area ſalientes fontes multâ operâ educti; conclavia ordine, numero, amplitudine, ornatu ita inſtructa, ut Regio palatio, non valetudinario, ſimiliora ſint. Dignum quoque eſt viſu pharmacopœum, medicamentis inſtructiſſimum.

His omnibus Regiis Palatiis & ædificiis viſis, reſtat ultimò extra Pariſios fanum

SAINCT DENYS,

DVobus ab urbe milliaribus. Hic Francorum Apoſtolus cum Ruſtico & Eleutherio, ſub Domitiano, capite plexus, dicitur caput ſuum de loco Montmartre deportaſſe in hunc locum, qui tunc *Catulus* vocabatur. Sepultus poſteà, ſed à Dagoberto, autore ſumtuoſiſſimi hujus templi, honorificentiſſimo tumulo donatus, quem cum reliquorum reliquiis adhuc hodiè heic religiosè cuſtodiunt. Verùm *Molinæus in Scuto fidei, pag. 460, edit. Baſil.*, aſſerit, Baronium in Annalibus habere Bullam Pontificis Leonis IX, in qua narratur, Pariſienſes ad S. Dionyſium valdè errare, opinantes,

tes, ſe corpus S. Dionyſii Areopagitæ habere & aſſervare; cùm corpus illius Sancti præter unum digitum, aſſervetur integrum Ratisbonæ.

Non ego hanc litem meam faciam; potiùs, ſed paucis, cùm alii heic fuſo calamo antè ſcripſerint, ad *templum;* quod cùm neque per Normannos, neque per inteſtina bella ſit turbatum, divinam quandam tutelam ei ineſſe Reges Galliæ arbitrantur; ita ut longiori ſe itineri vel expeditioni committentes, priùs hunc locum viſitent, & votum itineri expediant. *Serr. in vita Caroli VI.* Templo præeſt Abbas, dictus ſacri Palatii Archicapellanus. Cui privilegium eſt, quemlibet Abbatem eſſe quaſi natum, non electum, conſiliarium in Parlamento Pariſienſi: imo privilegio Ludovici II exemtum jurisdictione Epiſcopi Pariſienſis. quod ideò factum, quia Abbas templi tectum è puro argento auferri Ludovico II permiſit, & tempore urgentis famis inter pauperes diſtribui. Videamus Templi *magnitudinem, monumenta, theſaurum,* & *fintem.*

Templi *longitudo* eſt ccc pedum, *latitudo* c, *altitudo* LXXX, ad interiorem fornicem: pronai verò longitudo cxxx pedum. Aedificium ſuſtinent LX columnæ; & introitum faciunt tres portæ æreæ, auro quondam obductæ. *Chorus* diviſus in tres partes: I, ubi religioſorum ſedilia, habet longitudinem LXVIII pedum, latitudinem XXXV; II, habet longitudinem XLV pedum, latitudinem XXXV; III, longitudinem XXV, latitudinem prioribus æqualem.

Monumenta Regum & ſepulturas, tres chori habent.

habent. *In primo*, Caroli Calvi, cum inſcriptione:

Imperio Carolus Calvus regnoq; potitus
Gallorum jacet heic ſub brevitate ſitus.

Porrò ad dextram, Ludovici & Dagoberti Regum: ad ſiniſtram, Hugonis Capeti & Odonis Regum: inter utraque arca cum reliquiis S. Dionyſii. *In Secundo* choro, XI Regum Sepulturæ: V ad ſiniſtram; Philippi III Audacis; Philippi Pulchri cum regina Iſabella Arragonia; Pipini Regis & Bertæ Reginæ: IV ad dextram; Ludovici, Philippi Pulchri filii, cum filiolo Iohanne; Iohannæ Navarræ reginæ; & Caroli VIII, ex ære, in genua procumbentis. *In tertio choro*, ſepultura S. Ludovici. In interſtitio II & III chori, ad dextram videbis Dagoberti ſepulchrum, hujus templi fundatoris, è lapide ſine omni ornatu. Ad ſiniſtram, Philippi Longi, & uxoris Iohannæ; Caroli item Pulchri, & uxoris Iohannæ; Philippi Valeſii & Iohannis. Extra primum chorum eſt ſepultura Franciſci I, ex alabaſtro; ibi prœlia ejus & victoriæ: ad ſiniſtram, Ludovici XII, & Annæ uxoris è Britanniâ oriundæ; hæc omnium eſt ſumtuoſiſſima. Ad ſeptemtrionem Katharina Medicæa ſacellum rotundum cœpit, in quo monumenta mariti in medio, filiorum Franciſci II & Karoli IX ad latera: è marmore: ædificium indies ad ruinam per pluviam deſuper cadentem vergit. Henrici IV corpus, nigro panno coopertum, nondum terræ mandatum erat. lampas ibi ardens; & tabula, quæ elogium & epitaphium ejus tale habebat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Sole ex imo ad medium cœli transſcendente, novus hic Sol in terris ortus. Et, ut ille, primos ætatis ſuæ dies per nives & per horrida ſaxa degens, nondum ephebus ſtragem ſuorum & ſui ipſius carcerem paſſus, juvenis tanquam vere adveniente nubes quadraginta quinque exercituum hoſtilium fugans. Vir æſtate veluti flagrante incredibiles labores exantlans, Iani portas in tota Europa clauſit; regnum hyeme bellorum devaſtatum ad uberem meſſem redegit: cujus in autumno collectis frugibus totius Chriſtianitatis utilitati dicans, magna & miranda moliens, abominando auſu nefarii ſicarii cultello confoſſus, morte intempeſtivâ & nunquam ſatis lugendâ raptus obiit, 14 Maji, anno 1610, Pariſiis. cujus miſereatur Deus.

Iacques Caigne de Poictou.

Theſauri pars in templo, pars extrà in conclavi altiori aſſervatur. In templo reliquiæ ſunt, caput S. Dionyſii inauratum, & gemmis grave; clavus crucis Chriſti, brachium Simeonis, caput Benedicti, faſciæ Chriſti, reliquiæ Eſaiæ & Nicolai; altaria & cruces gemmis & auro

auro coruſcantes; unicornu ſex ſemis pedum, xxv librarum: labrum è porphyro, quo balnei loco Dagobertus uſus, huc Pictavio transvectum, ubi baptiſterium olim fuit, pretio L mill. coronatorum: hodiè ſacro Paſchatos & Pentecoſtes aqua luſtralis in eo conſecratur. Ibidem laterna Iudæ proditoris, antiqui operis, gravioris ponderis.

Ad theſaurum regium in conclavi aſſervatum, ad dextram, fit aſcenſus per gradus. Quatuor ſunt ei deſtinata armaria, verè regias opes continentia. Quæ heic, cùm poſſem, reſerare nolo. Alii notarunt; ſed & mihi heic induſtria manus fuit, ſi caperet libelli anguſtia: omnia ſunt magnifici & admirandi operis; neque exiſtimo ullibi terrarum in uno ſacello tantam vim rariſſimarum & ſtupendarum opum contineri: omnia ſive ſuperſtitionem ſive devotionem Regum arguunt, noſtro ſæculo vix credendam, nedum imitandam. Vnum addo, Abbas templi tenetur ornamenta regia, diadema, utrumque ſceptrum, & alia, Rhemos deportare ad ſolemnem Regis coronationem.

Fons in cœnobio magnæ amplitudinis, aquę ſaluberrimæ eſt, uno è lapide exciſus: indicium ſummæ antiquitatis faciunt ſtatuæ & idola circumcirca, à plebe gentilitiâ olim adorata.

His viſis, mercedem ſacrifico utrique ſolve; alteri, qui quidquid reliquiarum à Divis vel reſtabat, vel reſtare credebatur; alteri, qui theſauros regios multo cum labore & veneratione oſtendebat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Hæc ubi viſa forent, retrò ſpectavimus urbem,
Sequana quam geminâ dividit alluvie.

Lutetiam nimirum. Hinc commoditate veredariorum, mercede coronati aurei in caput conſtitutâ, Rhotomagum, & inde Ambianum, Pariſios te reducam. Vrbe igitur Regiâ profectus, arces *Madrid* ad ſiniſtram, & *Montmorency* ad dextram relinquis. Hæc natalitia antiquæ Gentis Montmoranciorum, qui vetuſtiſſimi Franciæ ſunt Comites. domus eſt ad collem ſita. Hinc bis Sequanam (quæ ſerpentis inſtar ſurſum & deorſum ſeſe volvit, & planities gyris ſecat) trajicimus, mercede admodum exiguâ numeratâ; mox villa *Argentea, Argenteril*, tertio ab urbe lapide adeſt opidum:

Veſtis ubi Chriſti (ſi fas eſt credere pagi
Sacrificis) capſa per vitrum incluſa videtur.

Eam ſumtâ mercede advenis monſtrat ſacerdos: verùm *Molinæus in Scuto fidei, pag.* 460, *edit. Baſil.* dicit, quòd his, cum Trevirenſibus lis magna ſit de veſte hac Chriſti; ſiquidem utrique jactant & profitentur ſe illam aſſervare. Hinc porrò ſat grandis mons ſuperandus, & quidem pedes. Pòſt occurrit IV lapide opidulum *Pontoiſe*, cui nomen à ponte, qui fluvio Oyſe ante opidum incumbit, colli adſitum. altera pars collis habebat antiquæ formæ ædificium, regiam ſedem: altera caſtellum, è quo opidum defendi poteſt. Heic prandium nobis *à l'eſcu de France.* Hoc opidum alioquin ob pratorum & vinearum, imò hortorum circumjacentium continuam ſeriem, & accinens aquarum lene murmur, præter alia loca, meos

affectus

affectus poſſederat: verùm ſumto prandio cum comitibus, affectus corrigendi erant; quòd rerum, quæ fieri nequeunt, optimum remedium eſt oblivio. Transibamus vicum *Vigny*, tribus milliar. à prandio; & cœnam in vico *Magny* ſumebamus, in hoſpitio *au bras d'Or*, 4 milliaria. paret Domino Villaregio.

Sequenti manè, uno milliari ad dextram, arx *Alincourt* in valle relinquitur; è qua ortum ſuum habent Domini d'Alincourt; nos verò via ducit pranſum ad vicum ESCOUY, VII *milliarium;* ubi trutæ lautæ, ſed lauto pretio, adponuntur in diverſorio à *l'eſpee royale*. Mox, dum prandium paratur, ad templum ibamus, quod Decanus cum XII Canonicis habet: exſtructum ab Euguerrando Marigny, comite de Longueville, qui fuit ſupremus aulæ magiſter ſub Philippo Pulchro, & ſepultus in choro armatus in tumulo marmoreo, loco elevatiori: è regione frater ejus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, habitu Epiſcopali. Quæſivimus in hac æde epitaphium:

Cy giſt le fils & la mere,
la fille & le pere,
la ſœur & le frere,
la femme & le mary,
Et il n'y a que trois corps icy.

Canonici quærentibus nobis reſpondebant, numquam iſtius loci tale epitaphium extitiſſe; quod tamen à fide-dignis antè acceperamus ibi poſitum. fortè puduit eas rei & hiſtoriæ ſtupendæ, quam tamen cum lectore communicamus noſtris verbis. Accidit in opido quodam N, ubi mater cum filio pubere rei fami-
liari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

liari operaretur, filius amore ancillæ maternæ inflammatus, eam ſæpiusculè de concubitu ſollicitat. ancilla denegans, rem matri aperit; quæ ancillam, ſi filius quæſitum reiteraret, inſtruit, conſentiat, determinato certo loco & noctis in tenebris tempore; ita tamen ut conſenſu facto & circumſtantiis dictis ancilla matri rem denunciet, quæ ſe pro ancilla ibi geſtura, filium in lecto præſtolari vellet. Quid fit? ancilla rurſus à filio invitatur; conſentit tandem, clàm locum & tempus deſignans. matrem adit; quæ in puncto locum deſignatum occupat. filio dicto tempore venienti ſe ſubſternit, coit, concipit, & pòſt, inſcio filio, qui ſe rem cum ancilla habuiſſe exiſtimârat, puellam inde parit. Filius, matre domi relictâ, peregrè abit, & aliquot annos abeſt. interea mater puellam in villa educari curavit; quæ revertente filio adoleſcit bellâ formâ; & opidum domumque ingreſſa placet filio. hic quærit è matre, quęnam iſta ſit puella? mater reſpondet, orphanam eſſe, & à ſe eductam. filius eam ſibi dari petit, poſtulat, urget, tandemq; impetrat. mater, occultans omnia, permittit tandem. Sic filius eam imprægnat pro uxore, cùm eſſet filia & ſoror è matre de ſemetipſo antè nata.

Spiræ in Germania dicitur epitaphium ſimile eſſe:

Hier ligt ſohn und mutter/
Dochter und vatter/
ſchweſter und bruder/
mann und weib/
die ſeynd gekommen auß eynem leib.

Prandio

Prandio ſumto mox difficili greſſu ſuperãdus præaltus mons; quem ima vallis ſequebatur ad pagum *Frenil,* 1 milliari. nihil quod in via occurrit, quàm ſegetes læti & uberes ariſtæ; pagi aliquot item penetrandi, ad cœnam donec VI *mill.* veniremus in urbem

ROTHOMAGVM,

R*Oüen* Gallis, metropolin Normanniæ; ubi amplo hoſpitio *au quadrant de mer* excipiebamur. Nos, poſtpoſitâ nominis fabuloſâ derivatione, quam habent Antiquit. Franc. fuſis paginis, ad luſtrandum intùs & extùs urbem properamus. Sita eſt in valle; cujus latera alti montes, qui igni fomenta ſuppeditant, circumvallant ab unâ parte; flumen Sequana lambit ab altera; ibi paſcua pinguiſſima; nec longè abeſt pagus, lacticiniorum copiâ & bonitate cui parem Gallia non habere dicitur. Præter Sequanam ſunt amnes *Robec, Aubette,* & *Renelle;* qui plateas ſecant, & molendinis induſtriam operam ferunt. Iis incumbunt põtes, quibus plateæ junguntur, *le pont de Robec, le pont d'Aubette, le pont Dame-Renaulde, & le pont de Taritaine.* hi verò nihil ad pontem Sequanæ ſuperſtructum XIII fornicum, tametſi media pars ruinâ ab altera diſcriminata jacet. Heic duo portus ſeu ſtationes: altera, quam Pariſienſem vocant, *le quay de Paris,* ſupra pontem; ubi naves Pariſienſes: altera *le quay de navires,* ubi naves in Oceanum exeuntes ſubſiſtunt; qui paucis abhinc milliaribus Sequanam excipit ad *portum havre de grace,* à Franciſco I contra incurſiones Anglorum ædificatũ.

Ad

Ad fluvium Sequanam heic *Caſtellum*, XI turribus conſpicuum, apparet; in quo præſidiarii miles: naves huc adventantes ter explodere tenentur. Vrbs præterea propugnaculis, foſſis & portis, quæ tamen anguſtiores, munita. Accedit è regione urbis in ſummo monte Abbatia D. Katharinæ. Ibi propè caſtellum, *le fort de S. Katherine;* quo omnis locus in urbe defendi poteſt: quemadmodum Metis in Lotharingia à ſuo caſtello: ipſa tamen munitio ab Henrico IV, pace factâ, deſtructa hodiè jacet. ita cives liberati metu oppreſſionis, & Rex Galliæ rebellionis, qui intra hanc tutò latere poterat. Ante portam S. Hilarii notes Antonii Navarræi, qui pater Henrici IV fuit, interitum; ubi, cùm contra Hugonottas militaret, reddens urinam, inſcius globo trajectus eſt, anno 1563. vide *Serrem in Carolo IX*. cùm verò Henricus filius urbem hanc obſideret, murus ſuâ ipſius ruinâ heic ſe dejecit.

Iam ad *ædificia*. Inter ſacra, *templum D. Virginis* primum eſt, tribus turribus eminens, *S. Romani*, *butyraceâ*, & *pyramide*. Butyracea plumbo tecta; quod tamen ſole coctum, cupri naturam & formam ſibi aſſumere videtur. ubique Cruces erectæ, cum galero cardinalitio, & literis G. A. aſcenſus graduum CCCCLXXII. Quæ à pyramide nomen habet, aſcensûs altioris eſt: principio CCCC gradus è lapide ſunt ſtructi; quos CC è ligno ſequuntur: ita ut IↃC graduum ſumma ſit, ſcanſione ſudorem provocantium. Opus, & cum campana, quam alii deſcripſerunt, eſt Georgii d'Amboyſe.

cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cujus tumulum in hoc eodem templo, è nigro marmore, tale ornat epitaphium:

Georgi de Ambaſia, Cardinalis in Francia Legati, Neuſtriæ moderatoris atque Rhotomagenſis archipræſulis:

Amboſius Galli laus prima Georgius orbis,
Mortuus hoc Pario marmore ſubtegitur.
Gallia eum coluit viventem, & Neuſtria functũ;
Gallia & efflictim Neuſtria mœſta gemunt.
Gallia Legatum, Rectorem Neuſtria luget;
Primatemq; omnes publica damna dolent.
Cardinea hoc vultu reverentia prodit amorem:
Pompa abiit; cecidit pontificalis honos.
Rothomagi ille gravis defuncto authore Senatus
Conqueritur comitem, Rex Lodoice, genus.
Gallio marmoreus, campana, aurataq; tecta
Expreſſi quædam ſigna doloris habent.
Relligio, pietas, miſeratio, fœdera pacis,
Quæ ſitiit vivens, interiêre ſimul.
Is collegit opes & amicos: liquit amicos,
Liquit opes; tumulo dat pia thura nepos.
Qui vivus patruo virtute & honore parentans
Cum patruo functus ſaxa ſub illa jacet.
Dic, hoſpes, pia verba; & , ſi tibi conſulis, amplum
Heic propriæ exemplum conditionis habe.

Ibidem

Epitaphium Caroli Rupifuoldi, Comitis Randani Equitis torquati, quinquagenariæ cataphractorum Equitum turmæ Gallicique peditatûs præfecti;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

fecti; qui, bellis civilibus in Gallia excitatis, in hujus urbis obſidione ignito fictili percuſſus, præclaris egregiæ virtutis ac fortitudinis facinoribus editis, extinctus eſt. cor heic poſitum eſt, anno cIↃIↃLXII, ætat. XXXVII. *Fulv. Con poſuit.*

Præter hæc, ſunt heic monumenta Ducum Normandiæ & Archiepiſcoporum. Caroli V ſtatua marmorea cum corde; ſacellum item Innocentium; ubi hiſtoria de Dracone & S. Romano. Vnde Eccleſiæ hujus Canonici, jam inde à D. Romani tempore conceſſum obſervant, ut pridie diei, quem in hanc rem feſtum colunt, ex facinoroſis hominibus, qui tum captivi detinentur, ſceleratiſſimum ſibi dedi poſtulent: quem ut audiverunt confitentem, & ad vitam emendandam admonuerunt, publicis ceremoniis, tùm in templo, tùm in foro contiguo magnificè adornato, ab omni ſupplicio immunem pronunciant. *Iean le Taylon in hiſt. Norm. Arniſ. de jure Majeſt. p. 263. Vexilla* item & arma in Gallia maritimi prætoris. Chorus ex orichalco. Organum ſtupendæ magnitudinis. Columnæ XIV à ſingulis partibus. Præcipuum autem quod heic notabis, ſunt veſtes ſacerdotales & ornamenta, Regis Angliæ Guilielmi & Amboiſii Cardinalis munera: antiquitatem ducentorum annorum præ ſe ferunt, & theſaurum raiò videndum: pallia ſacra, infulæ, mitræ archiepiſcopales magnâ in copiâ, regioque pretio à gemmis, unio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

unionibus & auro. inter alia pallium eſt egregii operis, acu picti: in quo ſummo Chriſtus duodecennis in templo docens; in medio, quomodo baptizetur; in imo, quomodo à Diabolo in eremo tentetur: heic Diabolus habitu Capuzinorum fratrum & colore repræſentatus; cauſam tibi ſacriſtanus explicabit. Cruces inſuper, candelabra, & varia ſupellex Eccleſiaſtica ibi; verè regia dona, pio affectu heic datâ.

Porta ante templum cum tribus Gratiis in honorem Henrici IV erecta. arcus triumphalis eſt, oſtentans Regem, leonibus & lupis fugatis, ſecurè oves ſuas agitantem. ab altera parte idolum Ligæ ligatæ, catenam arrodentis; ab altera, Rex Hiſpanus tympano inſidens, melancholico & triſti vultu.

Præerat tum Archiepiſcopatui Dominus *Franciſcus de Hailay*, *è domo Chanvallon*, *primas Normandiæ*; vir linguarum dives, doctrinâ & authoritate ſtupendus, quem Pariſiis publicè in æde Auguſtinianorum novo modo inter eruditiores diſputantem græcè & latinè ſæpiùs audivi: Ei ſubſunt Diaconi, Subdiaconi, Canonici L, & reliquus Clerus amplo numero.

Ex hac æde ad *Sancti Ovani* te confer. chorum calcaribus ne ingrediaris; regum manſio eſt, ubi Rhotomagum veniunt: ædificium ſtructurâ mirabile. Sacellum S. Agnetis ad ſiniſtram chori, habet in terra tumulatos opificem Alexandrum de Bernefa, & diſcipulum; ille iſtum ob artem trucidavit, ſed ipſus fune etiam vitam finiit: opus utriusque, feneſtræ oſten-

oſtendent; magiſtri ad dextram, quod eſt duplicata Roſa; diſcipuli ad ſiniſtram; quod eſt Roſa cum ſtella intùs. contemplare fornices & arcus, qui civilem architecturam intelligis; ingredere periſtylia, ubi ſubſellia lapidea, diſputationibus dedicata; area taxum habet inſolitæ magnitudinis. Monachi ſunt XLV, ordinis Benedictini, quibus præerat Abbas Comes de Soiſſon. Extra ædem notabis *iconoclaſmum;*

Et veteres aras, deturbataſq; videbis
Sanctorum ſtatuas, flammâq; ardente crematas.
Dant ſignum obducti nigrâ fuligine poſtes,
Atraq; disjecti fumo laquearia templi.

Portæ, foramina, per tormenta, injecta oſtendent. In bello civili, Ligiſtis in ædem hanc ſeſe recipientibus, Henrico adventante, & clamantibus, *Vive la Ligue;* opidanis verò, *Vive le Roy;* Rex armatâ manu templum aggreſſus, occupavit, & Ligiſtas ſedavit.

Ieſuitarum in hac urbe quoque eſt domicilium; bibliotheca in fama eſt; diſcipuli in numeroſo numero; Templum iis de novo ſtruebatur.

Cœmeterium de S. Malcou quadrilaterum eſt, muros ex oſſibus demortuorum, ut & crucem, habens. In hac parochiali æde plus quàm viginti millia communicantium in feſto paſchatos ad S. Cœnam ſe ſiſtere, dicunt *antiquit. Franc. pag.* 970.

Pergamus ad *politica ædificia.* Palatia regia ſunt duo. alterum ad Sequanam *le vieux palais;* præ quo caſtellum; è quo fiſtulis aqua educitur: impoſita ibi ſtatua lapidea Henrici IV cum clava Herculis. alterum eſt *Parlamenti curia,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

curia, (le palais royal) à Ludovico XII anno cIɔccccxcix erecta; conclave præcipuum quotidiani conventus. *La chambre d'orée*, à fornice ligneo inaurato: hanc ſi frequentare voles, calcaria ocreis deme, aut marſupio numos.

Domus Senatoria, frontiſpicio tota nova, effigiem Henrici IV portæ impoſitam habet ab uno, ab altero latere inſcriptionem:

Du regne de Henry IIII treschreſtien, Roy de France & de Navarre, 1607.

In medio inſignia urbis, *Agnus Dei*, vulgi verbo.

Burſa mercatorum, eſt ad portam *de l'eſtrade.*

Iurisdictio prætoris opidani eſt in loco *de Cohuc.*

Ad Sequanam *porta* eſt, dicta *du Bare*: cui inſcriptio:

Anno 1617.

De ceſt heur ſeule je jouys,
que quand la pays priſt aſſeurance
par la juſtice de Louys
je pris mon luſtre & ma croiſſance.

Eſt & locus quidam in urbe, ubi anno cIɔccccxxxi Ieanne Pucelle d'Orleans, ab Anglis veneficiis accuſata, viva combuſta eſt. Carolus VII Rex Gall. ei ob fortitudinem inſignia dederat, bina lilia aurea in campo cœruleo, inter quæ gladius argenteus: in galea pomum & crucem auream cum corona aurea. ſed hæc omnia nihil, cùm rogo injiceretur cremanda.

Formale urbis eſt in imperio Archiepiſcopali, & parlamenti. utrumque amplæ jurisdictionis

dictionis eſt. Illud XII ſub ſe decanatus: iſtud pluria, quam hîc dici poſſunt, ſub ſe comprehendit loca; nimirum tres Ducatus, & IX Comitatus, cum viſceribus & incolis. Heic cauſæ deciduntur à Præſide, Proceribus & Iurium peritis;

Quorum ubi conſueto dicta eſt ſententia ritu,
Appellare licet nulli: lis clauditur omnis.

Ita Chytræus. Vnum eſt quod te latere nolo; Eſt in parlamento hoc unus ſummus Præſes, habens V collegas inferiores: ſunt inter Conſiliarios, Aſſeſſores tres reformatæ religionis, quibus curæ eſt Edictum Religionis Nanneticum, cauſæque illius præſunt, nomine Regis: Edictum illud videre potes *apud Serrem, in vita Henrici IV, anno* CIƆIƆ IC; & ejus confirmationem à Ludovico XIII factam anno CIƆIƆC X. Numerantur verò Eccleſiæ orthodoxæ in Normandia quinquaginta; in omni Francia IƆCCC. Vrbes quæ Edictum receperunt, forum ſuum habent in provinciæ, in qua ſitæ ſunt, parlamentis: reliquæ, ut Aquæ Sextię, in Provincia, Redonum in Britannia, & aliæ, ſi quæ illis de Religione moventur lites, Pariſiis habent forum in Camera Edicti; (ubi VI regii adſeſſores ſunt.) eò migrare tenentur, quòd tunc temporis Edictum recipere noluerunt in Francia ubique publicatum; quod ægrè dolent hodiè.

Extra urbem hanc, Sequanam trajicies cymbâ, ſi ire voles in pagum *Quevilly;* ubi reformatorum Eccleſiaſticus eſt conventus. horam cum media impendes. Cœtus capita quatuor mill. numerat; cui tres miniſtri præfecti ſunt;

tametſi

tametſi hoc tempore bini tantùm eſſent, *Monſieur de l'Angle, & Erondelle.* Templum in horto ſitum eſt, habens XII angulos, totidèmque ligneas columnas, quibus incumbit: totidemque, ſed duplicato numero, ſunt feneſtræ, quia duæ ſunt contignationes pro populo; cuilibet XII reſpondent feneſtræ; exceptâ baſi templi, quæ IX feneſtris lumen, & III portis populum admittit. Aedificium artificioſâ ſtructurâ, parvo ſpatio, aliquot chiliadas auditorum capere poteſt.

Hinc à concione, pedeſtri itinere, Sequanâ rurſus trajectâ, me Rothomagum recepi; ubi, comitibus aliquot noſtris Diepam, X leucis abjunctam, equis conductitiis pro XL ſolidis, abeuntibus, ego cum meis Ambianum cogitare. Sequenti igitur die prandio ſumto, cum tabellario Antverpienſi nos in viam dedimus, ſolventes pro alimentis & equo ſinguli XII florenos Ambianum uſque; verùm in via malè paſti & excepti ſumus; ita ut nulli ſim auctor, cum tabellario in hoc itinere talem contractum ineat; argentum ſiquidem vacuis culinis importatur, & jejuno ſtomacho receditur.

Rhotomago diſcedentes tribus milliar. divertimus ad hoſpitium MALMAISON, *à trois marchants;* (rectiùs *à trois mechants.*) verè mala domus. unica domuncula eſt, ſine omni apparatu & cuſtodiâ. Vbi noctu dormitum, cùm eſſet eundum, ſicarius quidam catenis vinctus à VI cuſtodibus inducebatur, deducendus Rothomagum, ſupplicio conſecrandus: perditæ vitæ homo, cui vita in novacula

jam

jam jam futura, nihil tale cogitans, cantabat faciebatque ludicra. Ita heic habes peregrine, cur circumſpectus ſis.

Lux ſequens nos ducebat ad pagum FORCY. Ibi in valle fons ſaluberrimæ aquæ. *Aquæ Forcenſes* potantur; deambulationibus inter arbuſcula ad ſudorem uſque, ſanæ eſſe ducuntur ægrotis; colorem aqueum, ſaporem verò nitroſum oſtendunt.

Inde VI *jam* confectis milliaribus *adhuc* II reſtant ad pagum *Pierement;* ubi tenuiſſimum prandium, laborioſis conatibus, vix ova bina, vix gutta vini acerbi pro latrante ſtomacho.

Feſtinabamus I *mill.* per pagum *Guerguis* & *Levvatte*. ubi Normandiæ terminus in rivulo ſubtus montem labente: mons candidæ terræ, Picardiæ principium, ſuperandus.

Inde per viliſſimæ ſtructuræ pagos ad vicum *Bois*, V *mill*. pergendum; in quo *au Dauphin* cœna paucula. vicus cum veteri arce paret Domino de Crequy. rudera mera ſunt, à bello civili reliquiæ.

Subſequente die arx *Mojencourt* ejuſdem Domini ad ſiniſtr. relinquebatur.

AMBIANVM

DVabus leucis aberat:

—— *Somiæ quod flumina findunt:*

verè findunt ſeptem diverſis rivulis; aliàs fœtor intolerabilis ab urina, ædibus affuſa. Divertebamus pranſuri *au Cardinal*. Hoſpes præter mappam, panem, vinum, nihil apponit; quicquid obſonii velis, à coquo emere & inferre opus eſt. Lucri ſiquid eſt, à pecunia eſt,

quæ in Picardia & Normandia potioris valoris eſt quàm in reliqua Francia. Menſura vini 10 ſolidis venditur, caro ſatis pretio. Vaſa menſaria, lychnus, ligna, lintea, lectus, certo contractu locationis apud hoſpitem proſtant; quæ omnia cum vino, pane, & ſale manè, cum jentaculo ſumto, ſolvenda. Cubilia ubique aperta; feneſtræ, valvæ & januæ, remotâ ſerâ patent, nec adduci poſſunt; non vectis, non obex, non repagulum eſt: ergo alio pacto fores obfirmandæ & feneſtræ, ubi cubitum is; aut vigilanti oculo reculæ cuſtodiendæ.

Sed ad urbem; quæ Picardiæ metropolis eſt. Nomen ipſi ab ambitu aquarum; quæ tamen magis ineunt, quàm pereunt. Frugum ferax eſt; non vini. Cœli clementia & aëris ſalubritas eſſet, niſi ſordidis ædium alluvionibus ea inficeretur; vix enim datur reperire ædes privatas, quarum parietes urina non alluat. *Foſſæ* partim ſiccæ, ſed profundæ; partim aquis ſunt ſtagnantes. Per portam *Montreſcu* anno cIↄ Iↄxcvi Hiſpanus ſtrategemate (carro nucum) urbem occupavit. verùm anno ſequenti, ab Henrico IV inde ejectus, titulum urbi fecit: *Amiens fut prinſe en renard, reprinſe en lyon. Meter. lib.* 18. *Serr. in vita Henr. IV.* Cives, ſi Hiſpano reſiſtere voluiſſent, nullo negotio urbem ſervaſſent. verùm nec Helvetios pro præſidio admittere voluerunt ſub prætextu neſcio cujus privilegii. ita, Comite S. Pauli urbe profugo, ſine ulla civium reſiſtentia capta eſt. Henricus IV verò, recuperatâ urbe, omnia tormenta ex armamentario, quòd cives ſe non defenderunt, caſtello noviter inſtructo, è

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

quo Rex & urbem defendere, &c, ut imperata faciat, cogere poteſt, impoſuit, cum præſidio Iↄc militum; inter quos Helvetiis 2 floreni præter ordinem ſolvuntur menſtrui. Peregrinus heic omnis excluſus. unde rectè dixeris:

Porta, patens eſto nulli; claudaris honeſto.

Portæ novæ ad caſtellum inſcriptio eſt; cum ſtatua Henrici IV:

Ut beneficum ſidus, Henrici IV vultum poſteri norint; quem urbs & orbis Gallicus Regem ac liberatorem habet.

Aedificia ſacra heic duo vidimus; nimirum templum cathedrale, & Ieſuitarum. In illo, portas, columnas, chorum, epitaphia, feneſtras, altaria cum reliquiis, videas, mireris. Sed nec heic ſacellum, in quo caput Iohannis Baptiſtæ, cryſtallo incluſum, neglegas. ſummâ devotione monſtratur; ſed fortè ſuppoſititio cranio: quippe *Molinæi in Scuto fidei pag.* 459 *edit. Baſil.* verba adponam. *Concilium Conſtantienſe, edit. Colon. pag.*813, *dicit* x *Seſſione; D. Iohannis caput aſſervatur Romæ in cœnobio Veſtalium ad D. Sylveſtrum: Ambianum verò & Atrebatum gloriantur de ejusdem poſſeſſione: nec minùs S. Iean d'Angeli ob has reliquias diu in fama fuit celebri.* Concordent inter ſeſe capita de hoc capite.

Ad *Ieſuitas* hinc ibamus, (familiares ad omnia,) luſtratum bibliothecam & hortum. Diſcipuli cIↄ Iↄ erant numero. Pater Rector Conſtantinopoli huc vocatus docebat; ibi Græcas litteras

litteras ſub patrocinio Legati Chriſtianiſſimi antè docuerat.

Ambiano uno lapide abeſt *Guingcourt;* ubi reformatorum exercitium religionis eſt; quod per otium accedere potes.

Aedificia politica ſunt: *Curia;* bella, in honorem Henrici IV ſtructa. *Armamentarium;* in quo XIV naves, pontis uſui olim ab Alberto deſtinatæ, à civibus verò interceptę improvisò, & in urbem abductæ. *Carceres publici*, formâ pyramidali in mediâ urbe ſiti.

Formale reſpicit Magiſtratum. à quo datur appellatio ad Parlamentum Pariſienſe; ſiquidem deſiit id quod Iſabella Caroli VI uxor regina heic fundaverat. *Antiquit. Fr. p.* 419.

Ambiani relicto tabellario, veredo Pariſios remeavimus, ſoluto pro ſingulis aureo ſolari. Euntium numerus, non nomina, in librum conſignantur, locusque in delectu quandoque eſt. Sub veſperam in opidum BRETTOEUL, VII *milliarib.* confectis, divertimus *au Lyon d'or.* paret Condéo; ab ultimis inteſtinis bellis omnis penè deſtructa, templis combuſtis. Ad dextram, priusquàm huc venis, arx magnifica *Bonœul*, ejuſdem Principis, ſita eſt. Ad ſiniſtram, *abbatia S. Iuſti* in colle eſt. Luce ſequenti à VII *milliarib.* habuimus opidum cum arce monticulo impoſitâ *Clairmont*, olim Condéo, modò viduæ de Soiſſon ſubjectum per contractum venditionis. Heic hoſpitium moleſtum, crudum & inhumanum nobis contigit *au Cygne blanc;* ubi nihil pro oculis, nedum pro ſtomacho; In tabernam vinariam ad cauponem eundum erat pro ſtomachi cura,

dum hoſpes medicinam omnem detrectabat. A prandio ad tornatorem inviſimus, artificioſâ manu varia opera minutiſſimâ formâ facientem; emimus glandem ex ebore, in ſe habentem globum cum IX latrunculis; nec pondere nec magnitudine granum tritici æquabat, idque mediocri pretio. Veredum poſtea repetitum, ſed madidum cœlum nobis pro comite erat ferè ad veſperam. Circumjacentes montes vini fertiles, valles fructibus & ſegete virentes, ſicut & paſcua graminibus, amœniſſimum aperiebant circumſpectum. Cum Sole cadente devenimus in opidum GRE, IV *milliaribus*, pernoctaturi *a l'eſpee royale*. Situm eſt ad fluvium *Oyſe*, arcem regiam circumfluentem. Tribus pontibus firmatur opidum & arx. In illo nihil quod notes; in hac ſtructuram & conclavia. E quadrato lapide decorâ formâ ædificata eſt; capella ſive ſacellum absque omni ornatu eſt; quòd arx non inhabitatur à vidua Principe de Soiſſon. In ſiniſtra ejus parte, Petrus Borbonius & Anna uxor congenulantes in feneſtra conſpiciuntur, majores qui ſunt Regis Ludovici XIII. E regione, in feneſtella, cervus volans & corona liliis cincta, picta videntur; quinque ſæculorum ſenium habet opus, hincinde adſcripta voce, ESPERANCE; quam etiam videre habes Pariſiis palatio Borboniano, à Ludovico III fundato, præſcriptam; inſtar præſagii, aliquando è gente Borbonia futuros Reges re, qui tunc erant in ſpe. Inter reliqua, conclave nota quod Carolo VI pro domicilio fuit, phreneſi laboranti. Duabus feneſtris lumen intrat. altera à terra

ſurgit,

ſurgit, alta tres & plus ulnas, pergulæ inſtar exiguæ, extra parietem producta in proſpectus uſum, ſed clathris ferreis valdè munita. altera ligneis munimentis clauſa fuit, modò aperta; ita ut nusquam exitus ei patuerit. Hic Carolus VI à Carolo V, primo Franciæ Delphino, progenitus fuit. filio Carolo hereditate excluſo, Henricum VI Angliæ Regem ſucceſſorem inſtituit, anno cIↃ cccc xx Pariſiis coronatum. mortuo verò patre Carolo VI, filius Anglum ſede deturbavit, regnoq́ue ejecit, ita ut præter Caletum nihil ei remanſerit. Præter conclavia, omnia reliqua è lapide mero durant. Ipſa arcis area quadrilatera, culina, portæ, foſſæ, omnia è lapide; pontes penſiles pro munimento, aqua pro piſcibus ibi ſunt; dignum quod in tranſitu otioſus videas.

Poſtridie duabus leucis, ad pagum *Gouvieux*, pons ſuperandus lapideus; ubi ad ſiniſtram ingens lacus, qui Picardiam ab inſula Franciæ diſcriminat; ſub jurisdictione Ducis Montmorencii. piſcium copiâ & magnitudine celebris eſt, tendens alluvie ſuâ ad opidum Senlis, quod ſiniſtrorſum hinc conſpici poteſt.

Inde duabus leucis *Luſarche* ad opidulum, pranſuri *au lievre*, tendebamus.

Inde *Equan* vicus dextrorſum cum conſpicua arce in ſummitate montis, Ducis Montmorencii, relictus: porrò penetrandum fanum *Sancti Dionyſii* duabus leucis, de quo antea; & tandem Pariſii ineundi; ubi veredarius honorario aliquo, ſi benè rem geſſit, mactandus.

Ita te ſiſto & in urbem induco; quam luſtrare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mecum hac viâ & vice non poteris. Mundus eſt, Caroli V Imperatoris verbo; cujus capacitatem exiguus hic libellus peregrinatorius non capit. Regum domicilium, totius Galliæ ſupremum Parlamentum, primam Academiam, Mercurialium ingeniorum officinam, tribus, quod dicitur, verbis oſtentare abſit. dabimus tibi deformatam politâ methodo peculiarem fuſoque calamo ſcriptam. interea moram patienter fer; parabimus enim, quæ per exiguitatem libelli heic præterire jubemur. Interea quæ alii compilarunt, utere: ſcripſerunt *Franciſcus Belleforeſtius, Aegidius Corrozetus, Iacobus Capellus; metro item Euſtathius à Knobelsdorff* Boruſſus: *his accedant les antiquitez de Paris;* (magnum volumen eſt:) ut novos omittam, quos videre habes. Oculis noſtris quæ vidimus, manuque exſignavimus, digeſta concinnataque dabimus; ut horas ſubſecivas totos XV menſes Pariſiis induſtriè nos locaſſe non negaturus ſis. ſicut auro eboríve facile eſt decus addere, cum materies per ſe niteat: ita Mundo Lutetiæ formam, per ſe non deformi. Eapropter hinc pergo, veniam apud æquos exſpectans, calumniatoribus ad parentem ſuum relegatis.

Kalendis Decembris Aurelias verſus itum eſt. Via maximam partem ſilicibus ſtrata eſt Aurelias uſque, amœna tamen, quia non opus eſt ſilicibus inequitare, ſed deviis ſemitis, gramine tectis. Campi frumento, colliculi vitibus ſunt cooperti; quod prætereuntem mirè afficit. Ante prandium occurrunt *le bourg la Royne, le pont Anthoni,* pagi inde *Longiumeau,* opidum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

opidum 5 *milliarium*, in valle ſitum: in cujus ſuburbio monaſterium, cui Theodorus Beza Theologus olim Prior, adhuc pontificius, extitit; is autem natus erat in opido Vezelay in Auxerrois. *Antiquit. Franc. p.333. Inde Linas opid.* monticulo adſitum. Nec procul inde in acuminoſo colle arx *Montlehery;* antiqua, ſed ob ſitum expugnatu difficilis; rebellium Franciæ olim refugium & aſylum; habens turrim, è qua proſpectus Pariſios uſque ſeſe extendit. locus celebris à prœlio ſub Ludovico XI ibi anno CIↃ CCCC LXIV commiſſo, in planitie non longè iſthinc diſtante. *Chaſtres* 8 *mill.* Pariſiis abſitum nos in prandium vocabat, *au Dauphin.* Opidum in amœnâ valle vitibus abundante. Palatium cum viridario Domini de Chanteloup, (cujus *Hertzner. Sincer. Antiquit. Franc. p.* 229, amplam faciunt deſcriptionem,) hodiè ita ruinam patitur, ut non dignum quod adeatur, tempúsve fruſtrà inſumatur. Poſteà tranſivimus *Tourfour;* ubi fagetum, prædonum ſpecula quondam. & ſub imam veſperam opidum *Eſtampes,* 5 *milliar.* intravimus, cœnatum *au Dauphin.* Situm opidum in valle ad flu. Eſtampe, qui cancros, delicias Pariſios copiosè mittit. Templo D. Mariæ conſecrato adjicitur hiſtoria, quod aleator quidam, cùm maledicta in D. Virginem jeciſſet, miraculosè in eo loco ſtatim punitus ſit. Arena ejus loci, cretæ albedinem oſtendit; inde incolæ dicuntur *les ſabloniers d'Eſtampe.* Illinc ſummâ luce, imò meris tenebris abeuntes, per vicos *Monerville* & *Angerville*, properavimus ad opidulum *Thoury*, 11 *præterpropter*

milliaria. ubi prandium & cœnam *à l'Eſcu de France* ſumpſimus: alaudæ invitabant delicatiores. Inde *Artenay*, vicus 4 milliarium, cujus incolæ ſcabioſi (*galleux d'Artenay*) dicuntur, occurrit; à quo *mill.* VI ad urbem *Aureliam* ſub prandium delati ſumus, divertentes in ſuburbium, *à la charrue de la porte bannie*.

AVRELIA.

DIctam hanc urbem dixerim non ab Aurelia Cæſaris matre, ſed ab Aurelio Imperatore, qui eam ampliatam, deleto priori nomine, de ſe ſic vocari voluit. quidquid alii adſerant, incertis omnes autoribus aſſerunt. Situs agri occupat latiſſimam planitiem, quæ omnis generis lauta & neceſſaria edulia incolis ſuppeditat. Generoſi inprimis vini & vinoſi fertilis, verùm calcis quid calcariíve excrementi in ſe habentis. Inde juramento obſtrictus regius pocillator, omne Aurelianum vinum à regia tabula arcet. Quandoque & Pariſiis promulgatum, ne quis caupona ſub publicâ hederâ vinum Aurelianum venum haberet. Vrbs quâ Pariſios imus, elevatiori paululum ſurgit humo: formâ quadrilaterâ ſed oblongiori. circumferentiâ dicitur habere duo milliaria: vallo, muris & foſſis ſatis profundis ſtat munita. Suburbia latitudine anguſta, ſed longitudine prorepentia habet, è quibus viæ publicæ IV & V milliaribus exeunt ſuperbè & ſumtuosè lapidibus ſtratæ. Inter deambulandum obſervabis interiorem urbis ſtructuram, commendabilem propter ordinem vicorum, platearum mundi-

munditiem, domorumque elegantem fabricam; nil dixerim de formarum honeſtarum abundantiâ, quo nomine plusquàm ulla Galliæ civitas commendatur.

Inter ædificia publica, eminet magnificentiſſimum *templum S. Crucis*, cui ſimile vix habet Gallia. deſtructum anno 1567 fuit bellis civilibus, ſed regis liberalitate, decies M. libras in annuam ſtructuram donantis, reædificatum. Quotannis 3 die Maji ibi ſolemnitas mira videtur. Quatuor Barones proceſſione ſolemni funem brachio, olim collo, appenſum ſinguli habent; procedunt manibus candelam ceream per templum portantes, quam ad altare poſtea ſiſtunt. His feretrum præfertur, ac ſi cadaver demortui intus, quod ſepulturæ tradendum. Pontificii aſſerunt originem hanc. Accidit, quòd Barones quatuor, (quorum gentilitia nomina mihi exciderunt,) in Turcia cum eſſent capti & capite damnati, Virginem Mariam, in hoc templo cultam, ita devotè invocarint, ut exauditi omnes quatuor, è Turcia abducti, & ſimul & ſemel, non cogitantes, modiq́ue inſcii, in templo hoc, uni & eidem ciſtæ impoſiti, nocte hac 3 Maji fuerint inventi. Hinc in memoriam rei ritus hic ab omni poſteritate religiosè ſervatur. Sunt alii, qui dicunt, his IV Baronibus cum Epiſcopo Aurelianenſi litem fuiſſe de aliqua jurisdictione. quibus cùm Epiſcopus inſolentiùs quàm ferre potuerunt reſpondiſſet, jurgia & verba invicem mixta; quibus acceſſerunt verbera, & plagæ, quas Epiſcopus devoravit benè multas. hæc cauſa eſt perpetuæ hujus proceſſionis, in memoriam, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

barones & eorum poſteri ſingulis annis nefas hoc teſtentur, conditione adjectâ, ut, ſi gens illa emoriatur, ſuccedant illi in præſtanda hac ceremonia, qui baronum in bona ſucceſſerunt; quod & hactenus eſt obſervatum.

Ibi ad extremam templi portam termini manumiſſionis Romanæ antiquis litteris. *vide Sincerum.*

Illic in cœmeterio ad vaſa aquæ luſtralis plena, magnus concurſus hominum eſt; videas illic tacito cum murmure diſcurrere aquâ ſacrâ tumulos ſuorum irrorantes. Credas, *inquit Iohan. Secundus in ſuo itinerario,* umbras ſepulchris evocari. infelices verò defunctorum cineres, quibus terra oneroſa ſatis non eſt, niſi de tanta hominum multitudine novum ſubinde pondus accedat.

In cœmeterio S. Stephani, ubi xyſtus egregiæ formæ, ibi tabula cum inſcriptione: *Germanus Auderbertus Aurelianus ab Henrico III nobilitatus, à Republ. Veneta factus eques ſancti Marci, princeps poetarum ſui ſaculi. ſcripſit tres libros de Venetiis, unum de Roma, unum de Neapoli, &c. obiit anno* 1598, *die* 24 *Decemb. ætat.* 80.

Sub eodem marmore jacet Nicolaus Auderbertus, filius Germani, patriæ virtutis imitator, conſiliarius Regius in Parlamento Britanniæ; 5 die poſt obitum patris, anno ætat. 42.

Auderbertorum, Germani patris, & Nicolai filii, tumulus:

Auderbertorum ſi quis depingere laudes
Cogitet, illo ſic nihilo plus explicet, ac ſi

In-

Inſanè ſapiens ſolem illuſtrare laboret.
Parcendum verbis igitur, vanoq́ labori,
Sit dixiſſe ſatis: Situs hic jacet Audertus,
(ſecutus.
Et Pater, & natus, patris citò facta
Nominat hæc quisquis ſincerâ nomina linguâ,
Virtutum & laudum gazas ſimul eruit omnes;
Quas qui neſcirit communis luminis expers,
Credatur furvis ſemper vixiſſe ſub annis.

Videamus *academiam*. Hanc Philippus Pulcher anno cIↃ cccxii fundavit, à Clemente V, natione Burdigalenſi, bullâ confirmatam, anno cIↃ cccLxvii, cùm antè in eadem academia Muſis operatus eſſet. Docent in ea IV Profeſſores Iurisprudentiam, nulli Medicinam. Confluxus ibi eſt Germanorum, qui non modò ob loci ſalubritatem & amœnitatem attracti heîc vivunt, ſed potiſſimùm ob privilegia nationi Germanicæ, in hac ſolâ, non aliis Galliæ ſcholis, à Regibus conceſſa & adprobata, quæ infrà videbis. In honorem Aquilæ Romanæ, quæ pro inſigni Germanis eſt in camera Conſilii, in bibliotheca, in vexillo, & paſſim alibi, volui *nationis Germanicæ privilegia, officia*, & *juramenta* huc adjicere; Germani pro virtutis ſuæ ſpeculo, & meâ induſtriâ, calumniam non reponent.

NATIO GERMANICA.

ANte trecentos annos *Aureliis* Natio Germanica fundata, multis privilegiis donata à Chriſtianiſſimis Regibus Galliæ, inprimis ab Henrico IV; qui non ſolum omnia de novo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

privilegia confirmavit, ſed etiam Religionis libertatem in tota Gallia Nationi conceſſit; quæ etiamnum non tantum Aureliæ, ſed omnibus in locis Galliæ religiosè ſatis obſervantur.

Privilegia hoc continentur compendio, ex ſtatutis Academiæ Aurelianenſis. Vniverſitas Aurelianenſis vetuſtiſſima, à tempore Aurelii Imperatoris plantata, & à Vigilio inchoata, (*memoratur ab Hugone Epiſcopo Aurelianenſ. in litteris Vniverſitatis*, 1367, *fol.* 59.) ad formam & modum Tholoſanæ academiæ (*ejus privilegia habentur fol. ſtat.* 22. *& ſeqq.*) inſtituta à Clemente V Pontifice, anno 1367, iisdem utitur Privilegiis quibus Vniverſitas Pariſienſis. (*quæ privil. exſtant fol.* 24.) Rector & Doctor Vniverſitatis, nullas litteras petere poteſt de immutando Vniverſitatis ſtatu; quin privilegia & jura tueri, imò ſe tuituros jurare legitimè & ritè, ante lecturam tenentur. (*ex reſcripto Ioh. Papæ*, 1320, *fol.* 22.) Rector requiſitus à tribus Procuratoribus Nationum è duobus Dd. legentibus, collegium Vniverſitatis convocare tenetur. (*ex reſcripto Caroli V I I, anno* 1447.) Ballivus & Præpoſitus urbis ritè jurare debent, ſe conſervaturos ſingula privilegia & jura Vniverſitatis. (*ex reſcripto Philippi V Regis*, 1312, *&* 1320; *& Caroli I V*, 1327; *ſtat. fol.* 43, *& ſeqq.*) Procurator Vniverſitatis eligendus eſt ex natione Germanica poſt Francicam. (*ex privileg. Regis Franciſci, indulto* 1545.) Procurator Germanicæ nationis eſt membrum Vniverſitatis, ita ut unà ad conventum publicum Vniverſitatis in negotiis publicis vocandus ſit. (*ex conſtit.*

Carol,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Carol. VII, 1461. Arreſt. Pariſ. & Reſcr. Univerſ. 1558. Franciſ. I. ſtat. fol. 108.) A Nationis Procuratore, à Natione, Doctore, & Rectore appellanti Scholari ad Collegium publicum, & ab eo ad Vniverſitatem, & ab hac ad Curiam Parlamenti provocandi jus conceditur. (*ex reſcripto Caroli VII, fol.* 324.) Miſſæ & Veſperæ intermitti poſſunt, ſi Nationis ſuppoſitis placuerit. (*ex conſtit. Rectoris Collegiiq̃ Vniverſitatis, facta* 1365.) Ad Sacra celebranda ſumtus à Collegio Dd. exiguntur. (*ex Mandato Regis Franciſ. I, ſtat. fol.* 107.) Hodiè Miſſa celebratur quotannis in feſtoEpiphanias, ex more nationis noſtræ, requirentibus id Catholicis;aut uni eorum illis indicanda per Procuratoris ſchedulam Pedello tradendam,cujuſcunque religionis Procurator fuerit ; ita tamen,ut cuivis liberum ſit intereſſe vel non (*ex ſententia Aurelian. Præſid.* 1603, 23 *Decemb.*) Sed appellatum ab hac ſententia àProcuratore; & anno ſequenti ab Anteceſſore & Quæſtore appellatio repetita fuit tam ſuo quàm nomine omnium ſuppoſitorum inclytæ nationis Germanicæ, qui profitentur religionem quę reformata prætenditur. Eâdem ſententiâ nominatim ſtatutum eſt, ut celebratio fiat ſumtibus ærarii nationis noſtræ, ſalvis juribus noſtris, contra Dd. Vniverſitatis; à qua ſententia appellatum, ut ſuprà.

Studioſorum ordo olim fuit diſtinctus in Nationes x: *Francicam, Lotharingicam, Alemanicam, Burgundicam, Campanicam, Normandicam, Picardicam, Turonicam, Aquitanicam, Scoticam.* Quæ arreſto Pariſienſi,

anno

anno 1538, ſub Rege Franciſco I, ad quatuor ſunt redactæ. 1. eſt *Francica;* quæ ſub ſe Burgundicam, Aquitanicam, & Turonicam continet. 2. eſt *Germanica*, quæ ſub ſe Lotharingicam continet. 3. eſt *Picardica*, quæ conjuncta eſt cum Campanica. 4. eſt *Normandica;* quæ conflata eſt cum Scotica.

Sola Germanica natio jus habet eligendi ſibi propriâ autoritate Procuratorem, confirmandum à Rectore. (*ex privileg. Rectoris Collegiiq; Dd. 1567.*) Solius nationis Germanicæ Procurator ritè electus nullâ vel Doctoratus vel Licentiæ dignitate inſignitus admittitur, etiam ſine juramento Vniverſitati præſtando. Imò ſola natio Germanica etiam jus habet ſibi eligendi propriâ autoritate non ſolum *Procuratorem*, ſed etiam reliquos Officiarios, *Quæstorem*, *Aſſeſſorem*, *Conſiliarium*, *duos Bibliothecarios*, (qui etiam coram Rectore ſunt ſiſtendi, ut confirmentur.) quibus *aſſident* XII *Seniores; ſex Germani, & ſex Belgæ. Hic ordo regiminis ſtabilitur ex privilegio, confirmato ab Henrico IV, anno* 1600. Habet jus eligendi *Pedellum*, confirmandum à Rectore; Item Tabellionem ſive nuncium publicum. *ex privileg. Henrici IV, anno* 1600, *& Ludov. XIII, anno* 1616. Habet jus *Matriculæ*, ſive Albi; ita ut nemo nationis Germanicæ ſtudioſorum ad gradum promotionis admitti debeat, niſi priùs liquidò conſtet, eum in Matriculæ albo eſſe inſcriptum. Habet jus ærarii liberum. Habet jus ſceptri. Habet jus binorum ſigillorum, majoris & minoris. Habet jus bibliothecæ. Gaudet privilegiis Nobilium Galliæ, quoad arma feren-

ferenda, & ſpeciali indulto Henrici III, anno 1553. Habet jus innovandi, ſtatuendi, vel emendandi, & quoad ſe & ſua, ſine præjudicio tertii, *ex conſuetudine confirmatâ ab Henrico IV.*

De Quæstore.

QVæſtor ſive Receptor ritè electus Exquæſtori jusjurandum præſtat ex uſu confirmato ab Henrico IV, anno 1600. In ferendis ſuffragiis & dicendis ſententiis primum locum obtinet Procurator. *lib. 2, fol.* 18. *Adſeſſ. lib. 3. fol.* 578. Solus pecuniam inclytæ nationis omnem recipit, & inde tertiam partem bibliothecæ perſolvit. *Procur. fol.* 578, *lib.* 4. Ex ea nihil niſi decreto Nationis ac Procuratoris impendere debet. *Procur. lib. 2, fol.* 18. Pecunia ærarii publica in tuendis privilegiis in convivium noſtrum, innocentiâ defendendâ, in redimendis captivis, in ſublevandis ægrotis, pauperibus & miſerabilibus perſonis, erogari debet. *fol.* 78, 79, 112, *& ſeqq.* In eleemoſynas ultra 15 aſſes, niſi meritum perſonæ pluris ſingulariter judicatum fuerit, ſolvi non debet. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 300. Aerarii ſcrinium tribus clavibus occluditur. *ſtat. fol.* 103. Vna Quæſtori, altera Procuratori, tertia Aſſeſſori committitur. *lib.* 4. Quod ex liberalitate adventantium aut quocunque alio jure inclyta natio recipit, ſingulis menſibus bis, præſentibus Procuratore & Adſeſſore, imponi debet. *ſtat.* 116. Si ante diem eum evocari contingat, ritè alius in Seniorum collegio ſubrogari poteſt. *Procur. lib.* 4, *fol.* 577. Officio legitimè abiens rationes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

rationes coram Natione vel Procuratore & Adſeſſore reddere, & acta ſua ſeu tabulas accepti & expenſi in librum Nationis Quæſtorum ſcribere tenetur. *Procur. fol.* 18, *lib.* 2. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 442.

De Adſeſſore.

ADſeſſor ritè electus Exadſeſſori jusjurandum præſtat ex uſu confirmato ab Henrico IV, *anno* 1603. Secundum in ſuffragiis ferendis & ſententiis dicendis locum obtinet. *lib.* 3, *fol.* 18. *Adſeſſ. lib.* 4. Procuratori in rebus quibuscunque conſtituendis operâ & omni induſtriâ præſto eſſe debet in conſiliis publicis, in adeundis Magiſtratibus, in Principibus ſalutandis, eorumque Legatis, perſcribendis epiſtolis, teſtimoniis, cautionibus. *lib.* 4, *fol.* 310. *Adſeſſor. lib.* 4, *fol.* 445. In electione officiariorum, ne cui ab officiariis ſuggeratur nomen alicujus deligendi, cavere debet. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 360. quin id alium ex civibus quærere potiùs jubere debet. Si ante diem diſcedendum fuerit, in Seniorum conſilio officium reſignare debet, *lib.* 4, *fol.* 577. Acta ſua, literas, & quicquid ad Nationem pertinet, in librum Nationis Adſeſſor legitimè conſcribere debet. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 314. Originalia & authentica exemplaria qualiacunque ad Nationem pertinentia in archivo ſeu chartophylacio bonâ fide ab ipſo recondi debent. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 445.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

De Bibliothecæ Præfecto.

BIbliothecæ Præfectus Exbibliothecario jusjurandum præſtare debet, ex uſu confirmato ab Henrico IV, *anno* 1603. Solus copiam introeundi in bibliothecam largiri poteſt; cæteri officiarii minimè, ſub pœna x aſſium. *Procur. lib.* 3, *fol.* 108. Non niſi à pomeridianâ horâ primâ uſq; ad tertiam interpellari poteſt. *Procur. lib.* 4, *fol.* 150. Extra urbem hanc euntibus vel degentibus nullum librum uſui dare poteſt. *ſtat. fol.* 119. *Procur. lib.* 4, *fol.* 150. A Dd. novis & Licentiatis honorarium in augmentum & ornamentum bibliothecæ exigere poteſt. *Procur. lib.* 4, *fol.* 151. Pecunia bibliothecæ in ſcrinio Nationis recondi debet. *Procur. lib.* 1, *fol.* 198. In alios uſus quàm in augmentum bibliothecæ eam inſumere non poteſt. *ibid.* Pluribus eundem librum volentibus, per alternas hebdomadas, ſingulis ejus uſum addicere poteſt. *ibid.* Qui in libris quid ruperit, arbitrariâ pœnâ plectitur. Qui clàm librum aſportaverit, eo libro & x aſſibus mulcetur. *Procur. lib.* 3, *fol.* 198. Qui ſurripuerit libros, vel vendiderit, vel plane reſtituere non vult, ſacrilegi inſtar habetor. Si Præfecto bibliothecæ ante diem ſolemnem abeundum ſit, in Seniorum conventu alius ſubrogator. *lib.* 2, *fol.* 13. Succeſſori, librorum ſuis numeris & circumſtantiis notatorum catalogum noviſſimum, item & alterum, tradere, & præſentibus reliquis Officiariis pecuniariam rationem dicere debet. *fol.* 95.

De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

De Pedello ſeu Tabellario.

UTerque jurat Procuratori & Nationi, ut ex cauſa ab officio deponi poſſit. *ſtat. fol.* 26, *&* 276. *Proc. lib.* 2, *fol.* 24. Vterque immunitate ſtudioſorum fruitur. *ſtat. fol.* 24, *lib.* 1. Pedello nullum certum ſalarium datur; ſed ipſi quotannis, repetitis precibus Nationi, de competenti fructu laborum providetur. *Proc. lib.* 3. *ſtat. fol.* 24. Itaque v aſſes ab unoquoque immatriculando petere poteſt. *Procur. fol.* 484, *lib.* 4. item; ex quoquo conventu privato IV aſſes; & publico conventu octo. qui ipſi à Quæſtore numerabuntur. *Procur. lib.* 5, *fol.* 9. In Comitiis ſceptrum integrum inviolatumque præſtare & monſtrare debet. *ſtat. fol.* 49. *Proc. lib.* 3, *f.* 100.

De conſcribendis in Album Matriculæ Germanicæ nationis, & commodis conſequentibus eam inſcriptionem.

QVi ad Germanicam nationē eſt referendus, intra tres ſeptimanas à die advētus numerandas nomen ſuum in ejus Album ritè conſignare debet. *Ex reſcripto Aureliani Magiſtratus, anno* 1596. *Ex ſent. Ball. latâ* 1618; *& aliâ* 1621; *in pleno Præſidiali Senatu contra duos Baron. Fland.*

Si obſtinatè nomen dare recuſat, 1. à Balivo urbis coërceri debet, citato privilegio. II. Balivus illi indicare debet, quod ampliùs Germanus haberi non debeat, nec illorum immunitate frui; nec foro, quod peculiare ibi habent. Deinde ad cæritas tabulas, notæ causâ, ob con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

temptum honoris & privilegiorum nationis ſuæ, referri ſolet. 111. Tum operam & auxilium Nationis eum implorare contingat, poſtea non auditur. *ſtat. fol.* 114. *Procur. lib.* 2, *fol.* 439. *Proc.* 3, *fol.* 184.

Inſcriptus ad conſervanda jura & ſuſtinenda onera Nationi aureum de corona ſolvere ſolet, aut ultrà, quod ipſius liberalitati viſum fuerit. *ſtat. fol.* 78. Inſcriptus itaque tanquam inveſtitura quadam inveſtitus in corpus Nationis mittitur, vel recipitur in poſſeſſionem utendi fruendi privilegiis ſtatuti, aliiſque commodis eidem corpori jure competentibus, ut ex ſeqq. patet. Inſcriptus membrum & conſcius Nationis fit, & ad officia ejusdem eligi poteſt, *ex uſu, confirmato ab Henr. IV,* 1600. Inſcriptus eſt ſub ſpeciali Regis Gallorum protectione ſeu huc ſe conferat, ſeu commoretur, ſeu regrediatur, tam tempore belli quàm pacis; ex privilegio *Philippi Pulchri,* 1352; (*ſtat. fol.* 24;) & ſpeciali Henrici IV confirmatione & indulto; ſine *omni cuiusdam religionis inquiſitione,* 1600. Inſcriptus admitti & promoveri ad gradus honorum poteſt, *ex privilegio Rectoris Collegiique, anno* 1557. Tempore belli, nec jure belli capi detineriq́ue poteſt, etiam ſi ejus P P. Regi bellum indixiſſent; *ex privilegio Henrici II, anno* 1554. Eſt ſub defenſione Ballivi urbis vel ejus vicem gerentis, tanquam conſervatoris privilegiorum, & Iudicis legitimi Nationis, ſine ſtrepitu judiciario cauſas debentis cognoſcere. *ex privilegio Philippi Pulchri Regis,* 1312. *ſtat. fol.* 34, *ex privilegio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

legio Franciſci I,1516. & ex confirmatione Henrici IV, anno 1600. Inſcriptus ab omni tributo & vectigali terrâ mariq́ue immunis eſt. *ſtat. fol.* 46, *&* 34. *Ex privileg. Philippi*, 1312. *& Henrici* 1600. Inſcriptus liber eſt à ſolvendo beanio, vel ſuo novo aut jucundo adventu; exactores pœnam excommunicationis ipſo facto incurrunt, *ſtat. fol.* 550. *Renovat. à Rectore Collegioq́; Dd.* 1363. *item fol.*54. *Ex decreto ſive reſcripto Hugonis Epiſcopi Aurelianenſis*, 1367. Inſcriptus domo emtâ vel conductâ familiam alens ab omnibus aliorum incolarum oneribus eximitur. *Pros. fol.* 280. Quâ inſcripti ſecuritate & immunitate gaudent, eâdem & eorum vel nuncii vel miniſtri potiantur. *ſtat. fol.* 24. *Ex inſtit. Papæ Vrbani*,1361. Inſcripti morientis bona tanquam peregrini in commiſſum non cadunt, ſed heredibus dentur ac reſtituantur. *ſtat. fol.* 20, *ex Conſtit. Papæ Clement. V*, *f.* 135. *ſtat. fol.* 36. *ex privileg. Philippi Pulchri*, 1312. *Ex Conſtitut. Innoc. IV*, 1360; *noviſsimè verò ex Confirmatione Henrici IV, anno* 1600. Inſcriptus in hac urbe Aureliana morando, gladio & pugione accinctus interdiu ac noctu incedere poteſt; *ex conceſsione Balivi, confirm. ab Henrico IV, anno* 1600. A Præfecto vigilum & vigilibus ſi quis armis exutus ſit, ea publico Nationis ſumtu ſunt recuperanda. *lib.*3,*fol.*25. Imò, ex patria, ſtudiorum vel linguæ Gallicæ diſcendæ causâ, veniens Germanus, ſive veniendo quacunque regni Galliæ parte, ſive in patriam redeundo, ſive aliò ſe convertendo, per omnia regni loca gladios, pugiones, ſclopetas (vulgò *piſtolas* vocant) liberrimè, ſe defendendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

dendi, neminem autem offendendi causâ, geſtare poteſt. *Ex privileg. Henrici IV, an.* 1600. Inſcriptus ob crimen aliquod in carcerem conjectus liberetur, ſi cautionem idoneam præſtare paratus exiſtat, nec pro debito capi poteſt. *Ex privileg. Philippi Pulchri, anno* 1312. Inſcriptus in neceſſitate ſive carceris, ſive morbi, ſive injuriæ, ſive inopiæ illatæ, conſtitutus, modò non ſit ex culpabili & indignâ causâ, ſumtu publico ſublevandus & liberandus eſt. *ſtat. fol.* 776, *&c.* Si inſcripto innocenter injuria illata ſit, publico quidé omnium nomine ea in judicio eſt vindicanda; ſumtus inferenti imputantur, & ab eo repetuntur ſi ſolvendo ſit. *Proc. lib.* 3, *f.* 1435. Inſcripto, egeſtate pecuniæ laboranti, fidejuſſoribus idoneis, vel ex nationis civibus duobus, vel ex hujus urbis civibus uno, datis, & formulâ ſyngraphæ, quâ Germanicæ nationi cavetur, ritè perſcriptâ, (*ſtat. fol.* 118,) pecunia mutuò dari poteſt, ſi ærarii vires XX coronatos ſuperabunt. *ſtat. ibid. Adſeſſ. lib.* 4. Inſcripto acceſſus ad bibliothecam librorumq́ue uſus legitimos conceditur. *ſtat. fol.* 172. Inſcriptus officium à Natione delatum recuſare niſi juſtâ de causâ non poteſt. *ſtat. fol.* 61. *& ex uſu, confirm. ab Henrico IV, anno* 1600. Inſcriptus omnem morem, in licitis & honeſtis, inclytæ nationi ejusq́ue Procuratori gerere, omnemq́ue ejus honorem & utilitatem procurare debet. Inſcriptus ſi Nationem contemtui habere præſumſerit, præter violati ſacramenti fidelitatis pœnam, vel à Balivo coërceri, ſi ſit præſens, vel ad cæritas tabulas notæ causâ nomen ejus ema-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ematriculatum pro gravitate cauſæ poterit referri, ut indignus cenſeatur ejus privilegiis & jure, quo jam ſe indignum quaſi ipſe judicaverit; *ex mandato Balivi, anno 1596 promulgato. ſtat.* 1535. Infamis habendus & putandus eſt, qui conſilia ſecreta Nationis eliminaverit. *ſtat.* 1535, *fol.* 160. Inſcriptus ad Nationis conventus legitimè vocatus, ſine juſtâ excuſationis causâ Procuratori probandâ ſi emanſerit, x aſſium multam ſolvit, per Pedellum exigendorum, & bibliothecæ applicandorum. *Ex ſtat.* 116. *Ex permiſſ. Balivi.* Si verò tardiùs juſto venerit, vel ante conventûs finem abierit, *v* aſſium multâ punitur. Inſcriptus in electione officiariorum ſedulò eos eligere debet, qui prudentiâ, fide, & integritate præſtant, & ad electionem ordine à decreto præſcripto ſuccedere. Ac primus quidem locus ſuffragiorum ferendorum competit officio abeuntibus. Secundus Illuſtribus perſonis. Tertius Senioribus. Quartus denique reliquis inclutæ nationis civibus. *Ex ſtat.lato anno* 1600. *Adſeſſ. fol.* 456.

De Procuratore.

PRocurator alternis vicibus, modò ex ſuperioribus, modò ex inferioribus, Germanicæ nationis partibus eligitur; niſi continuatio ob feſtum anniverſarium indulgeatur. *ſtat.fol.* 114. *Proc. lib.* 2, *&* 6. *fol.* 70, 77. Ritè electus Procurator jusjurandum præſtat, *ex uſu, confirmato ab Henrico IV, anno* 1600. In conventibus Vniverſitatis publicis, aliisque conſeſſibus, primum Procurator locum obtinet. *Ex privil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

privil. confir. ab Henrico IV. Ad convivium Procurator olim duos coronatos dare ſolitus fuit; hodiè verò loco convivii v coronatos in ornatum bibliothecæ ſolvi moris eſt. *Proc. lib. 4, fol.* 155. In novitio fidei præſtandæ religionem vel ipſe vel Adſeſſor exigere debet, qui poſteà ſuâ manu ipſe nomen ſuum, tempus & quantitatem honorarii in Catalogum Nationis relaturus ſit. *ſtat. fol.* 115. *Procur. lib.* 3, *fol.* 190. Illuſtris & Generoſus nomine ſuo album Nationis exornare cupiens, domi ſuæ ſine exactione juramenti hoc facere poteſt. *Procur. lib.* 3, *fol.* 246. & 4, *fol.* 331. In nationis Album neminem ſecretò, ſed publicè & legitimè, per Pedellum citatum, in loco conſueto recipere vel admittere debet. *ſtat. fol.* 9. Neminem recipere debet in Album Nationis, niſi qui exercitiorum gratiâ præter mechanicam huc ſe confert; *ex mandato Balivi promulgato.* Conventum, ſive publicum omnium civium, ſive privatum ſeniorum, per litteras re urgente indicere tenetur. *Adſeſſ. lib.* 3. Si quid publicè Nationi proponendum & deliberandum videtur, priùs in conventu publico conſulere, examinare, & diſcutere debet. *Adſeſſ. lib.* 3, *f.* 317. Ipſe ſuffragium non habet, niſi concluſum ſit; ſed cùm cæterorum paria ſunt, ex animi ſententia concludere poteſt. *Procur. lib.* 3, *fol.* 243. Procurator candidatus in conſequendo Licentiæ vel Doctoratûs honore ad medias tenetur. *Proc. fol.* 96. Promotorum diplomata graduum ſubſignandi jus habet. *ſtat. l.* 1, *fol.* 45. *Ex privileg. Rectoris Collegii Dd.* 1335 *conceſſo, & confirm. ab Henrico.* Procuratoris officium eſt,

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

convocare, referre, interrogare, jubere, concludere, & exſequi. *ſtat. fol.* 16. *Procur. lib.* 3, *fol.* 243. Nec religionis nec alterius affectûs privati causâ quidquam deſignare, aut à Majorum ſtatutis recedere poteſt. *fol.* 435, *&* 329, *lib.* 4 *Procur.* A promotis honorarium exigere poteſt. *Adſeſſ. fol.* 77. *Procur. lib.* 1, *fol.* 151. Rationes Vniverſitatis à Rectore Collegioque Dd. quoquo trimeſtri vel ſaltem anno exigere poteſt. *ſtat. fol.* 109, *ex confirm. Henrici IV, anno* 1600. Ex legato Ioannis de Pruſſia Med. D. Sacro, cui intereſt die S. Matthiæ celebrando, præſentias capit. *ſtat. fol.* 12. Item ſtatuta facta bonâ fide in librum Nationis, omni dolo malo profligato, referre, & in conventu publico anteà prælegere debet. *Adſeſſ. lib.* 3, *fol.* 114..

Iuramentum immatriculandorum Aureliis, in incl. nat. Germ.

EGo juro, quòd, quotiescunque generaliter aut ſpecialiter requiſitus fuero à Procuratore noſtro, congregationi nationis meæ adero, fideliter deliberaturus ſuper his quæ à me petentur.

Item juro, quòd obediam Procuratori noſtro in licitis & honeſtis, & ſervabo honorem Vniverſitatis & nationis meæ, & ſecreta, quæ in eâdem audiero, nulli revelabo.

Item juro, quòd libros ceteraſq; res nationis meæ non vendam, non oppignorabo, nec quovis alio modo alienabo, nec quidquam ex iisdem delebo, nec ad invidiam adſcribam, nec conſentiam vel intereroſcienter alicui præmiſſorum.

Item juro, quòd, ſi me contingat eligi ad aliquod

quod officium nationis meæ, non refutabo onus & honorem, niſi juſtâ de causâ.

Item juro, quòd nomen nationis Germanicæ, inſignia, ſigilla, aliaq; ad eandem pertinentia, nunquam immutabo, nec conſentiam vel intererо ſcienter alicui præmiſſorum, ſed eandem ſub nomine inſigniisq; Imperatoriis conſervabo.

Item juro, quòd nomen & cognomen hoc, meum verum & proprium, minimè falſum aut fictum ſit: patriam, provinciam, diœceſin, & ſedem domicilii, uſitatiori voce nuncupatam, omni dolo malo excluſo & ſejuncto, Albo inclutæ nationis Germanicæ inſcribam, aureumq; coronatum in conſuetos uſus impendendum ad minimum perſolvam.

Item juro, quòd, ſi heic ambiam gradum, vel Licentiæ vel Docturæ, petiturus ſim inſcriptionis hujus teſtimonium à Procuratore, & eundem ad ſubſcriptionem diplomatis Promotorialis invitaturus, & Procuratori de coronato aureo, bibliothecario verò de XXX aſſibus, aut ejusdem pretii libro, ſatisfacturus.

Item juro, quòd libros Nationis ex bibliotheca non ſim exportaturus, niſi ſingulorum titulum, unà cum numero & quantitate, ſub nomine meo proprio, in chartam ad id à Bibliothecario deſtinatam, fideliter in præſentia Bibliothecarii inſcripſero.

Item juro, me libros, quos ex bibliotheca exportavero, nemini extero conceſſurum, non extra urbem mecum portaturum, antequàm ablatos ipſemet bibliothecæ reſtituero: nec alium extraneum ſine conſenſu Bibliothecarii in bibliothecam mecum introducturum.

Item

Item juro, me convivium, ſi forſan in Procuratorem à Natione electus fuero, ratione Procuratoris non celebraturum, aut electum ad illud ullâ ratione compulſurum, neque ſacro in feſto trium Regum à Natione celebrando contradicturum, aut ſumptus, ad id debita honeſtate cantandum ordinatos, denegaturum.

Item juro, me, dum Aureliæ ſum, ordinarium Nobilium judicem, tam in civilibus quàm criminalibus, ſeu actor ſeu reus ſim, ſolum agniturum, neque in juriſdictionem Prætoris hujus urbis, niſi fortè cum proteſtatione de non præjudicando Incl. N. G., conſenſurum, ceteraq; jura & privilegia I. N. G., quantum in me eſt, propagaturum.

Ita me Deus adjuvet.

Hoc juramentum Gallicè, Germanicè, & Belgicè, reperitur conceptum.

Iuramentum Procuratoris.

Ego juro, quod officium Procuratoris fideliter exercebo, & deliberata in congregatione Nationis exſequar juxta poſſe.

Item juro, quòd nullam privatam niſi ſeniorum faciam congregationem; ſed quoties congregationem fecero publicam, omnes Dominos de Natione ad illam per Pedellum Nationis vocari mandabo.

Item juro, quòd ſolita juramenta à novitiis recipiam.

Item juro, quòd tempore procurationis meæ elapſo officium meum ſine quacunque difficultate reſignabo.

Item juro, quòd ſigilla nationis mea, geſta, atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

atque ſtatuta, pleno Nationis vel majoris partis ejus ſcitu atque ſaniore conſenſu, ad ejus utilitatem & honorem facta, diligenter inſcribam, & in mei officii depoſitione, niſi me juſta & rationabilis cauſa excuſaverit, inſcripta oſtendam.

Item juro, quòd hoc meo procurationis officio, tam pro ipſo habendo quàm non habendo, per me vel alium, tacitè vel expreſſè, nullo pacto ſtipulatus fui.

Item juro, quòd iſta juramenta à ſucceſſore meo recipiam; nec depoſitum Nationis, aut præſentes actorum libros, ſeu ſigilla, eidem tradam, niſi jusjurandum hoc ab eo ſolemniter fuerit adimpletum.

Item juro, me convivium illud univerſale, cum pernicie nationis noſtræ introductum paucis abhinc annis, neutiquam celebraturum.

Item juro, me quinque coronatos incl. N. G., ratione Procuratori debitos, ante reſignationem officii mei ærario illaturum, aut in libros bibliothecæ emendos inſumturum.

Ita me Deus adjuvet.

Iuramentum Quæſtoris.

E*Go juro, quòd officium Receptoris fideliter exercebo: honorem & commodum nationis meæ fideliter ſervabo ac procurabo.*

Item juro, quòd pecuniam nationis meæ, etiam quovis colore habito, pro ipſius negociis non erogabo, niſi eâdem natione ritè congregatâ, conſultâ ac conſentiente.

Item juro, quòd hoc officium Receptoris coram

 natione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

natione meâ debito tempore absque ulla difficultate reſignabo.

Item juro, quòd pro hoc officio Receptoris, tam pro illo habendo, quàm non habendo, per me vel alium, tacitè vel expreſſè, nullo modo ſtipulatus fui.

Item juro, quòd in reſignatione hujus officii mei, nationem meam de omnibus & ſingulis, per me ex parte ejusdem receptis atque expoſitis, fideliter & ſine omni difficultate ante meam liberationem priùs contentabo; ſigillaq; ac libros receptorios ſucceſſori meo in facie nationis meæ integrè ac liberè reſignabo.

Item juro, me ſigillum Nationis, diplomatibus promotorialibus civium noſtrorum, vel literis teſtimonialibus Exofficiariorum & Seniorum, non impreſſurum, antequàm per atteſtationem Bibliothecarii mihi conſtet, eum bibliothecæ de XXX aſsibus, vel ejusdem precii libro, ſatisfeciſſe.

Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum Adſeſſoris.

IN nomine Domini juro; Me munus adſeſſorium Incl. Nat. Germ. noſtræ in hac urbe Aurelianenſi optimâ fide & è dignitate commodoq; Nationis adminiſtraturum.

Et inprimis nullam iniiſſe pactionem vel coitionem de hoc munere vel recuſando vel adipiſcendo.

Deinde Procuratori Incl. Nationis noſtræ me in rebus ſubitis maximè, aliisq; rectè deliberandis & procurandis, in adeundis Magiſtratibus, ſalutandis

tandis Principibus & Legatis, perſcribendis epiſtolis, cautionibus formulisq; ad utilitatem & honorem Nationis pertinentibus, conſilio, operâ & re præſto futurum.

Item juro, me curaturum, ut durante meo munere omnia nova privilegia, arreſta & ſtatuta, & alia ejusdem generis Incl. Nat. Germ. concernentia, à Notario regio, ſi cauſa deſideret, fideliter in librum ſtatutorum & Privilegiorum ſcribantur.

Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum Præfecti Bibliothecæ.

IN nomine Domini juro, Me munus Præfecti bibliothecæ Incl. Nat. Germ. in hac urbe Aurelianenſi, optimâ fide, è dignitate commodoq; ejusdem nationis, adminiſtraturum.

Et inprimis nullam iniiſſe pactionem vel coitionem de hoc munere vel recuſando vel adipiſcendo.

Me daturum eſſe operam, ut bibliotheca noſtra, & ea quæ pertinebunt ad ipſam, conſerventur, augeantur & floreant: ſiq; aliqui libri vel pecuniæ ad eam conferantur; diligenter conſerventur, omniaq; collatorum & conferentium nomina in acta mea referantur.

Me notas in libris collocandis conſervaturum, & in aliis libris, quicunque ad bibliothecam acceſſerint, continuaturum, eosq; ſervatos omnibus circumſtantiis ritè in bibliothecæ catalogum Italico charactere conſignaturum.

Me, dum Magiſtratu abiero, ſucceſſoribus meis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

per octo dies in bibliothecâ adfuturum, illosq; de omnibus neceſſariis inſtructurum.

Me non permiſſurum, ut ullus ex libris prohibitis ex bibliothecâ auferatur, niſi ipſe Procurator aut Exprocurator, aut reliqui quatuor Officiarii præſentes ſint, & cum venia Procuratoris petant.

Me, cùm ab hoc munere ſuo tempore, ſive præter ſpem, non finito ſpatio functionis, ſeu etiam legitimo & ordinario modo, diſceſſero, rationem redditurum, & claves, libros bibliothecarios, & ſi quæ erunt reliqua, ex fide traditurum.

Ita me Deus adjuvet.

Iuramentum ſpeciale omnibus Incl. Nat. Germ. Senioribus & Conſiliariis præſtandum.

EGo juro, me, quotiescunq; à Domino Procuratore ad conventum vocatus fuero, ad præſtitutam horam adfuturum; aut promitto ſecundum Leges ſolutionem; niſi ex legitimâ causâ, eâq; à Senatu adprobatâ, abfuero.

Item juro, me non ex adfectione, ſed ex re Nationis judicaturum.

Item juro, me, cùm urbe hac exivero, bibliothecæ librum, aut XXX ad minimum aſſes ad libros in bibliothec. emendos, daturum.

Ita me Deus adjuvet.

Sequi-

Sequitur privilegium Henrici IV de Germanorum jurisdictione.

HENRY, *par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos aimés & feaux Conſeillers, les gens tenans noſtre cour de Parlement à Paris, ſalut. De la part de nos chers & bien aimés les procureurs, eſcoliers, & ſupposés de la nation d'Allemagne, eſtudians en l'Vniverſité d'Orleans, nous a eſté exposé, que de tout temps & ancienneté, eux & leurs predeceſſeurs de ladicte nation d'Allemagne, eſtudians en la jurisprudence, auroyent hanté & frequenté ladicte Vniverſité d'Orleans, avec telle affection, qu'ils y auroyent eſtabli une belle & ample bibliotecque, inſtruite d'une grande quantité de livres, avec perſonnes ſtipendiees pour la conſervation d'icelle, comme le domicile de leurs eſtudes: Ce qui auroit eſté cauſé, que ladicte Vniverſité auroit eſté ordinairement remplie de grand nombre d'eſcoliers, iſſus des Ducs, Comtes, & Barons, & des plus nobles familles d'Allemagne, leſquels, ſelon leur louable couſtume, auroyent conjoinctement embraſſé l'eſtude des loix avec celle des armes, comme encores à preſent il y en a bon nombre, continuans leſdicts exercices: En conſideration dequoy nos predeceſſeurs Rois les ayants favorablement traictez, leurs auroyent facilement accordés de grands privileges & immunités, eſquels ils auroyent eſtés de temps en temps maintenus & conſervez; & meſmes en auroyent obtenus de nous lettres de confirmation à vous, addreſſees en date du mois*

de Fevrier mil ſix cens ſix, entre leſquels nous leurs aurions ſpecialement accordé, qu'en toutes leurs cauſes, tant civiles que criminelles, tant en demandant, qu'en defendant, ils ne pourroyent eſtre traictés ny convenus, ailleurs que par devant noſtre Baillif d'Orleans ou ſon Lieutenant, ſuyvant le cinquieſme article de l'edict de Crimien: attendu que la plus part d'entre eux ſont de noble & illuſtre extraction: Toutesfois à cauſe, que par nos dictes lettres nous vous aurions enjoinct d'examiner, & vous en querir, ſi par le paſſé ils en auroyent ainſi joüi, pour en ces cas les faire joüir dudict privilege; le prevoſt & officier du ſiege, de la prevoſté d'Orleans ſe ſeroit opposé à l'enterinement deſdictes lettres, en diſant, que ledict prevoſt eſt auſſi conſervateur des privileges de ladicte Vniverſité, concurrement avec ledict Baillif, & par prevention eſt mis, en faict que par le paſſe les eſcoliers Allemands auroyent plaidés par devant luy, pour ce qu'il ſcavent, que, pendant les guerres civiles, qui ont eu cours cy devant entre nos ſubjects, leurs chartres & tiltres auroyent eſté perdus & eſgarés: Et que quelques uns de ladicte nation, eſtans priſonniers & moleſtes, auroyent eſté contraints de ſubir l'interrogatoire par devant ledict prevoſt, ce qui ne peut faire prejudice au general de ladicte nation: Ioinct que leſdicts actes judiciaires, ſi aucuns ſe trouvent, ſont fort recents, & advenus du temps des troubles, & lors qu'il ne leur eſtoit pas bien libre de ſe deffendre: pour ceſt occaſion leſdicts expoſants nous auroyent faict remonſtrer, qu'en y procedant par ceſte voye, c'eſtoit les

fruſtrer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

fruſtrer entierement du bien de noſtre clemence & liberalité, le los de laquelle ils avoyent eſpandu par toute l'Allemagne, d'autant que s'il falloit que ceux d'entre eux, qui ſont nobles & de la nation illuſtre, fuſſent tenus de comparoir en jugement par devant ledict prevoſt, qui eſt juge des rotouriers, & gens de baſſe qualité, ſous pretexte, qu'allant eſtudier en ladicte Univerſité ils ne portent avec eux les lettres de leur nobleſſe, & que bien ſouvent pour bonnes cauſes, ils ne veulent faire paroiſtre la grandeur de leur maiſon: Ce ſeroit comme les degrader de leur nobleſſe, & les mettre au rang des plus viles perſonnes, & pour le regard, des autres d'entre eux qui ne ſont point nobles, outre que ce ſont ordinairement Gouverneurs & Conducteurs des enfans de bonne maiſon, & autres domeſtiques, & ſic ſeroit point de privileges s'il leur falloit plaider devant ledict prevoſt: & que d'ailleurs s'il falloit faire ceſte diſcretion de nobles & non nobles d'entre eux: ce ſeroit oſter la concorde & amitié qui a touſiours eſté en ladicte nation; veu meſme qu'à toute ladicte nation, & ſans diſtinction de perſonnes, nous & nos predeceſſeurs leurs avons octroyé de porter leurs eſpees & dagues, qui eſt la vraye & ancienne marque de nobleſſe: De ſorte que la gratification qu'ils nous auroit pleu leur octroyer, leur ſeroit pluſtoſt à charge, qu'à profit & honneur, contre noſtre vouloir & intention; Et lors qu'ils ſont preſts de ſe retirer en leurs pays, ou qu'ils obtinſent gain de cauſe devant ledict prevoſt, ils pourroyent eſtre moleſtes par un appel devant le Baillif & preſidiaux, au lieu que n'y

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ayant qu'un degré de jurisdiction pour eux s'ils pourroyent avoir prompte juſtice, meſme que nos ſubjects eſtans aux Vniverſités d'Allemagne, jouiſſent de pareils privileges: Et partant nous auroyent requis, que, pour les faire joüir de noſtre munificence, il nous pleut leur octroyer, que ſans qu'il ſoit beſoin de s'enquerir de l'uſage du temps paſſé ny d'autre preuve par eſcript, aucun de leur nation ne pourroit eſtre tiré en jugement, par devant autre juge, que ledict Baillif d'Orleans, ou ſon Lieutenant, ſoit en matiere civile, ou criminelle, tant en demandant qu'en deffendant; requerant humblement ſur ce nos lettres de proviſion.

Pourquoy nous, *ces choſes conſiderees, attendu l'ancienne amitié & confederation, que nous avons avec les Princes & Seigneurs d'Allemagne, & que nos ſubjects & ceux de ladicte nation Germanicque touſiours ont eſtés tenus & reputés comme freres, & germains, ayant une meſme origine; & que c'eſt le profit & utilité des habitants de noſtre dicte ville d'Orleans, d'inviter par bon traitement leſdicts expoſans à continuer leur demeure & frequentation en ladicte Vniverſité; & pour pluſieurs autres conſiderations, deſirans les traicter favorablement, & ſelon leur merite;* vous mandons, *que ſans nous enquerir, ny arreſter, ou examiner, devant que juger leſdicts expoſans, ou leurs predeceſſeurs, auroyent plaidé par le paſſé, & ſans requerir d'eux aucune preuve & teſtimoniale, ny par eſcrit, de laquelle entant que beſoin ſeroit de noſtre clemence accouſtumee, puiſſance, & authorité regale, nous les avons toleré, tolerons,*

rons, voulons, & nous plaiſt, vous ayes à verifier nos dictes lettres du mois de Febvrier mil ſix cents; & du premier jour de Mars mil ſix cens ſix, purement, & ſimplement; & en ce faiſant les faire joüir plainement & ſuffiſamment du contenu en icelles, nonobſtant toutes choſes a ce contraires. Car tel eſt noſtre plaiſir, donné a Fontainebleau le 15 jour de Iuill, & l'an de grace mil ſix cents huict, & de noſtre Regne le dixneufvieſme. Signé Henry, *& plus bas* le Roy. *De Lomenie, & ſeellée de cire jaune en ſimple queüe.*

Vn autre.

Repetita hæc confirmatio, l'an mil ſix cens neuf, mutatis mutandis; & laxativè interpoſitio hæc, quod nullibi niſi coram Ballivo, ordinario nobilium iudice, convenire debeant, & poſſint.

Confirmatio privilegiorum per Ludovicum XIII.

LOUIS, *par la grace de Dieu, Roy de* France *& de Navarre, à tous preſens & à venir ſalut. Nos chers & bien aimez les procureurs, & ſupposts de la nation Allemande, eſtudians en l'Vniverſité d'*Orleans, *nous ont faict dire, qu'il a cy devant pleu aux Rois nos predeceſſeurs meſmes au feu Roy Henry le grand, noſtre tres-*

 honoré

honnoré Seigneur & Pere (que Dieu abſolve) pour pluſieurs grandes conſiderations les gratifier des plus beaux & ſignales privileges, notamment que pour leur ſcurté ſoit en venant de leur pays, ou en s'en retournant ils puiſſent par tous les lieux de noſtre Royaume porter eſpees, dagues, & piſtolles, ou en temps de guerre civile & eſtrangere, ils puiſſent ſoubs noſtre ſauvegarde venir en ladicte Vniverſité y faire reſidence, & s'en retourner, ſans eſtre recherchez, en leur religion, faicts priſonniers ny mis à aucune rançon, combien qu'ils fuſſent ſujects de quelques Seigneurs du parti contraire. Qu'advenant le deceder, d'aucuns deſdicts eſcoliers leurs biens ne nous ſeront declarez acquis par droict d'aubeyne. Que durant tout le temps qu'ils ſeront en ladicte Vniverſité, ils pourront aller par la ville avec l'eſpee & la dague. Que aux aſſemblees publiques de l'Vniverſité, le procureur de ladicte nation, marche immediatement apres le procureur de celle de France. Qu'ils ayent l'election libre du procureur, & autres officiers de leur nation, comme auſſi du bedeau, & d'un meſſager, pour incontinent apres l'election faicte les preſenter aux recteurs & regens de ladicte Vniverſité, pourveu qu'il n'y ait aucune choſe legitime de les rejetter. Qu'ils ayent leurs cauſes commiſes, comme nobles par devant noſtre Baillif d'Orleans, ou ſon Lieutenant Civil & Criminel, tant en demandant qu'en deffendant, particulierement au prevoſt d'Orleans. A iceux pour ces cauſes, & autres, à ce nous mouvans, avons conſtitué, confirmé, & approuvé, & de noſtre grace ſpeciale, pleine

puiſſance,

puiſſance, & authorité royalle, conſtituons, confirmons, & approuvons, par ces preſentes ſignees de noſtre main, tous & chacuns leſdicts privileges, cy deſſus declarez & plus amplement declarez & exprimez par leſdictes lettres de noſtre dict feu Sieur & Pere cy attachez, ſoubs le contreſeel de noſtre chancellerie, pour iceux, & leurs ſucceſſeurs, en joüir, &c. uſer plainement, & paiſiblement, comme ils en ont par cy devant bien & deuement joüi & uſé, joüiſſent, & uſent encores de preſent. Si donnons *en mandement à nos aimez & feaux les gents tenants noſtre cour de Parlement à Paris chambre de nos comptes, Threſoriers, Generaux de France, Commiſſaires ſur le faict de la Iuſtice de noſtre Threſor, Baillifs, Senechaux ou leurs Lieutenants, & à tous nos autres juſticiers & officiers, & à chacun d'eux en droict ſoit, ces preſentes faire regiſtrer, & de tout ce contenu joüir & uſer leſdicts expoſants, & leurs ſucceſſeurs, plainement & paiſiblement, ſans permettre ny ſouffrir leur eſtre donné aucun trouble, ou empeſchement, au contraire, encor que leſdictes lettres, de noſtre dict feu Sieur, & Pere, n'ayent eſté verifiees, ce que nous ne voulons leur nuire ny prejudicier, nonobſtant tous edicts, ordonnances, & autres choſes, à ſe contraires, auſquelles de noſtre meſme puiſſance & authorité Royalle nous avons derogé, & derogeons par ces preſentes.* Car tel eſt noſtre plaiſir. *En teſmoing de quoy nous avons faict mettre noſtre ſeel a ces preſentes. Donné à Paris au mois de Iuin, l'an de grace mil ſix cents ſeize,*

& de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

& de noſtre regne le ſeptieſme. Ainſi ſigné, Louis. *& ſur le reply, par le Roy,* Philippeaux. *& ſcellees en lacs de ſoye du grand ſeel de cire verde.*

Collation a eſté faicte à l'original des preſentes par nous Notaires Royaux, au Chaſtelet d'Orleans, ce faict ledict original rendu ce 13 Febvrier 1617.

AVreliæ dum moraris gaudens dictis privilegiis, operare quoque ſacris; extra urbem, ſi non pontificius es, viſita duobus mill. locum *Byon*, ubi reformatorum exercitium religionis.

Curia Senatoria CLXXXVII gradus numerat, qui aſcenſi totius urbis proſpectum largiuntur. Intus videbis connubium Regis Ludovici XIII & Reginæ, cum inſcriptione:

——— *paribus ſe gentibus ambæ*
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.

Camino ibidem:

Non potuit magni caput eſſe Aurelia regni:
Ergò quòd reliquum eſt Cor animuſq; fuit.
Hoc vernant Lilia corde.

Locus palmariæ pilæ deſtinatus ad urbis mœnia, paſſus habet IↃCCL in longitudine.

Adverſa multa urbs ſuſtinuit: Attila Hunnus graviſſimè eam preſſit, à civibus fortiter ſe defendentibus repulſus re infectâ. Sub Childeberto fulmine tacta anno IↃXXV, tota ferè in flore periit. Anno CIↃCCCCXXIIX ab Anglis parum abfuit quin non oppreſſa fuerit; verùm à Ioanna Darcia puella Lotharinga XIIX anno-
rum

rum (*la pucelle d'Orleans*) ſervata eſt, dum illa Biturigibus Carolum VII ſalutans, ad obſeſſos Aurelios ablegatur, quæ armatâ manu, viriliq́ue fortitudine hoſtem, qui jam pontem occupaverat, obſidionem ſolvere coëgit: poſtea Regem ſequuta Rhemos, non paucas urbes hoſti eripuit. Lutetiam dum poſſiderent Angli, ad portam Honorii vulneratur: ad Compendium (Compiegne) quod obſeſſum aſtu ingreſſa eſt, à Ioanne Luxenburgico capitur, Rothomagumq́ue ablegata, maleficii & necromantiæ accuſata & damnata, viva comburitur. Supplicium hoc Franci indignè ferentes, compoſito bello, judicium, uti iniquum, retractant, famæq́; reſtituunt, anno cIↄ cccc LVI, die VIII Iulii. Sententiæ latæ auctores dicuntur omnes miſerando vitæ exitu, ſub Ludovico XI, periiſſe. Superat ferè vulgi fidem; cùm jam cadaver flamma abſumpſiſſet, viſum eſt & inventum cor puellæ integrum. Inde in grati animi ſymbolum *ſuper ponte Ligeris, XVI arcuum*, ex ære erectæ III ſtatuæ ſunt, Caroli VII, D. Mariæ, & Ioannæ Darciæ armatæ, gladio accinctæ, capillis paſſis. Nec non paulò inferiùs ibidem crucis æneæ monimentum cum inſcriptione:

Mors Chriſti in cruce nos contagione labis æternorum morborum ſanavit. Clodovicus Rex in hoc ſigno hoſtes profligavit, & Iohanna Virgo Aureliam obſidione, tot annos Galliam ſervitute Britannicâ liberavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vit. Factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris. In quorum memoriam hæc noſtræ fidei inſignia non diu ab impiis diruta, reſtituta ſunt hoc anno cIↄIↄ LXXIIX.

Pontificiis in memoriam hujus liberationis quotannis eſt feſtum & proceſſio, die IIX Maji.

Ex eodem ponte antiqua turris videri poteſt; in qua captivum detinuit Carolum Lotharingum Hugo Capetus, Comes Pariſienſis, Palatii Magiſter, ut, quod Franciæ ſtatus ipſi regnum offerebant, liberiori animo majoriqúe ſecuritate poſſideret, Carolo interea omni ſucceſſionis ſpe exuto, cui alioquin ut primario ſanguinis Principi lex fundamentalis coronam offerebat.

Anno cIↄIↄ LXIII Franciſcus Lotharingus, Dux Guiſæ, urbem graviter obſedit, ſeqúe nulli ſexui & ætati gratiam facturum minatus eſt; verùm à juvene quodam, domo Angulesmenſi, Ioanne Poltrot, ictu ſclopeti ſublatus interiit pridie Bacchanaliorum, quæ ſanguinarius Guiſius in Aurelianenſium ſanguine celebrare conſtituerat: Poltrot autem captus, & Pariſiis candentibus forcipibus crematus, nec non à IV equis diſtractus eſt.

Anno cIↄIↄ LXXII, cùm Gallia carnifices ferret in laniena Pariſiis cœpta, ut habent verſus:

India mittit ebur, ferrum Germania, tellus
Ittala Pontifices; Gallia carnifices:

Aurelianenſes non ultimum crudelium mactatorum

torũm habuerunt locum; unde ipſis adhuc hodie nomen eſt, *des eſtriens & guespins d'Orleans*, canum & veſparum Aurelianenſium.

Ita Aureliâ abimus; quæ ſita in Ducatu Aurelianenſi, patrimonio hereditario ſecundi Regis Galliarum filii, cujus primus Dux fuit Philippus, Philippi Valeſii filius. Hinc per pontem Aurelianum ad vicum *noſtre Dame de Clery*, pranſuri in vico *Sancti Laurentii des eaux*, 10 *milliar.*, ſubſtitimus *à trois Rois*. Illinc V *milliaribus* trans Ligerim Regia arx eſt

CHAMBORT;

A Franciſco I, cujus ibi litteræ, ſtructa. Fundamentum ſunt meræ aquæ & paludes; quibus inædificatum regium hoc domicilium, impenſis majoribus quàm omne reliquum ſuperius conſtat; hinc ob ſtagnantes undique paludes Regiæ cuſtodiæ & ſecuritati dari poſſet & muniri. Aedificium ipſum habet conclavia, cubicula, ambulacra, è quadrato lapide erecta, immenſæ omnia magnitudinis; gradus ampli, lati, multiq́ue ita conſtructi, ut ex uno eodemq́ue cubiculo in unum & idem ſuperioris ædificii conclave, averſis tamen gradibus, aſcendere poſſis. Summitas exiguis turribus & pinnaculis eminet, quod eminus intuenti arcem facit pulchriorem. Antiquitates Franciæ pag. 267 dicunt, adeò eſſe capacem, ut omnes Europæ Principes ſimul ibi hoſpitari poſſint; conceſſerim ego hoc, ſi absque famulitio aulico advenerint, alioquin hîc nimia hyperbole: ſi fama ædificii huc me non invexiſſet, certè non meretur videri, ab univerſali, quam indies patitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

patitur, ruinâ. Antequam hanc arcem luſtraremus, periculum neſcio quâ de causâ in itinere nobis imminere certum erat; erant, ſed extra noſtrum comitatum, qui nos offendere ſtudebant; ad incurſum levem ſuſtinendum ſatis inſtructi videbamur; aſt non ſclopetorum ictus, quos efferre illi minabantur: ſed fortunâ propitiâ res componebatur nemine noſtrûm læſo.

Ita ab arce Chambourg adhuc tria milliaria inſumpſimus cœnam usque, quam, altero mox infortunio præcedente, ſumpſimus, *Blæſii au Cygne de la Crois au faubourg du ſvis*. Huc enim cum ventum eſſet, fur quidam, qui pro ſervo domeſtico ſe gerebat, ſarcinulam cum reculis noſtro à tabellario accepit in conclave portandam; verùm foràs extra opidum ſe recipiens, cum ea aufugit. deſperatum jam erat de illa, niſi tabellarius equo furem inſequutus, in campo eum deprehendiſſet; fure verò ad carceres reducto, judex ſarcinulam ad ſe ſumit cuſtoditum, ære ſat grandi, interveniente nobili quodam amico & ſympatriotâ, à nobis redemtam.

BLOIS.

Opidum ſitum eſt in regione *Beauſſe*, amœnâ ac fertili, ita ut Gallorum hæc horreum, quemadmodum Sicilia Romanorũ, dici poſſit. Terræ genius admodum bonus, pinguis & ferax; pluviâ ſi ſolum irrigetur, difficile mox iter eſt peregrinantibus, ut habet diverbium: *En Beauſſe bonne terre & mauvais chemin*. Omnis hæc regio dividitur in 3 partes: *ſum-*

ſummam; quæ habet Ducatum Carnutenſem, Comitatumque de Dreux & Montfort: *mediam;* quæ à Romorantin ad Vendoſme usque ab una parte circumſcribitur, ab altera à Chaſteau-Dun Blœſium usque & Turonium: *infimam:* quæ ab Eſtampe ad opidum Sens en Brye, & rurſus ab eodem opido Eſtampe usque ad pontem Aurelianenſem extenditur; hæc continet diverſa loca, quæ apud alios videri poſſunt. Hujus opidi ſitus eſt ad Ligerim, partim planus, partim montoſus; amœnitas ubique & fertilitas; vinum, frumentum, fructus, ligna, piſces, & aquas ſalubres in copia habet; unde Regibus hîc magnæ deliciæ, & regum filiis educatio ob aëris conſtitutionem probè temperatam & puram. Originem urbis hûc adſcriberem è diverſis auctoribus cõſcriptam, ſed brevis eſſe jubeor & compendium duntaxat rerum oſtendere; quæ etiam cauſa, amice Lector, cur Pariſios omiſerim, & in his *formale* urbium ubique omittam: promitto tamen, in *Theatro* Regni Galliæ, ipſam Regni formam & adminiſtrationem laboratâ operâ, ſi Deus laborem non ſufflaminârit.

Inter ædificia publica & ſacra, ſunt duo *Templa Collegialia:* alterum *S. Iacobi; S. Salvatoris* alterum, in quo tumba Katharinæ Mediceæ, ſed ſine omni honore & memoria. Canonici ſacris ſunt præfecti, è quibus adhuc quotannis unus per formam eligitur, in locum & memoriam Comitum Blœſenſium.

Inter politica palmarium ædificium eſt *arx*, rupi ad urbis exitum inædificata; quidquid in ea ſtructuræ eſt, Ludovico XII & Franciſco I debetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

debetur. *Anticam partem,* verſus templum & urbem, è lapide coctoLudovicus fecit, ubi equo inſidentis ex albo lapide ſtatua dicitur juſtam magnitudinem repræſentare; inſcriptionem alii habent. *Ibi hiſtrix,* ſpinoſo tergo coronam habens impoſitam; quod emblema iſti Regi fuit. evolutionem ejus hanc do: Hiſtrix ſi tangitur, aut ad iram provocatur, ſpiculis lædit tangentem, aut jacula in eum ejicit & transfigit: Ita ſe habet corona Principis, quam violare eſt Majeſtatem lædere, benevolentiam in iram convertere; hinc ſequitur ut conſcius ſceleris metuas tela pungentis pœnæ & ferientis juſtitiæ; juxta illud, *Nolite tangere unctos meos;* &, *An neſcis longas regibus eſſe manus? Interiorem arcis partem,* ut & exterioris aliquam, quæ reſpicit hortum Regium & ſaltum Blœſenſem, Franciſcus I fieri fecit; Ibi frequens eſt SALAMANDRA, Regis emblema; cujus explicatio ſit, Franciſcus ſalamandræ inſtar, quæ in mediis flammis vitam vivit, tantum abeſt ut Papienſi clade, carceréve Hiſpanico, aliiſque malorum nimbis ſit proſtratus, ut inde regio potiùs animo, Heroëque digno omnia adverſa ſuſtulerit. Heîc regiæ ſunt manſiones & conclavia: inter quæ duo eminent, quod Conſilio deſtinatum, & Regis quieti, ſive habitationi. Anno cIↃ IↃ XXCIIX, 23 Decemb., Henricus Guiſius Dux Lotharingiæ, caput factionis & in Henricum III Regem conſpirationis, è camera conſilii ad Regem iturus, ſub ipſo ingreſſu, ſuſpicionis ac metûs plenus, à ſatellitio & deputatis Regiis in terram proſternitur, moxque juſſu Regis & ordinatione gladiis confoditur.

Status

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Status Galliæ ibi convenerant pro pace ſtabiliendâ, ſed conjuratis Catilinariis niſi ſublatis, illa fieri non poterat. Eapropter interfecto hoc, alter frater Cardinalis à fuga revocatur, ſiſtitur, in caveas ſuperiores obſcuras inducitur, ſequentiq́ue die authoritate regiâ bipennium ictibus confoditur. Vide *Serrem in vita Henrici III.* Erant ibidem incluſi Princeps Ioinvillius, Dux Elbovius, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Guiſianus Secretarius, & alii factionis aſſeclæ; ſed ſupplicationibus & interceſſionibus apud Regem interpoſitis dimiſſi iterum. *Cubiculum Katharinæ Medicea* tibi oſtendetur, in quo cum audiret ex Rege, Guiſium confoſſum, ſubitò in melancholiam mutato colore incidit, vitamq́ue pòſt ſub principium anni ſequentis exuit, paucorum gemitibus nedum lacrimis honorata. Vide *vitam Katharinæ de Medicis, Gallico idiomate ſcriptam, peculiari libello, raro videndo.* In *alio Conclavi* Henrici III clementia ſic deſcribitur:

Hæc Henrice *tua eſt & laus & Regia virtus,*
Poſſe nocere quidem, nolle nocere tamen.

Oſtenditur etiam quærenti curioſiùs, ſed paucis, *locus*, quo Guiſii corpus flamma conſumpſit, ejusq́ue cineres in præterlabentem Ligerim abjecti, ne, ſi à Guiſianis poſteris fortè reperirentur aliquando, Romam ad adorandum transveherentur. Oſtendetur etiam *conclave* dives tabulis pictis & iconibus, dignum viſu & notatu. In area arcis ſubtus ad pedem ædificii novi à Reginâ Mariâ Mediceâ exſtructi, viſitur lapis circularis, cui crux inciſa cum his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

his verbis: *Ceſte pierre a eſté poſee par la Royne Mere du Roy, le 1 d'Aouſt, 1617.*

Arci adjacet *hortus Regius duplex*, amplus & concinnus, utilis etiam eduliis menſariis, & arboribus ordine diſpoſitus. alter habet ciſternam magnæ profunditatis, & ambulacrum ab Henrico IV cœptum ſtrui: alter plantas, frutices, arbores & cervæ formam habet, contra ſexûs hujus formam prælongis & promiſſis cornibus; Gallico cum carmine: *Vous qui cerchez du monde les merveilles, &c.* Curioſus venationum ſuis tabulis, ſi placet, inſerere poteſt.

Extra opidum ſunt *ambulacra* amœna, ulmis, arbutis, variiſque arboribus cincta, ad milliare unum; longa pro luſu pilæ palmariæ, jucunda pro delectabili exſpatiatione & confabulatione.

Arci vicinum eſt *collegium*, non ita multis ab annis quod ſurrexit.

Pons Ligeri inſtratus longus & lapideus *pyramidem* habet eminentem cum inſcriptione:

De caſu Pyramidis in crepidine pontis Blœſenſis erectæ incolumi manente coronâ ad baſim poſitâ. Anno CIↃ IↃ XCIII, menſ. Auguſto.

Pyramis excelſo ſtabat quæ margine pontis,
Sacra coronatâ Lilia fronte gerens,
Dum levis audaci pertentat culmina cœlum,
Nocturno venti turbine quaſſa ruit.
Non tamen illa ſacram peſtis violaſſe coronam,
Aut Francos flores polluere auſa fuit.

Quippe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Quippe & tela Iovis Regalia ſigna verentur,
Hacq; ſub Henrici numine tuta manent.

Pio, merito, felici, triumphatori, Auguſto, *Henrico* Galliæ & Navar. Regi, populus & Magiſtratus Blœſenſis DD. N. Chauvet præpoſitus urbis verſus panxit.

Aquæ ductus, teſtimonia antiquitatis urbis à Romanorum ævo, ſuperſtites ſunt non alti ſed immenſæ latitudinis.

Iuriſdictio Comitatus hujus extenditur ad XL milliaria, parochias C in ſe habens, omnes ſub Blœſenſi ſitas. Comites olim habuerunt jus cudendi monetas, quod in Gallia hodiè, præter Regem & Principem Auraicum, vix ulli conceſſum; inveniuntur adhuc numi apud cives, rem teſtantes.

Incolarum mores ſunt honeſti & elegantes; lingua totius Galliæ hîc puriſſima & perfectiſſima; utrumque fortè ab aula & Regum manſione, nec non regiorum liberorum educatione. Peregrini hîc excipiuntur ut domeſtici, omniq́ue hoſpitalitatis jure fruuntur; humanitati accedit convictus æquo pretio & lautus habendus, ita ut qui rei ſuæ, *dic cur hîc*, benè præeſt, hîc benè tempus, numos locare, linguamq́ue purè exportare poſſit.

Poſtquàm hîc diem inſumpſimus, minorum fidicinum decuriâ affatim exhilarati, Blœſio diſceſſimus, Ligeri ſiniſtrorſum relictâ; dextrorſum nil niſi vineta pro comite habuimus, ab arboribus in perpetuâ umbrâ pergentes

amœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

amœniſſimo itinere: mediâ viâ trans Ligerim opidulum *Chaumont* conſpicitur, cui arx egregia & mediocriter munita imminet: tranſeuntur pagi *Eſcures*, *Veuſve*, qui VI milliaribus Blœſio diſtat; inde V adhuc milliaria reſtabant ad opidum *Amboiſe*, ubi hoſpitabamur *in ſuburbio S. Dionyſii à la teſte noire*.

AMBOISE.

Situm eſt loco amœno & fertili, temperatumque habet & ſalubrem aërem, quæ cauſa, ut & Blœſii, regiorum infantum ut hîc fiat educatio. Pons Ligeri incumbens, XIV fornices habet, è lapide ſtructus; cui molendina multa adunata, quaſi in inſulâ ſita; ille prius ſuperandus, egregiæ longitudinis. Opidum Dani & Normanni habuerunt & deſtruxerunt, anno verò CIↃ CCCC XXCVI per Carolum IIX Galliæ Regem reſtitutum, qui illîc loci in arce ludentes pilâ ſpectans, apoplexiâ tangitur, ſubitoque ſpiritum efflat. ſuſpicantur quidam, illum malo aureo quam naribus admoverat, veneno infecto, ſublatum. In hujus Regis pompâ funebri cùm pro more baculus rumperetur, & ſepulchro clamor adderetur; *le Roy eſt mort;* duo Regii miniſtri domini ſui miſerandam mortem juſto acerbiùs dolentes, morte & ipſi ſubitaneâ correpti obeunt: inſignem fidelis affectûs memoriam in heri ſui amiſſionem relinquentes. *Arci* & militibus præſidiariis erat præfectus Monſ. *Thorus*, miles magni nominis & animi, humani genii; cujus auctoritate lubentes admiſſi ſumus in arcem, foſſis & muris, tribusque pontibus penſilibus munitam: arma & gla-

& gladii foris relinquuntur ſi ingredi voles. Videbis naturali ſaxo arcem inædificatam; muros perforatos hinc inde, per quos proſpectus in amœniſſimam regionem, vineas, campos, agros, ſaltus, flumenque patet. Gradus per quos in ſummum ædificium aſcendis, lati ſunt, & eâ formâ conſtructi, ut tormenta bellica uſque in ſummitatem arcis attrahi poſſint. In arce monſtratur *Sacellum* à S. Martino, poſtquam paganorum idola deſtruxerat, exſtructum. Ibidem *cornu cervi*, quod mole & pondere, ſiquidem XL libras ponderat, omnia totius Galliæ poſt ſe relinquere dicitur; naturali quidem cervino ſimile; verùm factitium eſſe potiùs, quàm capto à cervo dejectum, veritati videtur ſimilius. Arx hodiè, ſicut & olim, cuſtodia eſt magnatum Galliæ, ſi quid enorme deliquerint. Ex oppido, anno CIↃ IↃLXI, ſub Franciſco II prima bellorum civilium prodierunt principia, Hugonotarum nomen cùm in Gallia occiperet percrebreſcere. Heic unam noctem transegimus liberiore animo ob ſarcinam, quam nobilis amicus Blœſii relictam æreque redemtam citiſſimo curſu advehebat, recuperatam: poſtero die, relictâ Ligeri ad dextram, conſcenſis equis perreximus *Turonum*. Si amas vineas, hortorum, agrorum continuum virorem, & lene murmur aquæ, ſive Ligeris delapſum, ipsâ amœnitate amœnior via eſt: verùm ſi homines Batavâ diligentiâ & induſtriâ excolerent, nihil eſſet quod non invidiam provocaret: ſed concatenata bella civilia ſufflamen dederunt, imò & torporem; nec jam incolæ ædibus operantur colen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

colendis, ſed petris inciſas caſas inhabitant, compendioſâ ſed ſordidâ vivendi methodo. Videbis ad *Burgum Mont-luys*, ubi IV mill. confeceris, prætereundo ad ſiniſtram, centurias aliquot domuncularum rupi inciſarum; quod mirum advenis ſpectaculum; quæ caminos tantùm in viridi ceſpite exporrigunt, ſurſumque in capite habent vineta cultiſſima. Nihil aliàs in quo delectamentum habeas, præter naturam in domos mutatam, præter petras, ſaxa apta humanis receptibus & inhabitationibus. Infrà, terrâ ſordidiſſimâ incolæ contenti ſuis ſordibus & lucifugio ita ſe ibi abſcondunt, ut nec ſol nec luna iis cohabitare poſſint. reverâ ſues cum aureis monilibus: nam circumcirca vineæ cultiſſimæ, agri opulenti, fumaria extant per ſaxeos montes, cincta ordine vitium. næ! heîc mihi magis paupertas quàm cura, magis natura quàm ars operam præſtare ſuam viſa eſt. Populoſa tamen hæc regio eſt; verùm otio & vitæ voluptuoſæ dedita; videas enim ædes hominibus nihil planè agentibus refertas; ita abuſus eſt nobilis *horti* Galliæ, qui *Turonum* dicitur. Huc delati Blœſio, VII *milliaria* confeceramus; Hoſpitium ingreſſi, quod eſt *au faubourg S. Pierre des corps à trois Mores*, benevolè excepti ſumus à matre Alemanorum, aliquibus tamen novercа quæ fuit; aſſerentibus rem non ſine manu in albo:

Quand voſtre bourſe eſt trop pleine,
Allez au Mores en Touraine,
Ie vous jure que vous ſerez
En peu de temps en dechargez.

Nos

Nos verò benè æqueque hîc viximus. Sed ad urbem

TOVRS.

QVæ confluentes habet *la Loire & le Cher* fluvios, & planitie fertiliſſimâ & amœnâ longè lateque extensâ floret, quamvis ſolum ob paluſtria loca nonnihil humidum, & cauſa pluviis, quæ ibi generantur, frequentioribus exiſtat. Ligeris alluit muros, cui pons lapideus *arcuum* XIIX ſuperſtratus; inde non procul abeſt navium ſtatio; Muris, foſſis & arce cæteroquin urbs ſatis munita, ædificia fovet elegantia, non ſuperba. Suſtentatur maximam partem ſerico conficiendo, Italico quod bonitate non cedit. Iacobus de Beaulne herus in Semblancay hujus opificii autor dicitur, qui paterno erga patriam & cives amore ductus, ſuo ſumtu opifices & textores artis gnaros ex Italia evocans, populares ſuos inſtrui curavit. Bonus verè civis: nam ultra hoc, auxit urbem fontibus, miniſterio aquæductuum ſummo artificio eò perductorum; auxit fructibus ex Italiâ, Græciâ, aliisque locis conquiſitis & importatis. Serres videatur in vita Henrici IV, ubi Regem oſtendit IV urbes inſtituiſſe pro alendis bombycibus, & ſericis texendis, nimirum *Pariſios, Lugdunum, Aurelias, & Turonum;* cum enim Rex intelligeret, XL & amplius auri tonnas è Gallia pro ſerico exportari, inſtituit hoc opificium ſericum, quod uſque dum magno cum Regis & Regni incremento augetur; abrogato contrà & interdicto omni veſtimentorum Attalicorum uſu.

Inter ædificia palmam merentur bina templa, *Gratiani & Martini. Templum Gratiani* non vetuſtum ſed egregium eſt, tribus altis turribus ſuperbum; extimi parietis lapides ſunt artificioſæ ſculpturæ, verùm deformes modò ab imaginum decapitatione in introitu per Hugonotas factâ. In eo *horologium, chorum,* & *ſacellum* columnis è ligno & auro decorum obſerva. Alterum in *honorem Martini* ædificatum (*de cujus miraculis pontificiorum legendæ & Gregor. Turonenſ. in ſua hiſt. videantur*) habuit reliquias Sancti Martini, quæ per Hugonotas crematæ ſunt; locum clathratæ feneſtræ oſtendunt, quæ non niſi manuum, priùs tamen hæ oſculo devoto ſacrentur, tactu adiri poſſunt: de his reliquiis Molin. in ſcuto fidei p. 459, Baſil. edit. Gregorius Turonenſ. in fine ſuæ hiſtoriæ ait, ſe reliquias Turoni in æde D. Martini vidiſſe & repperiſſe, valdè putrefactas; verùm aliquot 100 annis pòſt, eas planè integras, novas, illæſasque fuiſſe. *Organum* & *altare* advenientes remorari ſolent. Quid de monachis? Hi ſub Carolo Magno anno ꝺꝺcccix omnes unâ nocte occiſi ſunt, præter unum in Epiſtolis Paulinis legendis occupatum: verùm hi monachi eò ſuperbię proceſſiſſe, ut calceos inauratos geſtare eos non puduerit. Longitudo templi eſt pedum clx, feneſtræ undique lii, columnæ xx, oſtia iix. Turres habet tres altiſſimas, quarum unam cccxxiix gradibus conſcendere potes, agrum circumſitum Turonenſem ad multa milliaria ſi contemplari licet. Ibi campanam ſimul offendes, cujus latitudo vii pedum & ſemis, circumferentia xxii, pondus

exci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

excidit; piſtilli tamen ıↄ librarum eſt, cum inſcriptione: MCCCCLXXXII *Eccleſiæ Sixtus Quartus, regno Ludovicus undecimus præerant, Turonenſi tunc præſul Helias.* Altera campana ibi latitudine VI pedum & ſemis, pondere octodecim mill. librarum.

ARX quidem antiqua ſed fortis comparet; Hæc, cùm Guiſius obiiſſet, ex autoritate conſilii Regii, adoleſcentem Guiſium captivum tenuit, à multis è factione paternâ, præſertim Pariſienſibus, ſi ante patrui adventum Lutetiam veniſſet, Rhemis coronandum & ungendum; ſed vana fuerunt vota & ſine ſucceſſu: ab arce tamen Guiſius anno cIↄ Iↄ XCI, 15 Auguſti, fune ſe demittens, profugus factus ad equitatum Domini de Chaſtre, ex compoſito inde non longè præſtolantem, cujus auxilio abductus, liberoque aëri reſtitutus fuit.

Antiqua monumenta ibi ſunt lapides duo; urnæ item anno 1591 repertæ, ex concrematis corporibus cinerum plenæ.

Locus extra urbem *ludo palmario* deſtinatus, longitudine & amœnitate dignus viſu, quòd tota Gallia nec longiorem, ſpatioſiorem, planiorem, amœnioremve habet.

Vrbs hæc pro coronide meretur laudem ſingularem ab affectu & pietate in ſuos Reges; Carolum VII ab Anglis patrimonio privatum, Henricum III à Pariſienſibus ejectum ſuſcepit demiſsè, fovit liberaliter; Henricum IV ad amicitiæ jura innovanda invitavit, periculo ab hoſte imminente flocci-facto.

Ex urbe levi deambulatiunculâ ad ripam Ligeris venitur ad oppoſitum monaſterium

Marmonſtier; hoc ubi flumen trajeceris navigio, rectâ intrabis

MARMONSTIER.

COEnobium hoc Ordinis Benedictini eſt: cui præeſt Abbas Monſieur de Vendoſme; ei ſubſunt LXVII monachi; & vivunt lautâ conditione. Aedificatum eſt à Martino ſancto, ſed multis reditibus in es incrementa ſumſit, ita ut inter nobiliora Galliæ præemineat. A tergo cœnobii vina ferunt colles bona, quæ inde per plumbeos canales in cellæ demittuntur dolia, altitudine LXIV perticarum, quarum quælibet VI & plures habet pedes.

Præcipuum quod in templo, eſt *ampulla ſancta*, continens oleum, ab angelo è cœlo quod deportatum dicitur, quum Clodovæus primus Chriſtianorum Rex à ſancto Remigio, more Saulis, inungi deberet. Non oſtenditur niſi ſummâ cum devotione & oſculo. Ianua, ubi repoſitum eſt olei vaſculum, hanc habet inſcriptionem:

Angelus ampullâ Martini ſaucia membra
Vnxit, & Henricus maximus omen habet.

Simile oleum, ſed minori inopiâ, Rhemis conſervatur apud ſancti Remigii cœnobitas; quo omnes Galliæ Reges hactenus inuncti fuerunt. Rex autem Henricus IV à rebellibus Rhemis prohibitus, non Rhemenſi ſed Marmontenſi oleo anno CIϽIϽXCIV, XXVII Febr. unctus eſt apud Carnutes ab illius loci Epiſcopo, præſentibus Principibus è regio ſanguine tot quot per tempeſtatem & bella intereſſe poterant. *vide Serr. in vita Henrici IV.* Vnde in loco, non longè

longè ab ampullæ repoſitorio videbis inſignia Cardinalis Ioyeuſii cum his verſibus:

Hoc Mariæ titulis aſſcribitur, hujus in æde
Martini ampullam tot peperiſſe bona.
Hocq́ decus referunt Carnutes, quod fuit olim
Remorum, ampulla noſtra quod ante tulit.

Pluria non adſcribam de hoc oleo, licet è diverſis authoribus poſſim; alibi, ſi Deo viſum, circa Regis Galliæ coronationem nobis erit locus.

Chorus templi è gypſo candido, hiſtoriam Paſſionis oſtendit. Tumba ſancti Martini, aliquot gradus alta, vix calcaribus ſonantibus adeunda; viſa tamen à nobis, præeuntibus binis monachis. Præter hoc periſtylia, refectoria, dormitoria, liberè luſtrare poteris. hinc inde parietibus adſcripti verſus, à nobis exſcripti, ſed non adſcribendi. In area monſtratur *la chapelle des dormants (der ſiebenſchläffer)* dextrorſum, ad quam aliquot graduum aſcenſus eſt. Equile & coquina in tranſitu XXVI caminorum videri poſſunt.

Locus eſt non longè à monaſterio, ubi ante aliquot annos domus petris & ſaxis inciſæ corruerunt, compluribus inhabitantibus obrutis; mulier tamen quædam pluſculos dies ibi inter ſaxa & rudera hærens, viva tandem reperta & incolumis ſervata eſt, per ova quæ fortè reperta axillis ſuppoſuit, & tepore coxit.

Equis quoque viſum egreſſi ſumus ſpecus quaſdam, *(les caves gouttieres,)* in quibus aqua in lapides concreſcens ſaccharum minutum & rotundum figurat. Heic dum pernoctaremus bis, fidicinum chorus à nobis non abfuit, advenientibus officia ſtudioſè offerens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Exeundo hinc pons transeundus, & fluvius ad ſiniſtram relinquendus eſt; Iter tam amœnum eſt inter arbores, vites, pagos, ad lenem Ligeris ſtrepitum & defluxum, inque longâ planitie, ut non injuriâ regio hæc *hortus Franciæ* dici mereatur. Ita tranſitur oppidum & arx *Maillet 3 milliar. Sainct Mars*, vicus 2 *mill.* & prandium in pago quodam *à trois valets* ſumitur. Trans Ligerim arx *Buſsi* conſpicitur ex hoſpitio, olim Ducis Aumalii, qui Pariſiis in effigie, uti dicunt, cum reus Majeſtatis damnatus eſſet, equis diſcerptus viſus; Aumalius verò fugâ vitam ſervaturus, in Belgio ſub Alberto militavit, ibique, quidquid corporis & famæ ſuperfuit, depoſuit. Hodiè arx iſta Duci Nemoroſio paret. A prandio reſtabant VII *mill.* & amplius, Salmurium uſque; in via ad collem *Abbatiam Sancti Martini de Condo*, quæ Turonenſem agnoſcit Epiſcopum, & vicum *Monceran* habuimus; uterque locus unâ ſaltem plateâ intermediâ diſcriminatur, unde diverbium ortum:

Entre Sainct Martin & Monceraue
Ny croiſt ny vache ny veau.

Nos ſerâ veſperâ ad civitatem delati ſumus, clauſiſque jam portis & ponte, timendum erat ne in urbem admitteremur, ſed argento numerato clauſtra perfregimus. præter opinionem iter longius non videbatur ſed erat, ſiquidem fallebamur paucitate milliarium, quæ hîc non numero ſed longitudine numeranda; quò enim remotior à Lutetia es, eò milliaria grandiora habebis: accedebat arx Salmurienſis in ſublimi locata, cujus altitudine ſumus eluſi, ut cùm

vix

vix mille paſſus ad acceſſum ſupereſſe crederemus, duobus ferè milliaribus, & quod excurrit, ab urbe abeſſemus; tandem multâ nocte non ſine periculo ponte ſuperato divertimus in hoſpitium ſuburbanum *à la corne de cerf.*

SALMURIUM.

URbs ad utramq; ripam habet ſuburbia longa; maximum eorum Ligeri fluvio ab urbe diſcriminatur, qui pluribus ibi longisque pontibus invicem connexis pervius eſt. Mœnia nec minus habet decora. domus arci montoſę propinquiores, ſunt aſcenſu paullùm elevatiores. *Arx* non adeò magnifica quàm munita; è naturali ſiquidem ſaxo caput erigit, & ſubtus omnia vel defendere vel deſtruere poteſt; Olim gubernatorem habuit *Philippum Mornaum Pleßiacum,* virum nobilem & doctum, clarum toga & ſago; Modò *Dominum de la Breſſe* cum LX præſidiariis militibus habet. In ea præter *armamentarium, galeriam,* & *conclavium ſecretius* Gubernatoris, in quo icones præſidum antecedentium, pauca. Nos nebula denſa & fœtida arcebat manè ab aſcenſu & proſpectu, nec moram ferebat iter, donec nebulæ diſcuſſæ & conſumtæ fuiſſent.

In civitate *ſacellum* eſt, quod vocant *Noſtre Dame des Ardilliers,* celebris nominis in Gallia ob miracula neſcio quæ illic edita & adhuc obvia. *Templum D. Petri* Chriſtophori magni ſtatuam oſtendet, ſed minorem Pariſienſi. Reformatæ religioni addicti templum habent elegans, quod diverſis à nationibus frequentatur, dum urbs hæc una eſt ex illis, quæ in ſecu-

ritatem religionis Reges Gall. dederunt. Victus ſanus, locus amœnus, exercitia varia exteros invitant ad diuturniores manſiones, ne quid addam de linguâ Gallicâ.

Ientaculo ſumto per pontem Ligeris Salnurio profecti, intra VI *milliaria S. Mathurin*, vicum, vidimus. à quo refecti pauco cibo & potu, feſtinabamus V *mill.* ad civitatem *Andegavum*, quò antequam pervenis, uno lapide retrò flumen pontone trajicis, & inde per lapidum fiſſilium, quos *Ardeſias* vocant, tumulos, in longum ſuburbium deduceris, & tandem in urbem; quæ biduum nos habuit hilares vino (quod non vinoſum adeò & fumoſum, ad Rhenenſe noſtrum proximè accedens) in diverſorio *a la Croix verde, à la rue courte.*

ANDEGAVUM.

QVibuſdam *Andegavia*, Gallis *Angers*, Ortelio è Ptolemæo *Iuliomagum* dicitur: fundamentum opido feciſſe philoſophos, augmentum Trojanos, narrat *Chronicon Andeg.* ſed fabulis relictis opidum videamus. Situm depreſſiori in planitie, ſed jucundâ, circumductum turribus, ſed è longinquo altis, irriguum fluvio Meduanâ, & inde bimembre, ſed ponte junctum, uno muro concluditur. Metropolis eſt in regione *Andium*, quæ non diffuſa, ſed dives omni penu; nam flumina cum amnibus XL numerare poteſt; ita ut quâ terram, quâ aquam, omnium ad victum neceſſariorum hîc abundans affluxus. Quæ res Carolum IX Regem movit, ut Ducatum hunc pro annonaria attributione (*l'appanage Royal* quam vocant) Hen-

rico

rico III aſſignaret, & hic rurſus fratri Franciſco. Videamus oppidi *templa*, *academiam*, *arcem*, *curiam*, & quæ in his, ab aliis non notata.

Templum *Mauritii* cathedrale eſt, in quo nec ipſe rex Galliæ dedignatur habere titulum Canonici: ſurgit tribus altis turribus, quarum media quaſi pendula, eminet inſuper lapidum mole & cælaturâ. Intus epitaphia poſticâ chori parte leguntur *Iohannis Olivarii Epiſcopi Andegavenſis*, quæ cùm fidem arguant, libuit adponere:

Ianus Olivarius jaceo hic ſub marmore duro.
Iſtius ædis eram præſul & immeritus.
Peccavi, fateor; (quis enim offendiſſe negabit?)
Aſt veniæ in Chriſto ſpes mihi firma fuit.
Qui noſtrum gratis *abſtergit morte reatum,*
Et nos non noſtris juſtificat meritis.
Hanc ſpem vos fratres precibus votiſq; juvate,
Manibus ut noſtris pax ſit & alta quies.
Ac mortis memores benè vivite, & uſq; valete,
Sitq; eadem vobis poſt obitum requies.

Præter hoc ſunt pluria alia, è quibus unum hoc quod ipſe Olivarius jamjam ad plures abiturus de ſe:

Inquiris hoſpes qui ſim? non ſum ampliùs.
Quid agam? putreſco & vermium greges alo.
Qui fuerim? ineptus Ianus Olivarius,
Peccator unus omnium præmaximus.
Vnde? urbe natus nobili in Lutetia.
Quo functus olim munere in republica?
Primò Archiabbas Andium: pòst pontifex.
Quæ otia? ſacratas paginas evolvere.
Quid hac in urna ſuperat? oſſa & cinis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

At quò animus? Hoſpes cōtine; ſcire hoc nefas;
Arcana divûm non decet ſcrutarier:
Neve quid negotii ſit Iovi cum manibus:
Satis ſuperq́; noſſe erit, fidelium
Poſt facta mentes non mori; at quieſcere:
Donec reſurgunt in priore corpore,
Auguſtiore quàm antea, feliciùs
Victuræ in ævum cum beatis omnibus.
Iam noſti abundè qui fuerim; at altiſſimis
Quando in tenebris nequeo te agnoſcere,
Saltim hoſpes unum hoc, tete ut agnoſcas, rogo,
Opteſq́; veram mortuis pacem omnibus.

Præter hæc epitaphia ſunt & Renati Siciliæ regis; quæ ſi lubet cum reliquiis videre, admittêris. Vnum, ſi circa feſtum corporis Chriſti in hoc opido vivis, eſt quod notes, nimirum proceſſionem tam pompoſam, cui ſimilem in omni reliqua Gallia non videbis; & hæc occipit in hac æde. A qua te conferes *ad S. Luciniis* in qua ad ſiniſtram oſtenditur lapis Lauretana ab æde, cum his verbis: *Cy eſt de la tuille de la chapelle noſtre Dame de Lorette.* Locus eſt vitro occluſus; intus adparet linteum annis abſumptum, à Pontifice eò miſſum. Licinii ſepulchrum poſt altare hanc habet epigraphen:

Vas habet hoc fractum certè fragmenta ſepulchrum
LicinI ſancti, hîc qui beatè quievit.

Si otium eſt, ingredere templum *Sancti Cyri* extra urbem; ubi duæ tabulæ, altera memoriam unctionis Chriſti, altera aſſumptionis Mariæ repræſentat; utraque è cælato lapide oſtendit artificium, cui generi par vix alibi reperias; inprimis nota imaginem Ioannis in

utraque

utraque tabula, ſibi per omnia ſimilem.

His viſis ad *Academiam* eundum, à juris ſtudio potiſſimùm florentem, inſtitutam à Ludovico Siciliæ rege, Andegavenſium Duce ſecundo; anno Chriſti CIↃ CCC XLVIII: circa quæ tempora placuit Ruperto Palatino Heydelbergenſem inſtituere, anno CIↃ CCC XLVI. *Middendorp. de Academ.* Faventem Principem habuit & augentem Henricum Andium Ducem, Caroli IX fratrem; nec ingrata fuit in educandis Iuriſconſultis magni nominis, qui fuerunt Lazarus Bayſius, Franc. Balduinus, Eguinarius Baro, Iohannes Bodinus (aliquibus, joco, puto, dictus Andius ſine bono) Parlamenti Pariſienſ. Advocatus, & alii, quos, ne ſim multus, prætereo. Habet collegia tria, quorum nomina ſunt: *du neuf, de la porte de fer, & de la Formagerie.* quibus accedit Facultas Medica.

Arx ſive caſtrum, nobile à domicilio, quod ibi Andium Duces multis ab annis habuerunt; olim Comitatus titulum geſſit, qui anno CIↃ CCC L in Ducatum abiit, cujus ultimus dominus fuit Henricus III Gall. & Pol. rex. Munitum eſt profundis foſſis, è quibus ſurgunt XIIX turres rotundæ ceu è rupe exciſæ, ita ut heic loci fortiſſimam totius urbis videas partem. Adire non denegatur, modò ingreſſum, quo debes modo, petas: à portâ primâ ſuperatur pons, obſeratur porta, elevatur pons, reſeratur alia porta, ita ut non facilis ſit acceſſus ad penetralia: præſidium tenent Helvetii, numero tunc LXXX, quorum præfectus Monſ. de la Porte; cujus effigiem in curia vidimus; ad quam nunc tecum ire animus eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Curia habet introitum:

Regia juſtitiæ juſto ſub rege reſurgens,
Et Iano clauſo Themidis rediviva potensq́;
Porta Deæ, geminum tibi dant Ludovice triumphum,
Et belli & pacis lauroq́; oleâq́; coronant.

Ipſam ubi ingreſſus fueris, alloquium leges ad regem Ludovic. XIII:

Ingredere Andinum auſpiciis felicibus urbem,
Magne Heros, quem Cavallæus origine ſanguis
Extulit Andinis commixtus matribus olim.

Mox inſcriptiones:

HOC NEXV FIRMATA FIDES.

Magnanimi Heroës ad publica commoda nati
Publicolas urbs ipſa ſuos vos accipit, atque
Hæc vobis memor officii monumenta rependit.

DVORVM NVMINE TVTA.

Salve cura patris, patriæ ſpes altera noſtræ.
Recta quidem ſeries, patribus ſuccedere natos;
Eſſe ſimul, fuit ille piis gratiſſimus ordo.

B. T.

Clariſſ. V. Iohan. Bodin. Curatore urbis; Ren. Iarrye, &c. cum tribus aliis Decurionibus, kal. aug. ſcribendo aff. Omnes Q. E. D. R. S. F.

Quod V. C. Curator V. F. de adventu deſideratiſſimi Ludovici Regis Chriſtianiſſ., Mariæq́; Medicææ matris incomp., quam providentiæ curiſq́; debet ſervata Gallia ſecuritatem ſuam, Provincia liberata beatitudinem, civitas ornata ſplendorem, ita ut omnes omnium ante ſe maximorum Principum glorias ſupergreſſi ampliſſ. regno terrâ mariq́; pacato pop. legibus optimis

mis ſanctiſſimuq; formaverint; mentis magnitudine ſingulari templum Iani clauſerint, & cœleſtis indulgentiæ favore mirabili pervaſerint orbem totum inſignibus virtutibus domi foriſq;,
Q. D. E. R. E. P.

D. E. R. V. I. C.

Benè & votis ſuis convenienter olim, hac ipſa die cuſtodi Herculi matriq; DEûM *Opi ſacra feſta placere; glorioſiſſ. regi in ſpem rerum feliciter creſcenti, matriq; providentiſſimæ, honores curari; qui quàm maximi ſupplicationes ad aras, legiones in armis, pompam viarum, gratias ordinum, clariſſ. ludos publicos, quòd temporum caligine fortiter detersâ ſerenarint cœlum noſtrum claritudine ſemper manſuræ pacis; & adclamatum eſt ab omnibus, Ludovice, innocens Deus te ſervet incolumem diu nobis, feliciùs imperio tuo; verecundia tua millies atque millies optimo, fortiſſimo prudentiſſimoq; Principi, piiſſimæ & clementiſſimæ Dominæ noſtræ Matri caſtrorum; ſalus, æternitas, & quale meritis ſuis debetur obſequium, habeant vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, civitatem hanc* N. M. Q. *eorum devotiſſimam.*

Hę inſcriptiones indigetant reconciliationes regis cum regina matre. Quibus lectis deſcende; & ſuburbium inviſe ad *pratum Germanorum,* quod Germanæ pubi heîc commoranti, honeſtæ recreationis & deambulationis ergò, à Germano nobili Andegavi denato donatum eſt. Dum deambulatum exiviſti, eâdem operâ theatrum Romanorum extra portas vide, cujus rudera extant in loco GROHAN, teſtimonia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

monia, olim Prætores Romanos populo Gallico edidiſſe ſpectacula, in gratam Cæſarum ſuorum memoriam: oblatum mihi, cùm ibi eſſem, antiquum eſt numiſma quod inde erutum ſeriò adfirmabatur, habens nomen & acta antiqua. Quæ res inter antiquarios cauſa eſt, num locus *Pont de Ceé*, ad quem te jam ducam, originem habeat à ponte Cæſaris, vel à Germanico ponte See; quod eſt ſtagnum, quaſi pons ſtagni, ſive ſtagnantis Ligeris, quia ibi Ligeris videtur ſe ſiſtere & ſtare inſtar ſtagni.

Sed reculis convaſatis mecum in viam. Andegavo *uno lapide* opidum PONT DE CEÉ diſtat; quò viâ planâ & amœnâ ubi perventum, quæſitum eſt à nobis, cujus ordinis eſſemus? Ordinis peregrinantium, reſpondebamus, gente Germani. Mox ſine morâ dimiſſi, pontem Ligeri ſtagnanti incumbentem pro via habuimus; longus eſt & anguſtus, partim lapidibus ſtratus, partim trabibus ligneis combinatus; totius verò fulcrum ſunt hydromylæ ligneæ XVII, quæ catenatim quaſi ligant pontis jugera. Hoc ſuperato, tellure fertili & amœnâ in Andium regione venimus 2 *milliarib.* ad opidulum

BRISSAC.

QVod elegans præcipuè ab *arce*, ſtagno adſitâ, unius milliaris longo & piſculento; amœnum à nemore trans ſtagnum, venationibus aptiſſimo. Antequam pranſuri *au cheval blanc* conſederémus, in arcem benevolâ Heri admiſſione itum eſt. Aedificium planè recens

recens è quadrato latere, formâ ſuperbâ inſcriptionem oſtendit:

ALTO DE SANGVINE COSSI.

Proſapia antiqua eſt in Italiâ nata, in Galliâ cumulata, & regibus cara; quod docent regis & reginæ matris in hac arce primi à reconciliatione conventus. Herus amœniſſimæ hujus ſedis eſt *Franciſcus de Coſsi*, inter Duces, Pares & Marſchallos Franciæ non ultimus; Hera, *Iohanna de Pontebretang*. utriusque effigiem, ut & totius Coſſorum gentis, tabulæ habent ad vivum in conclavibus poſitæ. nil heic de tapetibus, Romuli Remíque hiſtoriam, raptum Sabinarum, & alia, alia, regio ſumtu oſtendentibus, dixerim; ſufficit eum tanto Hero verba miſcuiſſè, tantamque gratiam ſi non meruiſſe, ſaltem vidiſſe.

Hinc tenuiter paſti, IV *milliaribus*, ſerâ veſperâ, pernoctatum venimus in pagum (qui Pictonum in terram ingreſſum facit) certè nobilem, & multis opidis, tam ædificiorum ſtructurâ, quàm loci capacitate, non inferiorem,

DOVAY, DOVÆVM.

DE quo *Lipſ. in amphitheatr. cap.6: Pagum autem hunc, qui amphitheatro haut longinquus, olim aliquid amplius fuiſſe, ſatis convincamus vel hoc non pagani operis argumento; viæ etiam antiquæ & publicæ reliquiis, quæ ex hoc pago pertinuit ad pontem Cæſarianum, cujus viæ pars conſpicitur: pars maxima corrupta eſt, & lapides in ædificia variè abſumpti aut avecti. Sed & incolæ ipſi antiquitatem aliquam jactant, & Druides ſedem habuiſſe apud ſe volunt.*

Cete-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ceterùm, bella vetera fortaſſe, & (quod magis conſtat) Anglicana, incendiis quidquid & quo nomine id fuit delerunt. Doveonam Ptolemæi fuiſſe, non vanè ego ſuſpicer, ex nominis quod pagus nunc præfert claro argumento; & collocatio ipſa Ptolemæi non diſsidet.

Sed ad amphitheatrum, quod, quàm cœna *à la Croix verde* inſtrueretur, lychnis & facibus accenſis, (ita enim tenebræ jubebant, & ſequentis diei feſtinatio,) priùs ibamus viſum. Ejus *formam, uſum,* & *inſcriptiones* adponam; quæ tamen ſtilo maximam partem aliena, methodo autem noſtra erunt.

FORMA reſpicit *ſitum* & *partes* amphitheatri.

Situs talis eſt, ut videri poſſit à natura natum ædificium, licet manu & arte humanâ factum ſit; totum ſiquidé exciſum & cavatũ eſt in monte, ſine externâ ullâ materiatione calcis, lapidis, ligni. Mons verò, in quo & è quo id eſt, lapideus eſt totus, cujus generis ibi plures, ſed lapide tamen non planè duro, quiq; cæſuram & ferrum facilè admittat. Color ei, qualis Tyburtino: è quo Titi Romę amphitheatrum eſt. Magnitudo montis paullò minus milliare Gallicum in latitudine; in longitudine, duo circiter continet. ſed ea tamen facies, ut in edito ſatis planus & jacens ſit, & ab lateribus utrimque clementer adſurgat. Cortex, ut ſic dicam, & tegumentum univerſi montis, è terra eſt: viſcera tantùm è lapide. ideoque non gramine ſolùm, ſed ſegete ſæpè veſtitur. In ſummo, ſed paullò tamen ad latus, hoc amphitheatrum repperis; haut facillimè, quia etiam præſcios, niſi

niſi intendant animum, fallat. Cùm enim ſupernè deſpicis, aliquem cavum aut puteum cenſebis, ex iſtis qui ob lapidum excidia vulgati ibi & crebri. Atqui aliud profectò opus eſt, & à Dædalo quopiam acutè inventum, adfabrè factum; cujus nunc tibi PARTES oſtendam, primo APERTAS, pòſt OPERTAS. Apertæ ſunt GRADVS & AREA. Graduum videatur NVMERVS & POSITVS. NVMERVS eſt XX & I, meo calculo & itu quos ſignavi: horum ſupremus, latus & capax eſt in orbem ped. IↃCCXLII. Linea dimetiens in ſummo, longa pedes CCXXXVI. at ab imo gradu ſtatim ſequitur murus, qui podium attollit & arenam claudit: eſtque altus pedes IX. POSITVM videbimus in ſubſelliis, quæ à ſummo ſtatim margine incipiunt, minuunturque, ut ſolet, paullatim eundo in declive. A ſummo, dico, incipiunt: ut nunc quidem adſpectus eſt. Olim, vix ambigo, quin cancelli aut murus aliquis circumpoſitus fuerit, ſive ad ornandum ſive magis ad ſervandum. aliquid enim certè ſepimenti fuiſſe debet, ad pecudes arcendas & petulcos. At nunc tamen deſcendens, pedem ſtatim ponis in ipſis gradibus. quorum, primo initu, confuſus ſatis adſpectus. Terrâ enim & pulvere cottidie complentur: quæ ventus invehit aut imber. itaque gramen etiam ibi paſſim: & formoſa olim nec ad hunc uſum loca perambulant informes oves. Numeratis ita ſubſelliis deſcendimus in AREAM; cujus EXTIMA pars depreſſior multo, ambiens tumulum in medio elevatum, & lata undique uſque ad murum podii, pedes XV: Ita diametrum totius arenæ eſſe oportet, ped. LX.

MEDIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

MEDIA verò (præter morem quidem omnium ejuſmodi theatrorum, quod ſciam) in tumulum rotundum ex eodem lapide elevata; altum pedes VII, aut paullò amplius: longum in diametro, pedes XXX. Is planus in ſuperficie & æquus; excipio quod ad oras à medio paullùm vergit & declinat. In hoc tumulo ſunt *foramina, putealia, ſcalæ & puteus*. Foramina ſunt rotunda ſex, æquis intervallis à ſe abjuncta, lata pedes V; quibus impoſita putealia, ex uno eodemque lapide, paullò grandiora, quàm ipſa foramina; uti neceſſum, contra illapſum. His putealibus inſerti annuli craſſi ferrei fuêre, (veſtigia & ærugo clarè docent,) ut baculo iis inſerto, admoveri poſſent vel amoveri. Nam aliàs pondus iis ſatis grande, quodque duo homines ægrè commoverint. Hæc foramina velut oſtiola ſunt, quæ per ſcalas quaſdam cochlides ſive incurvas ad viam infrà ducunt. Scalæ igitur totidem quot foramina: quæ ſingulæ gradibus non magis XIII conſtabant. In orbem tumuli, in ipſo muro, foramina quadra exſecta, quæ ſcalis illis lumen infundebant ad aſcenſum aut deſcenſum. Foramina hæc ſingula ita collocata, ut unum ſervire ſcalis duabus poſſit. In meditullio tumuli, cavus eſt rotundus ſive puteus; qui antiquúsne, an novus ab hiſtrionibus factus, non dixerim; uſus certe ejus videtur fuiſſe ad malum defigendum, à quo funes dependêrent, & per eos fluitantia vela. Ita apertæ amphitheatri partes fuerunt: ſecedamus in OPERTAS, quæ juxta ipſum, in ejus latere bina grandia & rotunda, ſive cubicula ſive potiùs cameræ occurrunt: in eodem illo

illo lapideo monte ſeorſim excita. Ponemus *formam, dimenſionem* & ad eas *aditus*. Forma horum cubiculorum eſt inſtar pillei nautici, ſive priſci Romani. Latitudo in imo eſt pedum circiter LXXX, ſed in altum paullatim arctantur. In faſtigio utriusque foramen patet rotundum, grande pedes IX, quod ad lumen infundendum ſervit: prorſus eo modo quo Romæ, in Agrippæ vidimus templo. Ad hæc cubicula, aditus duplex eſt, internus & externus: ad illum, aliàs undique clauſum, ingreſſus patet per iſtum, brevi & fornicatâ viâ. Ad externum VIA TRIPLEX ducit. PRIMA ſubterraneo meatu ad tumulum, qui in arena, & per ſcalas illas ad oſtiola tendit; ita ut infra gradus omnes ſubſelliorum totumq; amphitheatrum abeat, uti cogitanti clarum. Longitudo primæ hujus viæ pedes CXXV; latitudo, ped. VII; altitudo, ped. VIII. ALTERA VIA paullò brevior, pariter meatu infero tendit infra omnes gradus, & in muro podii emergit; ita, inquam, ut in arenam ipſam rectà ducat. Hæc priore minùs lata, minùs ampla. TERTIA VIA, oppoſita iſtis, foras ſpectabat & vallem montis. Per eam ingreſſus in hoc cubiculum: per eam item, ut apparet, omnis pluvia & confluges aquarum derivatæ è toto theatro cubiculisque. Forma harum viarum ſimilis. factæ omnes in lapideo monte, & cavatæ in arcum.

Tantum de forma hujus amphitheatri: ſequitur USUS, quem breviter & leviter è Lipſio delibemus. Forma ipſa amphitheatri videtur. clauſum enim in orbem undique, & vix tamen eſt ut amphitheatralis uſus. Primùm tumulus ille,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ille, qui in medio, ſurrectior; quid ad pugnam, aut curſum? Aequitatem enim ea res & planiciem poſtulat, non tumorem aut colles. Deinde area ipſa circumjecta, nónne exigua & anguſta ad venationes? certè apparet. Quomodo enim ſatis liber in illo quindenûm pedum ſpatio curſus ferarum hominumq́ue, ac recurſus? An de theatrali & ſcenico igitur uſu verius eſt? Non abhorret ille tumulus, qui inſtar ſcenæ retuliſſe videtur, in qua ſpectari poſſent & audiri perſonæ. Foramina etiam illa ſena, non incommodum uſum habuiſſe videntur, ad actores pro tempore ſubmittendos aut recipiendos. Choragium enim omne inſtrui in cubiculis illis adjunctis occultè potuit: exq́ue iis ornati & parati hiſtriones, viâ ſubterraneâ, venêre in hanc ſcenam. Sed circumjectæ areæ tum quid fiet? cui rei ſerviet? Denique rotunditas illa loci & graduum orbis, quomodo idonea theatro? Vultus enim certè loquentium agentiumq́ue, obverti in unam partem tantùm poſſunt: nec audiri aut cerni commodè ab iis qui à tergo. Ideo theatra hemicycli ſemper imagine facta, bono jure. Niſi ſi fortaſſe velo aut diſcrimine aliquo pars tumuli diviſa, & ſpectatores coacti in graduum unâ parte. De gladiatoribus tantùm nihil impedire videtur, quin adfirmem. quibus locus in areâ illâ ſatis laxus, quoniam in gradu ferè inter pugnandum manebant & in ſtatu. Sed quid ſigillatim circumeo? credo revera varium & miſcellum hujus loci uſum fuiſſe: ideoq́ue formam ejus mixtam, nec aptam ad ludicrum unum. Potuit venatio in eo dari, ſed fera-

ferarum paucarum: potuêre gladiatores: potuêre hiſtriones aut mimi: potuêre velut in ſtadio luctatores & pugiles. quod ipſum genus ludi, valdè crebrum & gratioſum in provinciis fuiſſe, indicat & indignatur Tertullianus. Cubicula quæ ad latus, mihi nova & ignoti finis. potuêre tamen inſtar ſpoliarii eſſe, ſive etiam odæi. quod utrumque genus adjungi amphitheatris vel theatris ſuis ſolere, ſcimus. receptacula etiam non incommodè fuerint, ad omnem ſcenicum aut arenarium apparatum. Narrant, regem, vel heroëm potius, verè magnum, Franciſcum, anno CIϽIϽXXXIX circumforaneis quibuſdam hiſtrionibus, qui apoſtolorum acta repræſentabant, permiſiſſe hunc amphitheatri locum ad ſpectacula edenda. illos purgaſſe, ornaſſe, & magnum populum contraxiſſe. ex quo conventu, qui dies triginta perſeveravit, multum atque uberem quæſtum ad paganos rediiſſe. Eâ re motos, impetraſſe à rege, Ne quis in poſterum illic lapidem excîdiſſe vellet, propiùs ab eo amphitheatro perticas XXX. crebris enim effoſſionibus, absque eo interdicto fuiſſet, interitus jam imminebat huic loco. Narrant item incolæ, univerſam aream fuiſſe tectam velis elegantioris picturæ & artificii; ea verò dejecta, remota, & ſublata per motus & inteſtina Galliæ bella. Interim univerſum opus integrum adhuc eſt, & ſi quâ parte collabi velit, juvant & reſtituunt incolæ Comica quandoque ibi ſua habentes exercitia.

Antequam te dimittam, amice lector, mantiſſæ loco addam INSCRIPTIONES, & in locum hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

hunc elogia. Porta nigro marmore ſuperveſtita eſt, cum hac inſcriptione:

Perpetuæ Douadæi theatri memoriæ hos verſus conſecravit I. Nobletus, Salvilocenſis Medicus.

Douadius celebri percurrens acta theatro,
Quæ tragico proſlat gutture Melpomene.
Quicquid & Eoo nectunt, & quicquid Ibero
In Reges memorat noxia facta ſolo:
Quiſquis amas ergò majorũ audire triumphos,
Hinc repetas quicquid lubricus orbis habet.

Epigramme.

Quand on icy raporte d'une grave faconde
Et d'un Tragicque vers, les hiſtoires des Roys,
En extaſe ravy ſincerement je croys
Que ce theatre ſoit un abbregé du monde.
Anno 1599.

Le theatre au Lecteur.

Ce grand Syracuſain Briarée indomtable,
Qui defendit ſa ville encontre le Romain,
Qui fiſt de tous les cieux un joüet en ſa main,
Les cachant dans le rond d'une ſphere admirable.
Ce ſuperbe Archimede ouvrier inimitable,
Pour tranſporter ce tout d'un eſſay ſurhumain,
Ne demandoit qu'un lieu pour un ſi haut deſſein,
Ou ſcoir d'un de ſes pieds la force émerveillable.
Or voicy je vous ren ces ſecrets des couverts;
Vous voyez dans ce part transplanter l'univers:

Tout

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Tout s'y treuve par tout ; ſeul je ſuis tout le monde :
Mais quoy? ce ne ſont pas tous mes plus grands effects ;
Car encore je fay d'une vertu feconde,
Revivre les vivants, & remourir les morts.
Anno 1607.

Hinc manè ſecedentes, LX molas colliculis impoſitas vidimus, locum quaſi totum cingentes. Altero iſthinc lapide *Montreulbolay* opidum tranſitur, flumenque *Dive* trajicitur; ſed prandium quinto à lapide tibi non injucundum exhibebit

IVLIODVNVM, ſive LODVN.

DErivatio loci aliquibus eſt, quaſi *l'os d'un;* quod ædificando caſtri fundamento, heîc loci inventũ dicatur os unius hominis. quemadmodum Capitolium Romanum ab invento capite humano, cùm cœptum eſſet ſtrui ex imo. Aliis à Iulio Cæſare, unde & Iuliodunum, derivare placet; additis numiſmatis ibi inventis cum ejuſdem Cæſaris effigie. Sit quidquid ſit, caſtrum antiquum eſſe, & mille ſexcentorum annorum, dicunt annales Franciæ; teſtatur adſpectus & adpoſitæ turres. Locus haut indignus Cæſaris domicilio; aër ibi & cœlum ſerenum & temperatum; ſolum fœcundum frumento, vino, animalibus; ferax, quod præ aliis heîc notes, pinguium caponum *(les poulles de Lodun)* ſummâ abundantiâ. Caſtrum habet præfectum *Monſ. Armaignan*, cum præſidio LX militum; opidum alioquin ex iis, quæ reformatis pro ſecuritate domicilii ſunt adſcripta; quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

quorum cœtus etiam maximam civium partem conſtituit, conſpicuus in templo opidano propè arcem ſito.

Prandio heîc ſumto *à la grande Cour*, perreximus, relinquentes ſiniſtrorſum opidulum *Montcontour*, celebresq́ue campos à prælio ſub Carolo IX, anno CIƆ IƆ LXIX, die XXVIII Octobris, contra reformatos obtento; de quo Hiſtoriæ conſulantur. ſub imam veſperam, obſcuro cœlo, in obſcurum diverſorium *à S. Chriſtoffle*; in opidulo

MIREBEAV

Situm delati ſumus, poſtquam *quinq; milliar.* ſuperaſſemus. Vix panis & focus pro ſtomacho & frigore compeſcendo ſupererat; nil hîc lectorum, imò nec ſufficiens ſtramen pro comitatu noſtro; pars extra ædes apud vicinos quietem capiebat, pars domi apud hoſpitem; ita ut nil minùs quàm *mirè-bellum* nobis hîc viſum fuerit.

Sequenti luce alter alterum è vicini tugurio extrahens, ad iter, quod à continuâ pluviâ & luto moleſtum, erigebat: ſinguli neceſſarium cogitare, erectâque fronte iter pergere; in via pagos, *Varennes, Belleſaye, Ozance*, habuimus; & omne antemeridianum tempus VI milliaribus impendimus, ad urbem uſque *Pictaviam.* ubi divertimus in hoſpitium *au Moulin à vent;* verùm non commodè ſatis, licet ductoris noſtri frater ibi pro hoſpite ſe gerebat.

PICTA-

PICTAVIA.

URbs eſt Pictonum metropolis; de quorum originatione fabuloſâ mihi heîc non animus quid dicere. Antiquis, ubi pagi conditionem ſuſtinebat, dicebatur *Auberion*, & in eâ turris exſtructa, *Mauberion*, quæ nec hodiè ſine æſtimio apud cives; reponebatur in ea theſaurus publicus, ibique cives juramenta & homagia ſua deponebant; unde adhuc hodiè plura apud Pictones feuda & homagia ſuam ducunt originem.

Videamus *ſitum & quæ ſub eo.* Nobiliſſimæ Aquitaniæ pars hanc ſuum vult eſſe caput; audit certè ſecunda à Lutetia, magnitudine; licet bona pars non habeat incolas, obſita & culta hortis, vineis, oleribus, nec non areis nuda & aperta. Deprimit ſe in planum, quà Chaſtelrautium itio eſt; clivoque attollit ſeſe quà Encoliſmam: fluvio *Clanio*, qui in Viennam delabitur, ferè undique ambitur; in parte & paludes circumſtant, ita ut arte effuſis aquis, hoſtis inde abigi poſſit; accedunt muri rupibus inciſi, foſſæ & propugnacula, urbis munimenta ſat firma. *Solum*, præter quod frugum, vini & lini ferax, alit pecora, piſces, volatilia, nec non feras; abundans hîc leporum & cuniculorum apparatus. quæ rem medicinæ promovent, ſunt viperæ, theriacæ apprimè utiles; inveniuntur extùs circa urbem, in dumetis ſub rupibus habitantes; ablegantur quandoque Venetias, theriacam confectionem juvantes. *Plateas* non nitidas, ſed anguſtas; *ædes* antiquâ forma & è ligno videbis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Inter *publica* ædificia, & ea ſacra, palmarium eſt *templum D. Petri* in ima urbis parte, ſplendore ſuperbum; cujus poſtica pars murum habet è quadrato lapide, qui altitudine ſuâ in hoc ædificii genere vix creditur habere parem in univerſa Gallia: (de cujus fundatione videatur *Iean de la Haye, cap. 30.*) Alterum ab hoc eſt, & quidem antiquiſſimum, *Divæ virginis*; quod in honorem Conſtantini Imperatoris exſtructum aſſerunt: cujus effigiem cum duobus diſtichis ibi vide, aut hæc ab aliis exſcripta lege. Hodiè quod famam habet, eſt *templum Sancti Hilarii*, qui urbis protector dicitur, ut habet columna mediâ ferè urbe erecta, cum inſcriptione:

Divo Hilario, urbis propugnatori fideliſſimo, aſſiduiſſimo, certiſſimo, Pictavorum epiſcopo.

Olim abbatia fuit; modò Canonicorum collegium, cujus caput ipſe rex Galliæ eſt; unde jocoſum illud: *Abbati eccleſiæ D. Hilarii apud Pictones licitum eſt, primam noctem thalamum inire reginæ Franciæ, cumq; eâ concumbere.* In hoc templo tumulus è marmore friabili oſtenditur; hoc ſi vel cultello unguéve fricueris aut attriveris, fœtor adeſt quovis cadavere aut latrinâ gravior: fortè marmor hoc poroſum in ſe recepit è cadavere impoſito & purulento fœtorem hunc, & ſuccum perverſum. Extùs turris fuit olim totius Galliæ altiſſima, quæ ad imum ferè collapſa; rudera miram oſtendunt ſtructuram. ſita hæc cum templo, loco amœniſſimo ad urbis mœnia, unde in apertiſſimos

campos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

campos plenus patet proſpectus. Si placet, intra templum & abbatiam *S. Crucis*: cui abbatiſſa præerat ſoror Mauritii Principis Auriaci: moniales ei parentes cc ſunt. Ad templi murum nota ſepulchrum Radigundæ; ibi etiam ſambucum cIↃ ccc annorum: oſtenduntur veſtigia Chriſti cùm Radigundæ ſe oſtenderet. Sacris his adnumero ACADEMIAM, ſub Carolo VII Franciæ rege natam, anno cIↃ cccc XXXI, poſtquam è Gallia Angli fuerant ejecti; confirmatamque à Pontifice Eugenio IV hujus nominis: velut urbs hæc amplitudine non cedit Pariſiis, ita academia nec Pariſienſi cedit celebritate; de qua Scaliger in ſuis urbibus:

Si ſtudium eſt animæ: veniunt à corpore vires,
Galliaq; à meritis poſcit utrumque ſibi.
Hæc ſtudiis, aliæ belli exercentur amore.
Pictavium eſt animus; cætera corpus erunt.

Aedificia *politica*, & quidem *publica in urbe*, ſunt:

1. PALATIVM; opus Galieni Imperatoris. ſtructura nullis ſuſtinetur columnis. longitudine & latitudine omnia reliqua Galliæ Palatia ſuperat. olim Comitum Pictavienſium domicilium; nunc mercatorum tabernis elocatum. Portæ impoſitæ ſunt crocodili exuviæ: animal hoc dicitur obſcuro delituiſſe in carcere, compluresque captivorum interemiſſe; tandemque à quodam capitis reo, adjumento ſclopeti, ſublatum, ipſo tamen victore & interfectore non multò pòſt etiam è vivis ſublato.

2. Inter publica olim fuit *Parlamentum*, Pariſiis, quorum Domini erant Angli anno

cIↄcccc xix, huc tranſlatum hac conditione, ut ſtilus curiæ Pariſienſis obſervaretur. duravit hoc ad annum uſque cIↄcccc xxxvi, quo Angli Lutetiâ ejecti, & Pictavienſe Parlamentum rurſus eò delatum eſt.

3. *Rudera amphitheatri* antiquiſſimi è lapide cocto, quæ modò civium uſibus inſerviunt. de his ita Antiquitates Franciæ: *Quant au lieu des Arenes, qui eſt joignant le dit Palais, c'eſtoit le lieu pour faire jouſtes & tournois. Et pour l'entendre eſt à preſupoſer, que les Romains eurent les exercices & diſcipline militaire, comme recite Blondus, & avoient places ſablonneuſes qu'ils appelloient Arenes, & pres d'icelles cavernes & foſſes voutées, ou ils incarceroient lyons, leopars, ours, & autres beſtes cruelles, contre leſquelles les gens, qu'on vouloit envoyer en guerre, qu'ils appelloient gladiateurs, ſe combattoient ſur l'arene, c'eſt à dire ſur le ſable, tant pour le paſſe-temps des Princes, que pour les rendre plus hardis en guerre. dont Suetone parle en la vie de l'Empereur Auguſte; Et voit on encore és Arenes dudit Poictiers les veſtiges deſdites cavernes & priſons ſous terre.*

Extra urbem ſunt: 1. ARCVS nonnulli, quos pro aquæductibus olim uſurparunt; teſtantur annales Franciæ: *Au regard des grands arceaux, qu'on void hors la ville de Poictiers, reſpondant à ce Palais, c'eſtoient conduits & canals, pour faire diſtiller & venir l'eau de quelque fontaine en iceluy Palais.* (intelligit Palatium Galienum in urbe.)

2. FONS fluvio Clano vicinus, ad propugnaculum *la Platte forme*; ibi aqua hauritur, vaſculis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vaſculis impletis per aſinos in urbem invehitur, & ante ædium oſtia vendibile fit; ita hac operâ defectus fontium reſtituitur.

3. *La Pierre levée*. Viâ regiâ, quæ Avaricum Biturigum ducit, ad ſiniſtram, medio circiter milliari, ingens ſaxum formâ non planè quadratâ, ſed penè ovali conſpicitur, longitudine pedum XXV, latitudine XVII, fultum V aliis minoribus ſaxis, quæ circumire licet. Cui verò uſui ſit, non dixerim. Alii memoriæ causâ eò venientes nomen ſuum inſculpunt, quandoque & comeſſantur. Conjecturæ ſunt, quomodo & à quibus hoc ſaxum huc deportatum ſit. Fabulantur quidam, D. Rhadegundam id capiti impoſitum huc deportaſſe. Fuit autem Rhadegunda (*Gregor. Turon. Sigebert. in Chron. Clotar.*) filia Bertarii filii Biſſirii, regis Thuringiæ, quæ triennis, patriâ relictâ, in Galliam avecta eſt, & à Clotario VII R. Francorum anno Chriſti I Ͻ LV in uxorem petita; hæc vitam cœlibem conjugali præferens, relicto marito in monaſterium S. Crucis apud Pictones, quod exſtruxerat, ſe abdidit, vitæ ſanctitate & miraculis probè celebrata. Rabelaiſius, alienus ab hac opinione, ait, Pantagruelem aliquando otioſum, cùm quid, ut perderet tempus, fingere non poſſet, deambulatum iviſſe in vineam, huncque lapidem levatum manu unâ adportaſſe. Verba ejus ſunt: *Pantagruel print d'un grand rochier, qu'on nomme* Paſſe-lourdin, *une groſſe roche, ayant environ de douze toiſes en quarrée, & d'eſpeſſeur quatorze pans: & la miſt ſur quatre pilliers au millieu d'un champ bien à ſon aiſe; afin que leſdicts eſcoliers, quand*

 ils

ils ne ſçauroient autre choſe faire , paſſaſſent temps à monter ſur la dicte pierre, & banqueter à force flacons, jambons & paſtez, & eſcrire leurs noms deſſus avec un couſteau. & de preſent l'appelle on la Pierre levée. *Et en memoire de ce n'eſt aujourdduy paſſé aucun en la matricule de ladicte Vniverſité de Poictiers, ſi non qu'il ait beu en fontaine Cabaline de Crouſtelles paſſé à Paſſelourdin, & monté ſus la Pierre levée.* Multi ſunt, putantes, aquarum eluvionibus terrâ devectum fuiſſe hoc ſaxum, & raritatis causâ ab incolis ſurſum erectum: quo hi verſus hyperbolici:

Hic lapis ingentem ſuperat gravitate coloſſum
Ponderis, & grandi ſidera mole petit.

Cum mentionem fecerit Rabeleſius loci, *le Paſſe lourdin,* dicti, eſt, quod quarto notes, extra urbem uno lapide, antrum in rupe, cujus pedem lambit fluvius Clanus, dictum *Paſſe lourdin:* aditus in id periculoſus eſt, periculoſior autem reditus; refugium olim fuit colonorum rus inhabitantium, occultantium ſeſe ibi, & ita militum vim effugientium.

Viſis his publicis intra & extra urbem, *ædes Pauli Contanti*, pharmacopœi, viri humani, promtæ frontis & voluntatis, *privatas* intravimus, viſuri (quod & nobis conceſſum) ejus GAZOPHYLACIVM, quod libro, quem & XVI ſolidis Gall. emimus, verſibus Gallicis inſcripſit, æneisque figuris exornavit. Memoriç compendio hæc enotavimus. Sunt ibi rara & viſu digna multa, *naturalia, præternaturalia* & *artificialia.* Ad naturalia referemus *plantas, foſsilia* & *animalia.* Ad plantas refero *fructus.* Inter hos,

ios, habet fabas, caſtaneas & avellanas purgatrices, phaſeolos, echinatos, carpobalſamum Ieruvianum, nucem *ſautel*, draconem, nucem *methel*, piper Aethiopicum, cedrum montis Libani, colocynthidem pyriformem, glandem tuberis, &c. Habet *ligna:* aloës verum, canellæ, nephriticum Indicum de Hiericho, Moluquenſe; xylobalſamum verum, & officinarum; aſphaltum verum, & falſum, &c. E *corticibus* habet; cinamomum verum, canellam albam novi orbis, turbitum verum Hiſpanicum, corticem bugiæ, &c. E *floribus*, epithymum Græcorum & Arabum, nardum Indicam, &c. E *radicibus;* drakenam contrahyervam, coſtum facie ſambuci, coſtum facie zinziberis, agriocinaram, &c. E *gummi*, animæ flavum, luteum, album, copal, caragna, cedri Libani reſina, guajaci, &c. Inter *foſsilia* habet; ſulphur luteum, candidum & cinereum, calcithidem, melantheriam Sorii Myſi, lapidem amianthum, ſpeculum aſini, alumen catinum: amianthum verum vel aſbeſton; è quo tela fit, quæ igni injecta non conſumitur: varios bolos & terras ſigillatas, terram arenoſam, quæ conchas duratas in ſe continet, lapides echinitis, lapidem quem pertuſis labiis Indi inſerunt, lapides ſerpentem aliaque genera mira referentes, lapidem nephriticum, petrefactas conchas, petrefactos fungos & fungillos, cor petrefactũ, bezoar orientale & occidentale, ligna petrefacta, &c. Animalia ſunt vel *terreſtria:* draco, veſpertilio magnitudine leporis; chameleon, caput & cauda rhinocerotis, &c. vel *aërea*, taucar, avis Americana, avis Paradiſi, avis è concha anatifera,

roſtrũ corvi marini, &c. vel *aquea;* ſerpens XIV pedum, variis maculis ſtellata; remora; oculus ceti, immenſi ponderis; vulpes marina; cauda rhagæ fulloniæ, pedes IV longa; hyppotamus mas & fœmina, diaboli marini caput, cancer villoſus, coſta ceti, dens elephantis marini, lepores marini mas & fœmina, conchæ margaritiferæ, oſtreæ margaritiferæ, conchæ venereæ ſex generum, purpuræ, concha umbilicata è mari rubro, murex marmoreus, buccinæ variæ, pectunculi varii è conchis; crocodilus magnus, minor & minimus; ſtellæ marinæ, &c. *Præternaturalia* ſive *monſtra*. eaque vel *humana;* nimirum ſceleton puellæ bino capite, duobus utrinque brachiis, coxis & cruribus in unico corpore, quæ quidem operâ medicorum ex utero viva exiit, ſed ſtatim denata, matre ſuperſtite. vel *bruta;* nimirum columba biceps, agnus unoculus, canis octo pedum, &c. *Artificialia* ſunt, jacula Indica, cingulum è frugibus, monile è conchis venereis, pileolus herbaceus, pileolus è variis plumis, veſtes è plumis, frontalia ex iiſdem, clypeus Indicus, ſica Indica, clavæ Indicæ ex ebeno; cymba *canoor* dicta, XIII pedibus longa, ex unico cortice arboris Indicæ; colliculus rubeus factitius è conchis, cæteriſque id genus, è quo fons proſilit; ſpeculum, in quo ab uno latere Henrici IV regis effigies, ab altero catus conſpicitur; conſpicillia, viſum fallentia, &c.

Talis eſt urbis facies: *Regimen* autem pertinet ad *Conſulem*, quem Majorem urbis vocant, *le Maire*. Hic annuus eſt, & impetrat nobilitatem; hocque officio durante primi Baronis

Picta-

Pictaviæ nomen obtinet. Ad electionem convocatur Senatus (hunc conſtituunt centumviri, quorúm XXV ſunt ſcabini, & LXXV cives) die Cypriani; poſteà matronis & filiabus honeſtioribus convivium ſolemne exhibetur.

Subditorum eſt parere; quorum maxima pars pontificiæ religioni addicta eſt; reformati ſunt reliqui numero IↃCCC, exercitium cultûs divini habentes in templo medio mill. ab urbe abjuncto, in libero campo.

Ita vidimus urbem in pace; quoad *bella*, dubium non eſt quin à Romanis, Gothis, Vandalis, Hunnis, Danis, Saxonibus & Normannis ſæpius vaſtata fuerit, alteris alteros ejicientibus. Accedit, quòd capta, ſpoliata ac diruta fuerit ab Edoardo III rege Angliæ, à Gallis in Normandiam accerſito. hic ſibi reſiſtentem habuit Ioannem Gallię regem; quem, dum acceptare nollet oblatas pacis conditiones, ſpem victoriæ in exercitu ſuo numeroſo collocans, fudit & duobus à Pictavia milliaribus cepit, ſecumque captivum in Angliam abduxit, nec VVindſorio è caſtro dimiſit, niſi ingenti lytro perſoluto. Tandem anno CIↃ IↃ LXII, bellis inteſtinis, Galliam perrepentibus & affligentibus, gravem ſubſidionem à reformatis, imò calamitates, experta eſt.

In hac urbe poſtquam triduum ſubſtitiſſemus, quieti à ſcholaribus, nec impetiti, (qui hoc tempore ſeſe invicem ſclopetis enecârant, & ob id armorum uſus omnino interdictus erat; alioquin advenis graves quandoque ſunt hoſpites,) iter Bituriges verſus noſtrum inſtituimus. Itaq; jentaculo pro more priùs ſumto,

ſex milliar. perreximus ad pagum GENON; ubi fluvium Viennam trajicere opus eſt; inde uno adhuc mill. reſtat

CHASTELRAVT

OPidum; in quo pranſuri divertebamus ad inſigne *S. Andreæ.* Quæ hîc notes, pauca ſunt. *Ducatus titulum* obtinet per Franciſcum I regem, procurante Franciſco Borbonio, anno cIↃIↃ XIV. Situm eſt planitie amœnâ & fertili, ad *fluvium Viennam*, qui *ponte* tranſitur novem incumbente arcubus, longitud. CCXXX paſſ., latitud. LXVI. Portæ adſtant turres prægrandi mole, opidi propugnacula; ubi inſcriptio & regia inſignia, quæ feſtinando enotare non potui. Adventantibus offeruntur cultelli & forfices, ſimiliaque fabrorum opera, imò obtruduntur, veluti ex lege; ſed quod inprimis mercêre, eſt obſonium pro cœnâ futurâ. id nos egimus mercatu aliquot gallinarum plumis exutarum; ſine quibus ſi fuiſſemus, planè incœnes dormitum iviſſemus in pago *Léſignee*, IV *milliar.* à prandio diſſito; ubi nec præſepe, nedum avena pro equis, vix ſtramen pro nobis; hoc, quantum erat, pavimento inſternebamus, ſarcinulasque capitibus ſupponebamus; largo tamen foco, more Germanorum priſco, quem apud Cluverium in Germ. antiquâ habes videre. A quiete ſurgentes cœpto itinere quamvis viâ limoſâ ſupra modum, III *milliar.* prorepſimus ad opidulum *Preully*, hoſpitantes *a l'image de noſtre Dame*. exiguum eſt & ad collem ædificatum, cui arx impoſita. viſitabat nos quidam palæſtrita Gallus; cui jucundum &

ex compoſito nobiſcum prandere; de arte, quam profitebatur glorioſè, ſuperſedeo verba facere. Prandium non tenebat nos diu; per pagos *Aſaile, Bonay*, ad opidulum *Buzançais*, IIX mill. ſub imam noctem deferebamur. verè nox erat; ita ſiquidem cœlum obſcurum, ut auditu, non viſu, alter alterum proximè ſe antecedentem vix aſſequi potuerit: via non erat ultima amnis; niſi amnis continua pluvia vias laverat, veſtigiaq; elaverat ductûs. pernoctabamus *au faubourg du pont, à l'Eſcu de France*: cœnæ aſſidebat Gallus quidam, qui mane inſcio hoſpite poſtico abibat cum vectore ſuo.

Subſequente luce ad pagum *Brion* V *milliar.* tendebamus. ibi nec inſigne, nec obſonii quidquam. nobilis quidam cum ſervo, noſtro erat in comitatu, heîc loci, qui cuniculum cum perdice pro ſe emptum prandio noſtro adponebat, communemque nobis eſſe volebat: liberalitati reponebamus gratias, ſumendo, quo fortuna ſtomachis latrantibus ſubveniebat. Ita prandium hîc ſatis frugale. cœnam in ſuburbio opidi *Iſſoduni* habuimus ſumptuoſiuſculam; dicitur *le faubourg des aloüettes au parc*. huc VII mill. erant itineris. Opidum *ad fl. Theo* ſitum, ſecundum eſt à Biturigibus, multis templis & turri celebre, vino item & lanâ, celebrius verò à chirothecis hœdinis. Manè conſpectâ luce opidum penetravimus, ubi cives adhuc alto ſomno ſepulti erant; *inde* II *milliar.* ad opidum *Charroix* deventum; pòſt, ad prandium in vicum *S. Fleura, à trois Mores*, II itidem milliar.; tenuis ibi apparatus, ſed magni æſtimii; unde lis nobis cum hoſpite, quæ hoſpitium

tium pro exitu reſerare nolebat, nec vetula id, niſi coacta, faciebat. Inde egreſſi viâ aquoſâ & difficili, cœlo verò ſereno, ad literatam Biturigum urbem anhelabamus, quam & videre contigit circa ſecũdam; paullulum deinde propiores facti, circa quartam veſpertinam, ſuperatis *tribus milliaribus* in eandem ſalvi delati ſumus, divertentes *au heaume à la rue de Bourbon*. Ex vero dicit Iohannes ſecundus: Vrbs hæc ita ſita eſt ut lateat viatores, donec propinqua fiat, ac tum magnificam de ſe ſpeciem præbet, undique in montis æquati modum conſurgens; cujus cacumen templum magnum cum turri occupans, pyramidale quiddam præ ſe fert.

BITVRIGES, *Bourges*.

A*Varicum* Cæſari, *lib*.7, ab Eura fluviolo, ſive Auronio; audit metropolis totius Ducatus. Poſthabitâ nominis etymologiâ, ipſam urbem videamus in *ſitu & ſtructura*. Cingit ejus partem amœna ac fertilis planities, alteram paludoſa terra, quæ multum ad robur urbis, & pluviarum generationem facit; Accedunt fluvii quibus irrigatur; inter quos ille, cui pons Auronius incumbit, infeſtus fuit Germano Principi, Hermano Ludovico, Friderici III Pii Electoris Palatini filio, qui eheu! acerbo caſu, unà cum Ephoro & aliis, in trajectu Avarici fluvii, inverſâ naviculâ, undis obrutus eſt; anno ætatis XV, & à Chriſto nato CIƆ IƆ LVI, kal. julii, poſt horam VI pomerid. quemadmodum eadem præmatura mors nupero anno CIƆ IƆC-XXIX, die XVII januar. florentiſſimum Princi-

pem Fridericum Henricum Comit. Palat. Rheni anno ætatis XV, in fluvio Bataviæ Teya, propter Amſtelrodamum, ſubmerſit.

Ager circumcirca feraciſſimus vini gratiſſimi & frugum; paſcua abundant jumentis & gregibus, ſilvæ volatilibus & leporibus, fluvii & ſtagna piſcibus & anatibus, horti fructibus, oleribus & menſis ſecundis, ita ut heîc vivendi commoditas exteris valdè cõmoda ſit; quamvis ſint quidam turbati judicii, arguentes linguæ impuritatem, & ob id locum diſſuadentes, cùm tamen hæc modò paria faciat cum Aurelianenſi, accedentibus inſuper exquiſitis linguæ profeſſoribus, quorum heîc non ultimos inveni.

Circumferentia ejus, quamvis ego non aſſentiar, dicitur eſſe IIII cIↃ IV perticarum; formáque ovalis in ipſo Galliæ centro ædificata, cui proindice inſervit tilia ante ædes Iacobi Cordi poſita.

Structura externa habet VII portas, totidemque ſuburbia, & LXXX elevatas ſupra mœnia turres; inter quas caput erigit turris illa grandis, (*la groſſe tour,*) rotunda, antiqua, craſſitudine trium perticarum aut XIIX pedum, ſtructa è lapidibus adamanthinâ formâ, tam alta ut quatuor milliaria circumſitæ terræ viſu inde emetiri poſſis.

Interna ſtructura habet *domos ſacras & politicas.*

E ſacris eſt *templum D. Stephani;* quod veluti lapidum mole maximum, ita eorundem artificioſâ cælaturâ, & ſtructurâ, feneſtrarum picturâ, LIX columnarum lapidearum poſiturâ, eſt

eſt celeberrimum & elegantiſſimum; cui ſimile (excipio Divæ Virginis Lutetianum) Gallia non habet. in ſacello poſt chorum eſt monumentum Domini Claudii *de la Chaſtre*; qui inſerviit VI regib. Galliæ, Henrico II, & Franciſco II, Carolo IX, Henrico III, Henrico IV, Ludovico XIII; obiitq; anno CIↃ IↃ CXV. Quæ olim ſimonia in Indulgentiis apud pontificios fuerit, teſtantur monachales hi verſus, ſummo altari apud S. Stephanum Biturigibus olim inſcripti; *Meter. lib.* 1. *p.* 20. *ult. ed.*

Hic des devotè: cæleſtibus aſſocio te.
Mentes ægrotæ per munera ſint tibi notæ.
Ergo venitote gentes de ſede remotæ.
Qui datis, eſtote certi de divite dote.
Te precor accelera; ſpargas hic, dum potes, æra:
Et ſic revera ſecurè cœlica ſpera.
O ſi tu ſcires, quantum tibi data proſit res,
Tu juxta vires donares quod dare quires.
Te miſer à pœna, dum tempus habes, aliena.
Vt tibi ſit pœnæ venia, ſit aperta crumena.
Conſors cœleſtis fabricæ, qui porrigit, eſt is.
Ex hoc ſum teſtis, ut hic mundare poteſtis.
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde;
Nam pro mercede, Chriſto dices, Mihi cede.
Hic datur exponi paradiſus venditioni;
Currant ergo boni, rapientes culmina throni.
Vis retinere forum? mihi tendas pauca obulorũ:
Pro ſumma quorum reſerabitur aula polorum.
Hic ſi largè des, in cœlo ſit tua ſedes.
Qui ſerit hic parcè, parcè comprendit in arce.
Quid tardas? tantũ nũmi mihi des aliquantũ;
Pro ſolo nummo gaudebis in æthere ſummo.

SCILICET! Riſum teneatis amici.

Sub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Subſtructum eſt huic aliud, fornicum mole & numero ſuperius æquans: adſtat turris, quæ cenſetur omnium Galliæ turrium eminentiſſima. Palmariæ hujus eccleſiæ primus epiſcopus narratur fuiſſe D. Vrſinus, ab Apoſtolis, ut euangelium doceret, eò miſſus; alii ſunt qui cœcum illum, quem Chriſtus ſanavit, heîc primum epiſcopum egiſſe ajunt.

Proximum ab hoc, eſt *templum ſancti Salvatoris*, hodiè ſacellum ſanctum, (*la ſaincte chapelle.*) cujus *fundatorem* & *theſaurum* videbimus. Fundator eſt Ioannes Dux Bituricenſis, frater Caroli V, cognomine Sapientis: cujus ſepulchrum marmoreum in templo non procul ab altari tale:

Iean fils, frere & oncle des roys de France, & nepveu de l'Empereur, Roy de Bourges, Duc de Berry & Auvergne, Comte de Poictou, &c.

Fundatio verò facta eſt anno CIↃ CCCC IV, teſte eteoſticho quod in pariete litteris antiquis legitur; verùm ut rectè computes, computa characteres, majuſculis litteris duntaxat expreſſos, alioquin calculi error te fallet. *Theſaurus*, habet *veſtes ſacras, & vaſa eccleſiaſtica.* Veſtium numero veniunt LV *caſiolæ* ſive trabeæ, quas *chapes* vocant, ſumtuoſiſſimi operis, pretiique è materie elegantiſſima. Inter ea una è puris margaritis & holoſerico contexta, intermixtis ſmaragdis, chryſolithis, ſapphiris ac rubinis. *Sunt* XXII *tapetia* & aulæa, pro ornandis altaribus, textili opere, & acupicta: Inter hæc ſunt quatuor tenuiſſimi fili, ornata imaginibus,

verùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

verùm ita ſubtile opus, acſi æri inciſum eſſet. Aliud eſt è puro holoſerico, unâ parte album, alterâ rubrum, nec tamen duplicatum. *Theſaurus vaſorum*, olim triplo qui major dicitur fuiſſe, habet *coronam* auream gemmis ornatam; in hac incluſam dicunt partem ſpineæ coronæ noſtri Salvatoris: *Crucem* item ex auro & pretioſis ſmaragdis, ſapphiris & margaritis contectam; in hac partem ligni crucis Servatoris contineri ajunt: ex altera parte neſcio quem in finem effigies Alexandri Magni conſpicitur. Inſuper habet *quatuor canthatos* ex agathe, *catinum unum* è jaſpide; *duas mitras* epiſcopales è margaritis, cui facies aliquot textrinâ arte ſubtiliſſimè ſunt expreſſæ. *Calicem* item pretii inæſtimabilis; ibi rubini ac margaritæ orbiculares ex aſſe; corpus autem integrum cum operculo arte fuſoriâ ita factum, ut ſingula fruſtula ſeorſim ſint adpoſita, conjunctaque, quorum nulla tamen compareat vel junctura vel conglutinatio; inſuper omnia ſunt pellucida, digna viſu & notatu. Ita quæ in hoc ſacello ſancto ſunt; *Extrà videbis* os femoris gigantis, v ſpithamarum longitudine; vertebram item I ſpithamæ longam; cervum item (Gallis *renchir.*) altitudine IX pedum, ab imo pede ad ſummum uſque humerum. Canonici hanc ædem habent, reditibus & privilegiis benè divites. inter hæc eſt unum, quod circa feſtum Pentecoſtes, ubi cætera urbis judicia quieſcunt, hi per binas ſeptimanas jus dicunt univerſæ civitati.

Templum D. Petri, in ſacello S. Dionyſii habet tumulum Magni Cujatii, ſed nullum monuminis extat ſignum; quod dolendum: cui

cui tamen alibi hæc duo poſita ſunt epitaphia. Alterum Latinum:

Erexit leges, & jura jacentia Cujas;
Ipſo nunc etiam jura jacente jacent.
Quid tumulū erigitis? potius date legibus ipſis;
Magno ſufficiunt hæc monumenta viro.

Alterum Gallicum:

Le grand livre des loys jadis n'eſtoit qu'un corps,
Mais Cujas en vivant mit un ame en ce livre,
Puis voyant, les François en leurs cruels diſordres
Renverſer toutes loys, il s'eſt faché de vivre.

Ibidem verſus de Contio à Sincero notatus, carbone ſcriptus, non eſt quod quæratur ampliùs. Eſt nobilis Germani, ibi denati, ad columnam in tabula hoc epitaphium:

Quem tulit ante diem febris violēta, Philippus
Rhediger, hîc poſitus poſt ſua fata jacet.
Illius in tenero lucebat pectore Virtus,
Excita munifici cognitione Dei.
Dum ſtudium juris civilis alacriter urget,
Heu! procul à patriis finibus interiit.

A templis ad *academiam*, primò parvis initiis cœptam, ſæpiùs interruptam, mox planè deletam; verùm mox iterum à Carolo Principe filio & fratre regis Ludovici XI Biturigum Duce inſtauratam, & auctoritate Pauli II Pontificis comprobatam. Profeſſorum in jure effigies & icones ſunt in horto Mercerii; Nomina vero in auditorio Iuriſconſultorum; quæ ut inveni cum inſcriptione, adponam. Cathedræ inſcriptio hæc eſt:

RE-

REGNANTE LVDOVICO IVSTO, HENRICO BOVRBONEO CONDEO PROREGE BITVRIGVM, HIC POSITA EST SVCCESSIO ANTECESSORVM, QVI IN ACADEMIA BITVRICENSI ET DOCENDO ET SCRIBENDO CLARVERVNT, VT QVISQVE EORVM FATO FVNCTVS EST, QVO DIGNITAS HVIVS SCHOLAE OMNIBVS ADEVNTIBVS PERSPECTA SIT, ANNO DOMINI cIↃ IↃc XXIV.

Nomina ad dextram: Andreas Alciatus, Equinarius Baro, Franciſcus Duarenus, Franciſcus Balduinus, Nicolaus Bougerius, Nicolaus Ruſſardus, Hugo Donellus, Franciſcus Hottomanus, Antonius Contius.

Ad ſiniſtram ſunt academiæ inſignia, nimirum manus è cœlo porrecta librum apprehendens; circum circa lilia Galliæ: & nomina:

Iacobus Cujacius, Iohannes Mercerius, Franciſcus Raguellus, Ægidius Hortenſius, Iohan. Rencardus, Antonius Bengeus, Iacobus Mercerius Iohannis filius.

Ita viſis templis & academiâ, ad *ædes politicas* te ducam. Inter has PALATIVM regium eminet; locus juſtitiæ ſacratus, propè ſacellum ſanctum ſitus. Superius in atrio magno hæc inſcriptio notata:

HENRICVS IV, FRANCIAE ET NAVARRAE REX, CHRISTIANISSIMVS, FORTISSIMVS, AC SVPER OMNES FELICISSIMVS PRINCEPS;

LIBE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

LIBERATOR REGNI, FVNDATOR QVIETIS; HANC BASILICAM A IOHANNE BITVRICVM DVCE OLIM INCHOATAM ET POST VARIIS CASIBVS AFFLICTAM IN VSVM CVRIAE AC POPVLI BITVR. PERAGI IVSSIT, ANNO cIↄ Iↄc VII.
Ibidem omnis generis merces in tabernis venales offendes: inferius eſt fons, cui ſuſpenſæ exuviæ crocodili, qui ibi in cella inventus dicitur.

Inter *ædes privatas* meretur videri *hortus Mercerii*, ob memoriam ICtorum; & *domus Iacobi Cordi*. Qui fuit homo infimæ ſortis, caro pretio, ut jocatur Rabelaiſius, emens, & levi vendens; divitias tamen maximas inde conquiſiverat. Cùm enim primitus divitiarum inops, humeris ſuis merces ſuas venales circumferret, opidatimque exponeret; mercator pedetentim auctior factus; & ex hoc ſub Carolo VII præfectus theſauri regii in Gallia. Vbi verò Occitaniam ſive Aquitaniam depeculatus eſſet, eamque pecuniam cum aliis regni reditibus furtim retinuiſſe accuſaretur, ipſe, confiſcatis bonis, anno cIↄ cccc LIII proſcriptus & è Gallia ejectus eſt. *(Ruthen. in Gall.)* Autor tamen Antiquit. Gall. pag. 482 innocentem Cordum fuiſſe defendit; quem, ſi placet, vide. In hac domo nota caveas, quæ ſubterraneis itionibus ducere Sancerram & Dunum regis dicuntur. Quæras ibidem hiſtoriam in ſacello de habitu Turcico ſupra altare. Quidnam ſibi velit conclave occluſum ob arma Caroli VII è Turciâ adportata; longior eſſem juſto ſi hæc adſcriberem. Dominus hujus egregiæ domus modò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

modò eſt *Monſ. de Chaſteau neuf*, qui hyemare heic tantum dicitur.

Ita habent ſtructæ ædes; qui *verò eas incolunt*, ſunt *cives*, Germanorum amantes, quibus cum benivolè vivunt, lubenterque ſuis domibus fovent. Ipſi ſunt præſidio tenendo immunes; induſtrii in mercatura & pannificio: dum enim gregibus & velleribus regio abundat, (incolis inde è joco venit nomen, *les moutons de Berry;* & vervex pro inſignibus,) mercaturâ pannariâ excellunt, & per textrinam augentur. quod ex veteribus matrimoniorum contractibus, tùm in ipſa urbe, tùm in viciniâ apparet, ubi, ſi cui filiæ honeſtioris alicuius familiæ nupturæ de veſtibus providendum erat, apertis verbis declaratum legitur, ex præſtantiſſimo Bituricenſium panno eas fieri voluiſſe. Per hæc, ut urbs in florem venit, ita per ignem & bella in favillas: quinquies aut ſexies bello expugnata, totà diruta eſt; toties etiam incendio abſumpta; nihilominus hoc tempore ædificiorum ſplendore niteſcit, licet jam non habeant regem qui ſe regem Bituricenſium ſcribat; quod accidit Carolo VII Francorum regi; qui cùm præter hanc urbem nihil territorii ampliùs haberet, quo fugeret, Anglis omnia occupantibus, in hanc urbem ſe recepit, & inde Bituricenſis rex per contemptum ac deriſum appellatus eſt.

Cum hîc commoraremur, jucundè ab amicis excepti ſumus, & ab iis per paucorum dierum converſationem ægrè etiam dimiſſi: abeundum tamen erat; ſed alio conductore conducto; cui quilibet VIII ſexagenarios aureos

(VIII *eſcus*

(VIII *eſcus à 60 ſols*) Lugdunum uſque pro vecturâ, equi paſtu, perſonæ alimentatione ſolvit. Ita Biturigibus abivimus. per pagum *S. Iuſt*, ad *Dunum regis* opid. VII *mill.* delati ſumus. inde prandio refecti *à l'Eſcu de France*, perreximus III *milliaribus*, cœnaturi in pago *Pont de chargy, à l'eſcu de France.* Hoc in itinere, quod via regia aquâ pluviali obducta erat, equus, noſtras ſarcinulas portans, in paludes incidit, nec niſi ei ſubveniſſemus, inde egredi aut ſe ſublevare poterat;ipſimet eramus in vitæ diſcrimine, accedente nocte obſcuriſſimâ, & vento tempeſtuoſiſſimo voces auferente; cogebamur pedites eſſe, quærentes viam manibus, cujus nulla veſtigia ampliùs extabant; antecedebat conductor noſter pedes mediâ aquâ,ſequebamur ſinguli ordine, ſine luce, ſine ſono; donec tandem multâ in nocte,quæſitis variis viis, ocreiſque aquâ oppletis, in dictum hoſpitium pluviâ madidi veniremus. Hoſpitalem Baucidem offendebamus & Philemonem, largo foco pro veſtimentis exſiccandis, fœno & ſtramine pro ocreis extendendis, pane & vino pro ſtomacho opus erat.his contenti ibamus dormitum.

Sequente luce, ubi pluvia paullulùm ceſſaverat, viâ lapidoſâ ad opidul. *Couleuvre*, V mill. vix pervenire licebat. hoſpitium tenue erat, & metus ne ignis ſingulis momentis illud invaderet; ligna foco appoſita flammas evomebant in caminum, fœno ſuperius circumcirca tectum; unde aquâ continuâ ligna affundebamus, ut ſopitis flammis illo quod adponebatur, frui poſſemus. inſigne iſti diverſorio erat

l'eſcu

l'Eſcu de France. Vix paullulùm ſiccatos, rurſus pluvia à prandio nos occupabat; unde itineris difficultate, ultra II *mill.* progredi non poteramus, divertentes ſub noctem in vicum *Francheſſe, au cheval blanc.* Omnia heîc obvia & aperta erant, nulla clauſtra feneſtris, nulla januis repagula. erant in hoſpitio infimæ ſortis homines linum facientes. qui cùm eodem ſub tecto eâdemq; penè menſâ nobiſcum manerent, ſarcinulis noſtris metum incutiebant: curâ tamen & in parte vigiliâ omne ſiniſtrum declinatum eſt.

Poſtridie peſſimo à cœno itinere diſceſſimus, venientes circa meridiem *Molinium,* quæ Borboniç eſt metropolis. VI *milliar.* antequàm urbem ingrederemur, pons *Elavero* ſuperſtratus ſuperandus erat; inde rectà in hoſpitium *au cheval blanc:* quo obſonio & vino benè excepti, volebamus & noctem ibi tranſigere; ſed milite idem iter faciente præmiſſis impedimentis, feſtinandum erat: nec arx nec urbs à nobis viſæ, neque convictores noſtri Pariſienſes, quod ignoſcendum nobis, compellati. Exercitus erat, Lugdunum petens, omnia, ſi noctem unam morati fuiſſemus, hoſpitia & diverſoria occupaturus; itaque præcurrendum, & periculum declinandum erat: vixque poteramus; præiverant ſiquidem aliquot cohortes, quas in vico *Beſſay* III *cum medio mill.* in hoſpitio *à Sainct Anthoine* ſub veſperam offendebamus: ibi omnia conclavia occupata ante adventum noſtrum erant; vix uno ſolùm vacuo pro nobis omnibus; in quo carnes, foco accenſo, etiam clàm militibus, pro cœna noſtra aſſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

aſſabantur. Inde ante diem ſurgentes, viam cœptam pergebamus, quantum poteramus: Circa meridiem v *mill.* in vicum *Sainct Geran* delati, vidimus menſorem ſive diverſoriorum deſignatorem ſequentibus pro cohortibus: ibi caſeo & pane cõtenti nolebamus largiori prandio ſubſequentem militem exſpectare. Vico adſtat elegans arx, illuſtriſſimo Hero *Sanct-Geranio,* Paliſſæ Domino, peregrinantium fautori, parens; quem *duobus inde milliarib.* in *opido Paliſſe* domicilium ſuum habere, veſpere in cœna *à l'image de noſtre Dame* cognovimus. Huc arenoſa nos ducebat via. adventantes à buccinatoribus ex arcis turre excipiebamur;ita pro more illuſtriſſ. arcis herus habet. Opidum, in clivo ſitum, gibbosâ viâ eſt aſcendendum in diverſorium uſque. cujus culinam curabant filiæ hoſpitis amplâ ſtructurâ, lautisque piſcibus; ita enim jubebat dies veneris. Poſtero die difficilius iter nobis fuit; Montes aſcendebamus, alios è longinquo, Sabaudiæ nives oſtendentes, præ oculis habentes: multa jocoſa interea in comitatu noſtro peracta pro lenimine viæ; tandem tamen, relicto poſt nos conductore, ad opidum *Paſquaudiere* IV *mill.* tetendimus. illic refecti prandio, *à l'image de noſtre Dame,* quod invito conductore paraveramus è piſcibus lautioribus, rurſus iter ingreſſi ſumus, devenientes IV *mill.* in opidul. *Roane,* (Rodumnam Latinis,) circa imam veſperam. ibi priuſquàm diverſorium *à la teſte d'or* ingrederemur, illuſtris Comes d'Oetingen, qui Lugduno advenerat, pernoctaturus proximo in hoſpitio, obviam nobis venit. multa ei debebamus

bebamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

bebamus à gratioſâ fronte Pariſiis antè nobis exhibitâ, itineri ſecundo vota dedimus ſubmiſſo cultu, ſequenti luce antequàm ſeceſſum faceremus. Ligeris fluvius præterfluens hîc pontone trajiciendus erat; mox recto itinere, imò obliquo (errabamus ſiquidem quandoque, pergere volentes) inexpeditum heîc erat progredi in flexuoſâ & montoſâ viâ: aliqui in hoſpitio, *à la Fontaine*, quod IV *aut circiter* à quiete mill. ſitum erat, petebant emplaſtra ſtomachalia; verùm iſti morbo nullus ferè ibi erat medicus, nulla medicamenta; ea propter paratiori appetitu cœnam ut accederent, ſine mora, pluvioſo licet cœlo, viam rurſus repetebant: mox præceps vallis, mox lapidoſi montes, nimbi cum ventis ubi dimicare videbantur, prævia ſe offerebant; in ſummitate ſtantes, deorſum & ad latera omnia proclivia habuimus & horrida: de præcipitio pedetentim nos demittentes, per vineta tandem, anguſtâ ſatis viâ, buxo utrimque ſeptâ, III *mill.* in opidum *Tarara* benè madidi deportati ſumus, vectoribus benè feſſis & jejunis. Hoſpitio inſigne *S. Sebaſtiani* præfixum erat; joci & ludi intus: equile, cella vinaria, culina, menſa & reliqua curabantur à ſequiori ſexu; nullum aliud ibi famulitium; ſorores erant, quibus hoſpes ipſa erat mater; ſingulæ ſingulis deſtinatæ ſervitiis; omnia ex ordine ibant, nec œconomia ejuſmodi ulla in omni hoc itinere nobis viſa: apparatus erant luculenti & lauti, vina cupita, conclavia ampla & pura, &, quod laudem meretur, æquabili pretio omnia: benè hæc ſtomachis ſiccis intus, & veſtimentis madidis extùs

qua-

quadrabant. Iter ſequenti die antequam ingrederemur, en menſa cibo & vino repleta ſtabat; jubebamur largiter jentare. fortè hoſpes cum famulitio ſuo præſcibat tempeſtatem futuram: quippe rubente cum ſole abeuntes augurabamur pluvias mox mox ſequuturas. hæ ſuſpendebantur uſque dum IV *mill.* ad opidum *Breſſe* confeceramus, in imâ valle poſitum: hoſpites, dum penetraremus, ampliter nos invitare; at animus anhelabat Lugdunum unâ itione. Opido hoc egreſſis mox præſto erat via clivoſa ex infima valle, longa & glabris ſtrata ſaxis: montis ſupercilium emenſos tegebat nos pluvia; reſiſtebant venti grandine mixti, præcipitatis equis, & ad terram dejectis: metus invadebat nos, ne nubibus implicati (hæ enim denſæ cacumina montium circumvolvebant) vento aſportaremur, ac alicubi explueremur. ipſe conductor viæ experientiſſimus ultimâ ſequebatur viâ, vento tantùm-non ſuffocatus. Hoc modo in pagum *la Tour*, unū & med. mil. vecti, in animo habebamus paulisper quieſcere. verùm anguſtiâ hoſpitii fruſtrà eramus; nulla quippe ligna ſicca, nullęque præſto erant ſerviles operæ. pergendum itaque I *& med. mill.* ad ipſam urbem erat, itinere non jucundo: vehebamur ſiquidem continuo progreſſu in monte ſublimi, unde proſpectus erat in montes remotiſſimos, nubium & pluviarum tantarum cauſas: & licet illi longo ab urbe intervallo diſtarent, circumquaque tamen velut circino ducti montem, quem perequitabamus, ambire videbantur. Inde longo adhuc flexu ab hoc monte delapſi prono deſcenſu, nec adhuc

huc viſâ urbe, ad ipſam portam devenimus; uſque adeò in vallem tota penè urbs ſepulta eſt, viatoresque eludit. Montes excelſi circa mœnia ex omnibus ferè in circuitu partibus ſpectantur, quibus ipſi muri aliquibus locis impoſiti ſunt. In ingreſſu portæ à cuſtodibus nomina noſtra & hoſpitium, quod petebamus, quærebantur: ſcribebam ego illa, iſti ſubſignabant, præmiolo accepto. interea pluvia non ceſſabat. Sinuoſus longo tractu ingreſſus erat, ducens nos per pontem Arari incumbentem. medias plateas lavabat jugis pluvia deſuper per canales cadens, quam penetrando ſuſtinere tenebamur in ipſum uſque diverſorium *au lion d'Or de la lanterne.* ubi hoſpiti mox ſchedam cum nominibus noſtris in porta conſignatis, ut nos reciperet, offerebam. Ita ſalvi ad primum itineris hujus portum appulimus, moleſtiſſimâ viâ, maximâ in pluviâ. tædium hoc amicus hoſpes *Dn. Christophorus Pregel* facilè levaſſet, niſi triſte nuncium ab homicidio ibi non pridem perpetrato animi morbum auxiſſet. Comites noſtri præmiſerant cum reculis ſervum Pariſiis Lugdunum, quò & tum curru, tum flumine Arari ſalvus venit. in via contraxerat familiaritatem plus æquo fidam cum Gallo quodam, homine nequam & ſceleſto: hic poſteà ante adventum noſtrum, eodem in lecto cum ſervo cubans noctu, gulâ cultro præciſâ, vitam ei ademit, fugâque, Magiſtratu & Iuſtitiâ quieſcente, ſibi vitam ſervavit. Exemplum novum, quod moneat, circumſpiciant peregrinantes cum quibus & quomodo converſentur in ignotâ terrâ.

LVGDV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

LVGDVNVM.

URbs hæc, quòd principalis totius Galliæ Celticæ eſt, Franciæ fortalitium, ſuprema ſedes totius Galliæ in ſpiritualibus, & officina commerciorum totius mundi: imo, quod æternæ ejus laudi poſitum ſit, ſi qui ſunt numi ſigillares Principum, inſcriptiones, ſepulchra, theatra vaſtata, balnea, thermæ, aquæductus, canales, aquarum actus, templa antiqua, ſtatuæ, columnæ diverſarum formarum, obeliſci, pyramides deſtructæ, tabulæ, vaſa, urnæ, lampades, opera emblematica, teſſellata, & ſimilia venerandæ antiquitatis Inſignia; de iis in ſolâ hac urbe Lugduno plus reperias quàm in reliquis omnibus junctim ſumtis; Vrbs hæc, inquam, propterea fuſiori calamo à nobis deformabitur, in *externa* & *interna* ejus deſcriptione occupato; adjunctis ſuburbanis quibuſdam locis.

Externa habebit *etymon* & *nominis derivationem*, variaque *cognomina*, *inſignia* & *fundatorem*.

Etymon varium eſt. Quidam derivant à *lucêre*; quòd in monte poſita veluti ſpecula luceat, & inde dicta *Lucdunum* quaſi *Lucisdunum*, à *luce*, & *dunum*, quod tumulum ſignificat: quo vocabulo omnia loca montoſa & acclivia Belgis vocantur. Lux verò illa eſt *vel naturalis* à ſole; quo verſus Senecæ:

Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt,
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,

Araréq; dubitans, quò ſuos curſus agat
Tacitus, quietis alluit ripas vadis.

vel *artificialis*, à ſpeculo, quod in templo Veneris ſupra montem arte adeò admirabili collocatum erat, ut è longinquis Sabaudiæ montibus clarè conſpiceretur. Quidam à *Lugdo* Celtarum rege, qui primus ante Plancum urbis fundator extitiſſe dicitur. Quidam à *lugendo*, quaſi *Lugubre dunum;* quod ob tot exantlata & repetita incendia, afflictoſque incolas, ſæpiùs lugere neceſſe habuerit; ſiquidem ab V. C. anno centeſimo fatali igne intra unam noctem fuit abſumpta, à Planco reſtaurata, à Severo Albinum proſequente rurſus combuſta. Quidam à Belgico vocabulo *luck*, id eſt, fortuna, & ,*duno*, id eſt, colle. Quidam à *Lucio;* eò quod Lucius Plancus reſtaurator fuiſſe dicitur; quaſi *Luciodunum*. Sed de his omnibus cuilibet ſua ſit ſententia & opinio. Dicta etiam fuit *Maxima Sequanorum*, item *civitas Sequanorum ;* (quos hodiè Burgundiones nuncupamus.) quod patet ex antiqua inſcriptione in templo D. Petri turri adpoſitâ:

IOVI O. M.
Q. ALCIMUS VIBICI
FIL. MARTINUS SEQ.
SACERDOS ROMAE ET AUG. AD
ARAM. AD CONFLUENTES
ARARIS ET RHODANI FLUMINA
II. IN CIVITATE
SEQVANORUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Non longè ab hac inſcriptione extat alia ſequens:

MARTI SEGOMONI SACRUM
ANNUUM
VIBICI FIL. MARTINUS
SACERDOS ROMAE. ET AUG.
MUNATIO PANSA COS.
IN CIVITATE SEQVANORUM
GALLIAE HONORES
ET SUIS DECREVERUNT.

Ex his monumentis comparet, Lugdunum, fuiſſe adpellatum Auguſtam Sequanorum, Provinciam Sequanorum, & Auguſtam ad confluentes Araris ac Rhodani.

Inſignia urbis ſunt LEO: unde urbi nomen manſit Gallico idiomate *Lyon;* quod Imperator Cæſar, ſub quo urbs funditùs erat deleta & rurſus cœpta reædificari, ei indidit dum cogeret inhabitantes ut priſtino nomine mutato & abolito hoc nomen urbi imponerent, quod uſque huc manſit.

De *Fundatore* urbis primo licet nihil certi habeam quod adponam, conſtat tamen è verbis Plutarchi, L. Munatium Plancum, nobilem ſub Auguſto Imperatore oratorem, Ciceroniſque auditorem, cùm vel urbs antiquitate eſſet collapſa, vel alioqui obſcurior ad ruinam tenderet, eò coloniam deduxiſſe; ita ſcribentis: *Ibique nunc Lugdunum eſt celeberrima Galliæ urbs, quam longis poſtea temporibus à Planco Munatio conditam fuiſſe accepimus.* Munatii hujus Planci ſpectata fides, eruditio, & autho-

ritas tanta erat apud Cæſarem Auguſtum, ut eum, devicto Pompeio, abiturus in Hiſpaniam, urbi Præfectum unà cum Antonio conſtitueret. Hic ipſus eſt Plancus Ciceroni in Epiſtolis familiaribus familiaris, licet ab ipſo Cneus adpelletur; error eſt qui non tollit hiſtoriam, licet in nomine variatio ſit. Miſſus eſt poſtea à Cęſare legatus, & factus proconſul in Gallia, ubi titulum Conſulis à Senatu adeptus eſt. Cauſa verò duplex ſubeſt hujus in Galliam ablegationis. Altera eſt, cùm in omnibus potentibus urbibus cives opulenti & potẽtes non vivant ſine ſuſpicione, quaſi ungues ſuos in viſcera civium, potentiam in ſuppreſſionem illorum, convertere velint, idem accidit Romæ, ubi Senatus metuebat à Lepido & Planco, quorum facultates erant amplæ, & vis magna in milite numeroſo: eapropter, ne vel ambitione reipub. vel æmulatione ſibimetipſis nocerent, & ita decrementum urbi accederet, viſum eſt Senatui, eos ablegare in Galliam, condendæ urbis ergò & deducendæ coloniæ. Altera eſt ſita in Allobrogum eruptionibus, rapinis ac latrociniis, dum non contenti ſuâ regione, ex Alpibus venientes, in Narbonenſes & Viennenſes irrumperent, horumque urbem, unde nomen illi Vienna Allobrogum venit, occuparent. Senatus iſti nodo cuneum quæſiturus, cogitavit de Viennenſium tutela, qui propter vicinitatem & commoditatem loci ad Araris & Rhodani confluentes ſe receperant: jubens Plancum, eò coloniam ducere, anno V. C. IↃCCXI; imperii Auguſti II: annis ante Chriſtum natum XLI, quo tempore ab eodem Planco Auguſta Rau-

racorum propè Baſileam, olim celebris nominis urbs, condita fuit, teſte inſcriptione Cajetana in regno Neapolitano:

L. MVNATIUS. FIL. L. N. L. PRON. PLANCUS.
COSS. ITER. VII. VIR, EPULON. TRIUMPH.
EX ROETIS AEDEM. SATURNI FECIT.
DE MANIBUS AGROS DIVISIT. IN ITALIA
BENEVENTI. IN GALLIA COLONIAS
DEDUXIT. LUGDUNUM ET RAURACUM.

Hæc brevius habet Dion Caſſius, lib. XLVI hiſt., dicens: Senatores Lepidum ac L. Plancum, timentes, ne hi quoque ſe Antonio jungerent, miſerunt ad eos, qui dicerent, nihil jam eorum rempubl. opus habere: ac ne quid ſiniſtri ſuſpicarentur, facinusq́ue aliquod perpetrarent, juſſi ſunt à Senatu iis, qui quondam Viennâ, quod eſt opidum Provinciæ Narbonenſis, ab Allobrogibus expulſi, ad confluentes Araris Rhodaniq́ue fluviorum conſederant, urbem concedere. Itaque illi ſubſiſtentes, Lugdunum, quod olim vocatum fuit Λουγούδουνον, ædificarunt, &c.

Interna deſcriptio habebit *Materiale* & *Formale*.

Materiale conſiderabimus *primò* in ſitu, reſpectu *aëris*, qui hyberno tempore nubilus utplurimùm; unde pluvioſo cœlo maximam partem hyemis hîc transigimus; æſtate verò non item. Reſpectu *ſoli*, magna eſt *amœnitas* & *fertilitas*. *hæc* in frumentis, fructibus, uvis, præſertim moſcatellinis, in gregibus & armentis, volatilibusq́ue conſiſtit; quæ omnia abun-

danti penu menſis convictorum inſerviunt. *illa* in loci genio & poſitu, in pratis valloſis, hortis, vineiſque non paucis, quas colendi Imperator Probus Lugdunenſibus circa annum Chriſti CCLXXX veniam dedit: hoc ex indultu milites plantarunt vites, ex illis in monte Couzon collegerunt vinum, vino Choo non abſimile; unde & monti nomen manſit. Reſpectu *fluminum*; quæ ſunt *Araris & Rhodanus*.

Araris è monte Vogeſo ad Lotharingiam originem habet; & per Heduos & Sequanos tranſiens, nobiles Burgundiæ civitates, Divionum, Auguſtodunum, Verodunum, Matiſconam alluit; diſcriminansque ab invicem Comitatum ac Ducatum Burgundiæ, Lugdunum intrat; idque advectis navibus, mercibus frumentoque onuſtis, ditat; tandemque ad extremum civitatis, in duas partes diviſæ, cum Rhodano ſe conjungit, nomenque amittit. Gallis dicitur *Saone*; Latinis quibuſdam *Sagona*, à *ſangvine*, quo totus fluvius rubuiſſe dicitur, cùm Iulianus apoſtata cruentâ perſecutione martyres morti daret. Vnde Gregor. Turonenſis ipſam urbem dicit dictam nobiliſſimam, quòd martyrum ſanguine fuit illuſtrata.

Rhodanus alter fluvius eſt, de quo Pompon. Mela lib. II: *Rhodanus non longè ab Iſtri Rhenique fontibus ſurgit: deinde Lemano lacu acceptus, tenet impetum, ſeque per medium integer agens, quantus venit, egreditur. Inde contra in occidentem ablatus, aliquandiu Gallias dirimit. Poſt, curſu in meridiem abducto, hac intrat; acceſſuque aliorum amnium jam grandis & ſubinde*

inde grandior, inter Volcas & Cavarras emittitur. Verè ita eſt; non mutato colore lacum Lemanum prope Genevam penetrat: mox ad pedem montis Iuræ, ubi nunc Cluſa, ſe abſcondit in terræ receſſus, aliquotque inde milliaribus placidus egreditur, Lugdunumque deſcendit; ubi inſulam cum Arare junctus conſtituit. Inſula verò iſta facta eſt, cùm prima urbis fundamenta jacerentur, antequàm Plancus ea in vicinos montes transponeret: dicta aliquibus *Cherſoneſus*: quæ ex duorum iſtorum fluminum concurſu & mutuo complexu repræſentat inſulam Δ Aegypti, quam Nilus diviſus in partes ſecat: differt tamen in eo; quòd illius unum latus à mari claudatur, & amnium concurſu cogatur; hujus verò alter terminus inter amnes à difficilibus & aſperis montibus finiatur.

Vterque fluvius ſuum habet *pontem* & *munimenta;* quæ videbimus.

Pons Arari inſtratus, totus eſt lapideus, longitudine latitudineque conſpicuus, arcuum IX, quiqus ulterior & citerior urbs coïr. Lignum Crucis erectum tali inſcriptione videtur, licet mancâ:

D. M.
SEVERI. G. FIL.
VALERINÆ
C. MEMMIUS SEVE-
RIANUS FEL.

Porta Niſiero proxima in eodem ponte talem habet inſcriptionem:

L. BESIO SUPERIORI
VIROMNDF Q. R.
OMNIBUS HONORIBUS
APUD SUOS FUNCTO
PATRONO NAUTARUM
ARARICOR ET RHO-
DANICORUM PATRONO
CONDI ET
CONSISTENTIUM
ALLECTARIAE GALLIARUM
OB ALLECTVRAM FIDELI-
TER ADMINISTRATAM
TES PROVINCI GALLIARUM.

[*Allectura* antiquitus officium erat, quo cognoſcebantur lites mercatorum in re flumi-num: derivatione deductâ ab *allego*.]

Pons *Rhodano* inſtratus ad finem civitatis, totus itidem lapideus eſt, firmæ & prægrandis molis, arcuum XIX amplorum: opus ſtructurâ ſuperbum. cui Crux lapidea impoſita denotat limitem territorii Lugdunenſis & Delphinatûs. In hoc ponte Andragotius, à Maximo Tyranno magnâ pecuniæ ſummâ ad hoc facinus conductus, Gratianum, Valentini I filium, Principem pium, qui Auſonium præceptorem ad conſulatum evexerat, occîdit: de quo Sozomeni verba ſunt lib. IV: *Andragotius impetu continuo Gratianum perſequens, Lugduni pontem transiturum comprehendit, & occîdit, anno Chriſti* CCC LXXXIII.

Muni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Munimenta Araris ſequuntur, ad ſiniſtram ripam locata:

Henrico IV regnante, pace vigente, præfecti Coss. Cossque urbis Lugduni Ararim extra alveos prorumpentem cinxerunt, vallarunt hac eleganti ſerie, ut in poſterum ſint portus, Mercatorum commoditati, Nautarum ſecuritati, Urbis ornamento, Populi oblectamento. incept. anno MDCVI. perfect. anno MDCIX.

Ad eandem ſiniſtram ripam alia tabula nigro è marmore poſita eſt, obvia ſecundo flumine deſcendentibus è caſtro *Pierre ſciſe*:

En l'an MDCXXII, *du regne de Louys le Iuſte* XIII, *Roy de France & de Navarre; Meſſire Charles de Neufville, Seigneur d'Alincourt, Marquis de Ville-Roy, Comte de Bury, &c. Conſeilleur de ſa dicte Majeſté en ſon conſeil d'Eſtat, chevalier de ſes ordres, Capitaine de cent hommes d'armes de ſes ordonnances, Seneſchal de Lyonnois eſtat, Gouverneur & Lieutenant General pour ſa dicte Majeſté en cette ville pays de Lyonnois, Foreſts, & Beaujolois; par le ſoing & vigilance de nobles, Pierre de Seve, Conſeilleur de ſa dicte Majeſté, Preſident en la Seneſchauſſee & ſiege Preſidial de cette ditte ville, premier Preſident en Parlament de Dombes, Prevoſt des marchands; Iean Guignard, Conſeilleur de ſa dicte Majeſté, & Contrerolleur General du taillon au dict Lyonnois; Claude Navergnon, Bonaventure, Michel, & Louys Landry,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

dry, auſſi Conſeilleurs de ſa dicte Majeſté au dict ſiege Eſchevins de cette dicte ville, & aux deſpens des deniers communs & d'octroy d'icelle, ce quoy des long temps commence, pour la communauté publique a eſté paracheve.

Rhodani munimenta ad ejus portam talem habent inſcriptionem, muro adfixam:

Du Regne & par le commandement du tres-Chreſtien Roy Louys, troiziesme de ce nom: & par l'authorité & le ſoing de Meſſire Charles de Neufville, Seigneur d'Halincourt, Marquis de Villeroy, Comte de Bury, &c. Chevalier des ordres du Roy, Conſeilleur en ſes conſeils d'Eſtat & privé, Capitaine de cent hommes d'armes de ſes ordonnances, Seneſchal de Lyonnois, Foreſts & Beaujolois, cette ville du tout ouverte depuis la riviere de Saosne juſques icy, a eſté fermee par cette cloture & fortification, achevee en l'an mil ſix cents vingt deux.

Eadem ferè inſcriptio eidem muro alio loco adpoſita eſt, mutatis ſolummodò circa finem aliquibus verbis, nimirum ut loco verborum: *Depuis la riviere de Saosne;* ſequentia ponantur: *Depuis le baſtion Sainct Clair juſques &c.*

Ita fuit primum Materiale reſpectu ſitus: ſequitur *alterum,* reſpectu *ambitûs urbis;* qui, ut experientes notarunt, eſt ſex milliarium & xxix perticarum: ſat ampla circumferentia, quòd intra ipſa mœnia ac clauſtra ſua continet complures areas, hortos ac vineas.

Tertium *Materiale* videbimus *in partibus;* iiſque vel *externis,* vel *internis. Externas* facimus *caſtella, portas, mœnia,* &c.

Caſtella

Caſtella tria habet, *la Pierre Scize, Sancti Sebaſtiani,* & *S. Clari.*

La Pierre Scize ultra Ararim inſigne eſt caſtrum, poſitum in ſummo monte ſupra petram duriſſimam, & quaſi incavatam, muris ſuis & propugnaculis firmiter circumdatam, ita ut ex hac rupe tormentis bellicis facilè hoſti via ad urbem intercludi poſſit. Caſtrum hoc nobilitatum eſt Ludovici Ducis Mediolanenſis captivitate, anno cIɔ Iɔ; qui, ſpectante Ludovico XII, ſolus cum famulo dum huc duceretur, dixit: *O fortuna inconſtans! heri centenis hominum millibus imperabam; hodiè vix unum habeo ſervum.* quaſi cum Comico dicere vellet:

Fortuna humana fingit, arctatq́ue ut libet:
Me, qui liber fueram, ſervum fecit, è ſummo infimum,
Qui imperare inſueveram, nunc alterius imperio obſequor.

Clarum item eſt à cuſtodia Nemoroſi Ducis, quam è *Botereo, lib.* 11 *Comm. Gall. p.* 147, huc ponemus. *Diximus, Nemoroſum Ducem à Lugdunenſibus in* Petræ Sciſſæ *ſcopulo captivum factum, (qui Lugdunum non viderint, audiant, eſſe rupem, olim ad invertendum Ararim eiq́ue novum alveum faciendum diſſectam; unde vocatur illa) vivo & ſcrupeo ſaxo in acumen exurgit, ut deorſum deſpicientibus altitudo terrorem faciat. In ergaſtulo rupis plus novem menſibus ſervabatur pervigili civium cuſtodiâ, vices alternantium; nec enim à milite vel exteris fides erat. ille morbum ſimulat; decumbens in lecto, cuſtodes ſilere, nec quieti eſſe moleſtos, jubet. proximo triclinio ſemotis cuſtodibus, oſcitantibusq́ue*

buſq; in fabulis, in alea, ac hujuscemodi ludicris quibus tenebræ falluntur, fiduciâ morbi; proripit ſe ſtratis, lixæ & gregarii habitu; mentitur ſe alium; laſanum, quo lotium excipitur, ſumit; (ecquis enim cuſtodum credidiſſet, Principem, ex materno genere regii ſanguinis, ad hæc olida velle demitti? fecit tamen, cùm ex re qualibet libertatis odor bonus ſit;) perq; ſatellitium perſonatus ignotusq; pergit in latibulum; ex quo per muri hiatum, à coquo factum, fune innexo ſe demittit, innoxiè dilapſus. ex familia foris duos præſto habuit, à quibus ad equeſtrem cohortem deducitur, quam Marchio Sanſorlinus frater ad excipiendum miſerat. hinc Viennam digreditur. Lugdunenſes ut cuſtodiâ dilapſum intellexerunt, ab eo ſibi plurimùm metuunt, &c.

Alterum *caſtrum eſt in monte S. Sebaſtiani* poſitum, ſitu amœniſſimo, defenſioniq́ue urbis oportuniſſimo: defendit enim ſuperiorem urbis partem, omnemq́ue acceſſum per Ararem hoſti intercipit; & Sabaudiam verſus, muris foſſisq́ue munitum; ita ut hoſtis ab omni latere excipi & abigi poſſit. Structores hujus caſtri fuerunt Comites S. Ioannis; idq́ue *tribus* ſubdiſtinctis *propugnaculis* formarunt. *Primum* tres continet areas pro milite numeroſo excipiendo; ſupremam, mediam & infimam. In mediam primus fit ingreſſus. cæteræ anguſtiores ſunt. in illa militum præſidiariorum eſt domicilium. ex hac via ducit anguſta, interq́ue duo ſaxa exciſa, paſſuum XXXVI, ad aream infimam, amplam, longam paſſ. L, latam XIIX, formâ quadrangulari; habentem murum IV paſſ. craſſum. Iſthinc deſcenſus eſt CVI paſſuum, ante-

antequam in VII cameras ſpatioſas & longas ſubterraneas devenias; ſufficiunt hæ commeatui multo abſcondendo, capaces vel IV CIↃ hominum. Ab his repedandum in mediam aream; è qua aliâ viâ itio fit in ſupremam, eâdem ferè amplitudine quâ infima: ſub hac, in ipſis terræ viſceribus, alii ſunt fornices, prioribus minores & anguſtiores. *Alterum* propugnaculum, communiter Sancti Sebaſtiani dictum, elevatum magis eſt primo, ita conſtructum ut inferius ſub eo poſitum ex obliquo inde poſſit defendi. Murum habet XV pedum craſſum, anticâ parte magis protuberantem; ſtructura interior conſtat multis fornicatis meatibus. *Tertium* dicitur *la grenoüille*, altius ſecundo, quod defendere poteſt, prominensque ut ex obliquo id magis defendat; triplices ſubterraneos habens meatus. Hujus muros exteriores rex demolitus eſt, ne, ſi forte vacuum ab hoſte caperetur propugnaculum, id ei inſerviret in urbis detrimentum & ruinam. Eodem modo Carthuſianorum fabrica regis juſſu & ſtudio ſecuritatis intercepta eſt; ædificarant enim Carthuſiani non procul ab hoc caſtro monaſterium ſuum; ſed potiùs cœperant tantùm; verùm nimis religioſum; ita enim id murorum circumductu firmare volebant, ut non locus precibus deſtinatus, ſed caſtrum ad obſidiones ſuſtinendas accommodatum videretur; Inhibuit igitur rex, & ab opere cœpto quieſcere juſſit.

Tertium caſtrum nomen *habet S. Clari*, ad Rhodanum ſitum, munitum quidem, ſed priori cedens. *Portæ urbis* numerantur VI:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

la porte d'Aiſnay; la porte du Rhoſne; la porte S. George; la porte S. Sebaſtien; la porte Veze; la porte S. Iuſt. Porta Athenaica, ducens ad confluentes Rhodani & Araris, habet hanc inſcriptionem :

Quà Rhodano fert dives Arar, qui dividit Orbi
Alter opes, nova quà facies aſſurgat Athenæ,
Annibal Auſoniæq; acies & caſtra loquuntur,
Sub fido Francorum oculo cuſtode Leonis.

LUDOVICO XIII regn.
Maria de Medicis matre regent.
Carolo de Neufville D.D. Halincourt
Prorege meritiſſ. Baltaſ. de Vilars
D. de Laval. mercat. Præfect. illm.
Alcy. Boulliod. Hor. Cardon. CL.
Pellot. Ant. de Pure
Coss. Ann. cIↄ Iↄcxi.

La porte du Rhoſne ducit in Delphinatum per ſuburbium *la guillotiere;* cujus hæc eſt inſcriptio :

En l'annee MDCXIX, & le IX du regne de Louys XIII, roy de France & de Navarre, Meſſire Nicolas de Neufville, Marquis de Villeroy, gouverneur, noble François de Merle, Prevoſt de marchands; Alexandre Cholier Octavian Vanelle, Philippe Sene, Benoiſt Bezern, Eſchevins, ont pour la commodité & ſeurté du public faict rebaſtir ceſte porte.

La

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

La porte S. George, eſt ad latus palatii archie-piſcopalis;ad quam legitur ſequens monumentum Romanæ antiquitatis:

NUMINIBUS
AUGUSTORUM
LEENIUS RUFFUS
ET LEENIUS
APOLLINARIS
FILIUS.

La porte S. Sebaſtian ducit Genevam: la porte Veze, Bituriges; la porte S. Iuſt Tholoſam; ante hanc *lapis* eſt magnæ molis,immenſi ponderis, qui ita in æquilibrio poſitus, ut vel puer ipſum minimo digito movere poſſit & faciat tremere. Eſt quod notes; in omnibus portis excubiæ Germanorum maximam partem locatæ ſunt, quæ diligenter inquirunt, ſi quæ bona ab adventantibus importantur gabellis digna; hinc fuge dolum & pœnam.

Mœnia urbis ſunt fortiſſima, &, ſicubi lacera, non ſolùm reſtituta,ſed fortiora reddita; teſtantibus hinc inde Inſcriptionibus, quarum hanc tantùm placuit adponere:

En l'annee MDCXI, *le premier du regne de* Louys XIII, *roy de France & de Navarre, & de la regente de la royne ſa mere, Marie de Medicis, par leur commandement, & par le ſoin & de l'autorité de Meſſire Charles de Neufville, Seigneur d'Halincourt, Chevalier de deux Ordres de ſa Majeſté, Capitaine de cent hommes d'armes de ſes ordonnances, & ſon Lieutenant general es pays de Lyonnois, Foreſtz & Beaujolois,*

lois, la ville de tout temps ouverte de ce coſté a eſté fermee par ceſte fortification, faicte depuis icy juſques au Rhoſne.

Aureis litteris hæc ſunt inſcripta muro interioris foſſæ, ubi cuniculorum eſt habitatio.

Internæ urbis partes ſunt *plateæ* & *ædificia.*

Plateæ ſunt anguſtæ & immundæ, unde fœtor non exiguus. Aedificia iis inædificata non ſunt vulgaris ordinis; alta, ut aër ſanus ea perflare poſſit. Tria verò ſunt quæ formam eorum deturpant: nimirum 1. *canales lignei* de tectis in medias plateas exporrecti, pluviam in prætereuntes evomentes, veſteſque inquinantes. 2. *Feneſtræ* è papyro, cui oleum inductum, factæ, quæ funiculo furſum deorſumque attrahuntur. 3. *Domus*, quarum frontiſpicia, laterculo crudo, nullâ calce ſunt veſtita. Hęc ſingula junctim ubi adſpicis, præſertim in fœtidis plateis, non te diu ſiſtent aut morabuntur. Plateis adnumero *areas*; quę ſpecioſę in hac urbe & frequentes. quarum nomina tantùm adjiciam. Amœniſſima eſt *la belle cour*, ad ponté Rhodani; in qua ludus eſt *palemaille*, *equile gubernatoris*, & *ſphæriſteria.* ibi in domo elegans hic verſus:

Fortunæ prudens aciem fortisq; retundit.

Altera, *de Confort*; in qua pyramis variis linguis veſtita, inque honorem Henrici IV erecta. ibi ad ædes quaſdam nigris litteris Rhodani & Araris effluvium notavi;

L'an 1570, & le dimanche, troiſieſme jour de decembre, environ onze heures du ſoir, le Rhoſne & la Sohne ſe ſont aſſemblés en la place de Confort, au coing de la maiſon appellee la tour; & l'onzieſme jour du dict mois le Rhoſne eſt remonté

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

au dict coing. Tertia, *le Terreau*. Quarta, *des Cordeliers*. Quinta, *de S. Niſier;* quæ foro olitorio inſervit. Sexta, *de S. Pierre*. Septima, *de la Grenette*. Octavo, *le change;* ubi mercatorum burſa. Nona, *de la Doüane*. Decima, *de la Roche*. Vndecima, *de S. Iean*. Duodecima, area; ubi ſupplicium aliquot mille martyrum verſus fanum S. Iuſti; ubi Crux poſita, *la Croix decoulee* dicta.

Aedificia *ſacris & politicis* uſibus deſtinata nunc à nobis videantur.

Inter ſacra illuſtre *eſt templum S. Iohannis*, ultra Ararim. cujus videbimus *ſtructuram* & *Canonicos*. Structura eſt ampliſſima, elegantibus illuſtrata ſacellis; inter quæ eminet *ſacellum Borbonii:* ubi Carolus è marmore ad ſiniſtram: Modò Ludovici XIII regis Gall. & Mariæ Med. regiæ matris ibi effigies. In ipſo antico templi ingreſſu grandis porta eſt, cui IV *lepores* affabrè ſunt inciſi; ſingulis binæ ſunt aures, & tamen in univerſum IV ſaltem numerantur: hoc artificium ſi non obſervâris, ſunt qui negare audent à te templum viſum. *Ioannis Baptiſtæ*, templi patroni, ſtatua è marmore candido mox ad introitum conſpicitur: reliquis ſtatuis circumcirca poſitis capita truncata ſunt, motibus ultimis bellicis. *Columnæ* templi ex Augusti ethnico templo huc deportatæ dicuntur. In templi medio, *ſub ligno crucis*, altare verſus, aurea hæc legitur inſcriptio:

QUOD BELL. CIVIL. LICENTIA
FOEDE DISIECTUM FUERAT
D. O. M. PROPITIO CAN. ET COM.
LUGD. REST. AN. M D LXXXV.

Docet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Docet hoc lemma graviſſimas clades, quibus & Hugonottæ & Pontificii ſeſe mutuò confecerunt, poſtquam anno cIↃ IↃ LXII religionem ſub ſanguinolentis regibus defendere cœpiſſent. Videtur in eodem templo *horologium*, monſtrans horas, dies, menſes, curſum ſolis & lunæ; ibi, in loco ubi leo movens linguam, addita inſcriptio, docens Reformatorum ardorem deſtruendi pontificia templa:

HOROLOG. HOC, AN. cIↃ IↃ LXII impiorum rabie corruptum & deformatum, cIↃ IↃ XCVIII, Dei miſericordia, & reg. invictiſſ. Henrici IIII virtute, pace partâ, fauſto & inſigni Comit. ac Canon. Lugd. reſt. curaverunt.

Vexilla ibidem ſuſpenſa videas, trophæa Ledigerii, quæ Sabaudo adempta, regiq́ue oblata, hujusq́ue juſſu heic ſervata ſunt. *Oſſa Cypriani* martyris, à Carolo Magno huc apportata, dicuntur hîc aſſervari. Si placet *campanam* è metallo puro fuſam videre, aſcendes gradus CLXIIX è medio templi. Ibidem *arcui ſepulchrali*, penes portam *la Froc*, dextrorſum, talis ineſt inſcriptio:

Bonæ memoriæ & ſpei æternæ, ſpiritu quoque incomparabili Feliciæ Minæ, fœminæ rariſſimæ caſtitatis exempli, affectionis plenæ erga omnes homines, IULIUS PRIMITIUS D.E.

D. E. C. C. C. C. AUG. LUG. conjugi incomparabili, quæ vixit ann. XXXII, menſ. V, dies IV, ſine ulla querela, ſibique, vivus fecit & ſub aſcia dedicavit.

Primitius hic conjugis ſuæ denatę maritus, fuit unus è CCC auguribus, qui urbem antiquitùs inhabitabant in loco penes Auguſti templum, quorum officium erat vaticinari.

Templo huic Iohannitano contigua eſt *Aula Archiepiſcopalis*. Portæ exteriori inſignia Papæ Vrbani VIII ſuperſtant, quæ anno CIↃ IↃC XXV cò locata, cùm Franciſcus Barberinus, legatus Papalis, in Galliam ad regem iturus, hûc diverteret: Tres apes ſunt: ſubtus:

Sugite nectareo madidantia Lilia rore,
Delicias pacis ſugite, pacis aves.
Sugite pacificis volucres in floribus: Orbem
Nam condire ſuo Lilia melle queunt.

Ibi, ad ſiniſt. ingreſsûs, Papa, tenens claves ſiniſtrâ; & benedictionem dans dextrâ, habitu Papali, ſedens ad menſam; cui corona regalis impoſita;

Eris corona, gloria in manu Domini.

Subtùs:

Invitant croceis halantes floribus horti.

apes ſunt, lilia circumvolitantes.

Ad

Ad dext. ingreſſûs, Rex Galliæ, dextrâ tenens gladium,cum corona Papali;ſiniſtrâ ſceptrum, cum globo appenſo, habitu Regali:

Pro domo Domini.

Subtùs:

Altus amor florum & generandi
gloria mellis.

apes ſunt roſas circumvolitantes.

In hac ipſa archiepiſcopali aulâ, ut & in vicinâ areâ, & regio carcere, famoſiſſima illa & deteſtanda laniena, anno cIↃ IↃ LXXII, ſacro Bartholomæi, Pariſiis, morte Colignii & clade Condæi cœpta, poſtmodùm Lugduni peracta eſt. XXVII auguſti dies erat, anni modò dicti, cùm primùm Mandelonius Lugdunenſis præfectus de laniena Pariſienſi certior fieret: hic mox XXIX aug. die, omnes euangelio Chriſti addictos & profitentes, edito tùm edicto, tum violentâ manu crudeliſſimam ad carnificinam rapuit. Carnifex ordinarius, cum aliquibus militibus, ad alios mactandum conductis, in aulam & palatium archiepiſcopi adducitur. Ibi carnifex, atrocitate tantæ crudelitatis perterritus, publicè negavit, ſe quidquam violenti contra homines illos facturum, niſi priùs illi ordinariâ ſententiâ per judices latâ damnati in manus ſibi traderentur: hoc niſi fieret, de aliis ſibi proſpicerent homicidis, qui fortè non pauci in urbe invenirentur. Quo dicto & milites ſecum adductos abſterruit à cruentâ hac intentione: hi enim, cùm à captivis nunquam læſi eſſent, nec eos ob aperta crimina judicio convictos viderent, apertè dicebant; Indignum fore,

tam

tam ſanguinolento & ferino auſu contaminare arma, quæ nobilitatis & virtutis ſint teſtimonia. Ita macellum hoc ſuſpenſum eſt, uſque ad horam 11 pomeridianam; quâ ſclopetariorum præfectus, *Clou* dictus, adductâ audaciſſimâ perditiſſimâque hominum colluvie, aulam ingreſſus; quibus cum furiis ſuis, pauculo tempore, CCC L ibi detentos fruſtillatim ſecuit, confodit. Inter occiſos fuit Franciſcus du Couleur, dictus Boſſu, mercator, cum binis filiis, quos conſolando conſtanti oratione ad martyrium erexerat; eosque ab ictibus carnificum, ſemet ipſe iis objiciens, defenſurus, ulnis ſuis amplexus eſt: filii nec minùs patrem ab imminentibus ictibus, corporum ſuorum objectione viſi fuêre defenſuri: ita mutuo amplexu hærentes, pater & filii, finitâ lanienâ, inventi ſunt. Quid ampliùs? mactatos ſepulturâ judicabant indignos; nihilominus ne aër ex fœtore ſanguinis & corporum inficeretur, metus erat: eápropter maximam eorum partem in præterlabentem Ararim conjici concluſum fuit. Dum fex populi occupata eſt in præcipitandis interfectis, ecce pharmacopola ſuperveniens, modum oſtendit, quo è pinguedine corporum argentum poſſet colligi. vulgus aſſentiebatur; ſelectaque fuêre obeſa & magis pinguia corpora; quibus diſſectis omnem pinguedinem abſtraxerunt, collegerunt, libramque tribus albis vendiderunt. Vide *Thuan. lib.* LII, *pag.* 165, *& ſeq.* Deteſtati ſunt multi è Pontificiis in Delphinatu, Provinciâ & Languedocio hanc Lugdunenſium crudeliſſimam lanienam, cadavera Rhodano ſecundo devecta ſepulturæ mandantes.

tes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tes. Duæ verò ſunt hujus lanienæ crudeliſſimæ actiones deteſtabiliores: nimirum, primò, quod multi è Pontificiis auctores & incitatores fuerint, ut ipſorum fratres, conſanguinei & conjuncti trucidarentur; ſecundò, quod, poſteaquam à captivis, quidquid libuerat, abſtuliſſent, mox eoſdem contra datam ac juratam fidem interfecerint. In hanc euangelicorum truculentam necem noluiſſe etiam conſentire dicuntur Canonici in æde Cæleſtinorum heîc Lugduni. Aliud hujus crudelis facinoris teſtimonium adhuc hodie extat Lugduni, ubi non procul à templo Spiritus ſancti, cùm ad mœnia Rhodano adpoſita deſcenditur, in ipſo muro relictum eſt foramen, per quod trucidati Reformati anno cIɔ Iɔ LXXII in præterfluentem Rhodanum abjecti ſunt. Verùm eſt Deus, qui, quæ nos gerimus, audit & videt; huic vindicta innocentis ſanguinis relinquenda. Videamus CANONICOS hujus templi; qui titulum Comitum obtinent; uti Decanus titulum Ducis. Olim ſiquidem Lugdunum formâ Comicis. Olim ſiquidem Lugdunum formâ Comitatus regebatur; primusque Comes ei fuit Artatus regebatur; primusque Comes ei fuit Armentas. de quo Gregorius Florentinus: Armentarius, dicit, Comes urbem Lugdunenſem judiciariâ poteſtate gubernabat. Deinde à Lothario Galliæ rege, Mathildi ſorori, cùm eam duceret Cunradus filius Bozonis, II Regis Burgundiæ, donatus eſt Comitatus Lugdunenſis. qui poſtea ſucceſſione temporis pervênit ad hos Canonicos dono Burgundico. quamquam ſunt qui dicant, eos titulum Comitum geſtare ab emptione Comitatus Foreſtii. Illud certum eſt, quòd à Comitatu hoc multæ diſ-

cordiæ

cordiæ ortæ fuerint inter hos Canonicos & cives Lugdunenſes; dum illi autoritatem ſuam & poteſtatem extendere in cives voluêre; hĩ verò rurſus omne imperium recuſare. Supremus paſtor eſt archiepiſcopus, totius Galliæ primas; cujus curia eſt etiam ſuprema per omnem Galliam in negotiis ſpiritualibus.

Sed diu ſatis hîc fuimus: luſtremus *templum Franciſcanorum*, Ordinis minimorum; quod ante annos aliquot triginta noviter è fundamentis erectum eſt. Ad dextram templi portæ depictus eſt S. Franciſcus, Ordinis auctor; cum inſcriptione: *S. Franciſcus de Paula, Ordinis fratrum minimor. inſtitutor. Beati immaculati in via. Pſ.* C XVIII. Non procul ab hoc monaſterio habitavit IVLIANA HISPANA, virgo nondum XX annos nata, Latinas, Hebraicas, Græcas, Hiſpanicas, Italicas, Gallicas linguas docta, imò in Logicis & Philoſophicis ſic verſata, ut diſputationes publicâ cathedrâ defenderit.

Hinc aſcendamus *templum* S. IUSTI; quod conventuale eſt; olim civico furore multùm dirutum. In hoc oſtenſus nobis fuit unus ex infanticidio Herodis reſervatus infans. Iuxta hoc templum inventum olim dicitur hoc epitaphium, laminæ æreæ inauratæ inciſum; cujus auctor comparet fuiſſe Chriſtianus:

DEO INVICTO
AUR. SECUNDO
NIUS. DONAUS
FRUMENTAR
G. ET COMMENAVS
V. S. L. M.

Aſcendamus porrò ad *templum* S. IRENAEI, quod ſub ultimum urbis pinnaculum ad Ararim ſitum eſt. Ipſum ædificium rudera ac monumenta nil niſi antiquitatem ethniciſmi, ſed & Chriſtianiſmi, docent. Nomen habet à S. Irenæo, II apud Lugdunenſes epiſcopo, ut teſtantur Hiſtorici Lugdunenſes Paradinus & Rubys. Hic Photino, qui primus fuerat heîc epiſcopus, ætate jam gravi coadjutor factus & collega, tandemque ſucceſſor, anno Chriſti CLXVII; annorum Imperii M. Aurelii & L. Veri quinto. In templi cœmeterio è jaſpide columna videtur, cum hoc monumento:

D. M.
ET MEMORIÆ
ÆTERNÆ
CUAIIN CENU.

Non procul inde prolixum monumentum, antiquis Romanorum characteribus, ſaxo ingenti inciſum; cujus præter principium (CONIUGI —·— GISSIMAE) nihil aſſequi potui; cætera vetuſtate exeſa, non niſi aliquot ſyllabas aut mutilas voculas continebant. Ibidem lapis quadratus cum inſcriptione:

D. M.
SEX. COSSUTIO
SEX. FIL QUIRIN
PRIMO EMERITO
EX COHO XIII URB
T. SILVIUS HOSPES.

In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Intranti templum è regione ara oppoſita erat: cui ſuperjacet lapis, qui dicitur pars columnæ ejus, cui Chriſtus alligatus fuit, cùm à militibus flagellaretur. Ibidem circum illam aram monachales verſus leguntur in Irenæum & ceteros martyres, qui ſub Q. Septimo Severo circa annum Chriſti CXCIIX, quo tempore Tertullianus vixit, paſſi ſunt:

Ingrediens loca tam ſacra, tam rea pectora tunde,
Poſce gemens veniam, lacrymas hìc cum prece funde.
Præſulis hìc Irenæi turma jacet ſociorum,
Quos per martyrium deduxit ad alta polorũ.
Iſtorum numerum ſi noſſe cupis, tibi pando;
Millia dena novém-*que fuerũt ſub duce tãto.*
Hinc mulieres & pueri ſimul excipiuntur,
Quos tulit atra manus, nunc Chriſti luce fruuntur.

XIX CIↃ verò hi martyres non in ipſo templo, ſed ſub eo in ſubterranea concamerata cella jacent ſepulti. Duas ibidem videre habes arcas. Altera earum dicitur ſepulchrum Irenæi, ſine omni interprete, præter has litteras: HIC IACET PETRUS. Altera S. Polycarpi. Verùm ex hiſtoriis ſcimus, eum Smyrnæ in Græcia, ſub M. Antonio, ſupplicio adfectum fuiſſe, cùm DEO annos LXXXVI ſerviiſſet. niſi igitur per reliquias oſſium huc tranſportatorum hiſtoriam velant, vix veritati locus erit. Inſuper in cœmeterio pluria ethnica ſunt monumenta, è ſaxis ſtructa.

Templum in colle *la Forviere* exiguum eſt, & in honorem *Thomæ de Aquino* exſtructum; quod etiam dicitur *Noſtre Dame de Forviere.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Alit x Canonicos;quorum domicilia cum hortis non in loco inamœno ſita ſunt. Olim erat Veneri, ſumtuosâ ſtructurâ, ſpecioſoque ornatu, dicatum. Prope id hæc inſcriptio videtur:

D. M.
CACV ROM
SATTONIS
TREVERI
ANNOR
XVII
SIMILIS
TVNC VIVUS.

Penes templum *areola* eſt, cui ſi inſtas, Lugdunum omne oculis emenſuras, ut & bonam Delphinatûs partem. Inde in *vineam* amplam itur, ubi antiqui *theatri rudera* & veſtigia, quæ à Prætorio & Palatio Auguſti adhuc ibi ſuperant. Habitavit ſiquidem Auguſtus Lugduni tres ferè annos, dum eò iter ſuſciperet anno V. C. IↃ c c XXXVII, L. Domitio Aenobarbo & P. Cornelio Scipione Coss. quod fuit anno imperii ſui XXVII. Cauſa verò ſui Româ diſceſsûs dicitur fuiſſe, ut nimiâ ſui Romæ morâ & manſione odium populi evitaret; vel, ut ſuſpicionem amoris, quem cum Terentia alebat, declinaret: vel, ut querelas & accuſationes in Licinium inſtitutas judicaret; accuſabatur enim, duriori onere, quàm par erat, Lugdunenſes affeciſſe. *Dion Caſſ. lib.* 54. Ab illa vinea videtur antiqui & craſſi muri pars, circa quam vulgus refert, *vitulum aureum*, cui Auguſtus

guſtus divinos honores offerebat, ſepultum eſſe: at vitulus uſque in hunc diem, licet laborioſè quæſitus, nondum repertus eſt. Vinea iſta agnoſcit dominum *M. du Soleil*, officio clarum in urbe; cujus benevolo indultu videre poteris antiquam palatii & theatri imaginem, artificioſè depictam. In ipſa via, quâ inter muros civitatis & nonnullos hortos aſcenditur verſus templum *la Forviere*, ſpectantur IV *columnæ*, rudera antiqui ædificii, quæ olim aquæductibus inſerviiſſe comparent. Hi autem aquæductus, ut habet commune populi effatum, aliquot milliarium longitudine protendebantur, uſque dum ad ipſam ſcaturiginem pervenirent, aquas haurirent, inque urbem deferrent. Ideò autem tam longo itinere deducebatur aqua, quòd, cùm urbs deſtitueretur adeò ſalubribus aquis, illa purior per longos meatus & defæcatior reddebatur priuſquam ad uſus hominum perveniret. Eorundem aquęductuum adhuc hodiè nõ procul ab urbe conſpiciuntur rudera, per Saracenos, magnam Galliæ partem ſub Pipinorum imperio devaſtantes, dejectorum.

Vltra Ararim videndum etiam *templum Ioannis Burgundi*, mole quidem exiguum, ſed ſacello illuſtre, partim ob IV columnas è peculiari marmore Româ adportatas, partim ob picturam altaris egregiam.

Non procul ab hoc monaſterio ad radicem montis eſt *monumentum*, quod vulgò *la ſepulture de deux amants* dicitur: Elevatum conſpicitur & impoſitum IV magnis columnis, ſuis cum epiſtyliis; erectumque in publica platea

juxta ædes fabri cujuſdam ferrarii, inter por-
tam *la Veze*, quam ſub adventum noſtrum ingrediebamur, & montis caſtrum, *la Pierre Cize*. De hac ſepultura variæ ſunt opiniones. aliqui putant, Herodem Iohannicidam, cum Herodiade in exilium pulſum, Lugduni mortuum eſſe, & ſub his ſaxis cum ſuo ſcorto ſepultum jacere. alii ſunt, qui duorum amantium volunt eſſe monumentum, è Sicilia exulatum qui iverunt diverſis & oppoſitis quaſi viis & itineribus; iiq́ue poſteà Lugduni iterum convenêre, vitamq́ue in mutuo amoris officio finiêre; unde conſtantiæ & mutui adfectûs hoc iis publicum poſitum ſit monumentum. De Herode conſtat, ipſum ob facinora deportatum eſſe in exilium ad provinciam Lugdunenſem; num verò ideò Lugduni ſepultus ſit, credant qui volent.

Tantum de ſacris ultra Ararim: *Cis Ararim* etiam quædam notabimus. In deſcenſu de monteSebaſtiani eſt templum *religioſorum Carmelitarum*, non magnum quidem, verùm inſigne, in quo ſepultura illuſtriſſimæ uxoris Domini d'Halincourt, magnifica & ſuperba, cum aureo hoc epitaphio:

Icy giſt Dame Iacqueline de Harlay, Dame d'honneur de la royne mere du roy, fondatrice de la maiſon & monaſtere des religieuſes Carmelites de ceans. Femme de hault & puiſſant Seigneur Meſſire Charles de Neuf ville, Seigneur d'Halincourt, Marquis de Villeroy, Viscomte de la Foreſtz Thaumier, Baron de Bury, &c. Chevalier des ordres du roy, Conſeilleur en ſes conſeils d'eſtat & privé, Capitaine de cent hommes

d'armes

d'Armes de ſes ordonnances, Seneſchal du Lyonnois, gouverneur & Lieutenant pour ſa Majeſté, en la ville de Lyon, pays de Lyonnois, Foreſtz & Beaujollois. Laquelle deceda le quinzieſme jour de mars, mille ſix cens dixhuict.

Porrò offenditur in deſcenſu templum *Sancti Petri*; & ſtructura & monumenta oſtendunt antiquitatem & celebritatem. Non procul à muro templi lapis eſt magnus, cui unicum ſaltem hoc verbum litteris majuſculis eſt inſcriptum:

R. ATTILA.

In hoc antiquo templo penes altare magnum, ad ſiniſtram, legitur hoc epitaphium, antiquis ſed legibilibus litteris lapidi magno inciſum:

C. IULIO SEVERINO
SEQVANO OMNIB.
HONORIBUS IN-
TER SUOS FUNCTO
PATRONO SPLENDI-
DISSIMI CORPORIS
IN RHODANI COR ET
ARAR CUI OB INNOC
MORUM ORDO CIVI-
TATIS SUAE BIS STATUAS
DECRÉVIT INQVISITORI
GALLIARUM TRES
PROVINCIAE GALL.

Huic ad dextram aliud ſtat oppoſitum:

TIBER POMPEIO
POMPEI TI FIL
PRISCO CADUR
CO OMNIBUS HO
NORIBUS APUD SUOS
FUNCT. TRIB. LEG. V.
MACEDONICAE
IUDICI ARCAE
GALLIARUM III
PROVINC. GALL.

(Iudex arcæ Galliarum dictus fuit antiquitùs præfectus rei pecuniariæ; hodiè *le Preſident des finances.)* Recentiora ibidem notavimus duo. Alterum tale erat:

HIC SITUS EST CLAUD. BELIURIUS. V. C. DELPHIN. SENATUS PRAESES PRIOR. CUIUS INNOCENTIA HOMINUM INVIDIAM PROVOCAVIT ET SUPERAVIT. VIXIT ANN. LXX. M. VII, D. VII. IOANNES ET POMPONIUS PATRI OPT. POSUER. ANN. M D LVII.

Alterum, juveni Bohemo erectum, tale erat:

D. O. M. S.

Ioanni VVettengel de Nevvenberg, natione Bohemo, è regia Praga oriundo, cùm florentiſſ. Galliarum & Angliæ regnis perluſtratis in Italiam iter pararet, juveni ad ſummum virtutis & gloriæ faſtigium pleno curſu contendenti, in ipſo ætatis flore,

flore, ardenti febri abrepto, filio cariſſ. PP. mœſtiſſ. Deo animam commendantes inter lachrymas & ſuſpiria hoc monumentum P. CC. Anno à Virginis partu ſupra ſeſquimilleſimum XXCIIIX, menſe julio exeunte, C. V. ann. XIIX, M. X, D. L.

Parcito (dicebam) juveni mors atra. Sed illa
Inſultans miſerum ſuſtulit ante diem.
Quisquis es, heu! fruſtra fædis juvenilibus annis;
Pallida mors nullum novit habere modum.

In ſpe firma reſurrectionis quieſco.

Huic templo adſitæ ſunt *moniales;* quarum reditus ut ſunt lauti & ampli; ita earum formæ dicuntur eſſe præſtantiſſimæ.

Non longè hinc abeſt templum *D. Coſmi.* Pars ejus exterior habet inſcriptionem ſub Veſpaſiano erectam, vix ab antiquitate mutilatâ tantum de ea legi poteſt:

CN O
O
ANNO SE
SPASIANI VIT
IMP. AVG F.
F. GALLIA.

Huic templo contigua eſt domus, in qua hæc inſcriptio, tripartitam Galliæ diſtinctionem habens:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

SERVILIO
MARCIANO
ARVERNO
C. SERVILI
DOMITI FILIO
SACERDOTI. AD
TEMPLUM ROMAE
ET AUGUSTORUM
TRES PROVINCIAE
GALLIAE.

Ne obliviſcaris templi *Iacobinorum*, vulgò *noſtre Dame de Confort*; quod Germanorum heîc denatorum eſt dormitorium, ſitum in area de Confort. Lapidi ſepulchrali inſculpta ſunt hæc verba: *Icy eſt la ſepulture des Allemans Imperiaux.* Aquilam æneam, inſigne Romani Imperii, ſepulturæ impoſitam, furto ſacrilega manus abſtulerat; teſtantibus literis hiſce, quas ſupplices illius Ordinis monachi nobis offerebant: eas hûc in elogium noſtræ nationis adponere voluimus: *Sereniſſimis Principibus, Ducibus, ac Marchionibus; generoſis Comitibus & Baronibus; nobiliſſimis, nec non reliquis eruditione & virtute clariſſimis viris Germanis peregrinantibus, atque hoc tempore Lugduni commorantibus, religioſi, conventus Dominæ de Confort, ipſorum ſervitiis addictiſſimi, utramque ſalutem humili devotione precantur. Sereniſſimi Principes, Duces, & Marchiones, generoſi Comites ac Barones, nobiliſſimi, nec non reliqui eruditione & virtute clariſſimi viri: Natio veſtra Germanica, armis ac literis celeberrima, & laudatiſſimis dedita pere-*

grina-

grinationibus, Ordinem noſtrum, qui eſt DOMINICANORUM, *jam dudum tantâ benevolentiâ complexa eſt, ut, ſi alicui Germano inter peregrinandum aliquid humanitùs acciderit, in noſtri Ordinis eccleſiis potiſſimùm ſepeliri voluerit. Teſtes ſunt Bononia & Siena in Italia; teſtis eſt hæc ipſa Lugdunenſis civitas, in qua inclyta veſtra natio ducentos abhinc annos & ampliùs ſepulturæ jus obtinuit: id quod antiquis monumentis probari poteſt: nec ita pridem demonſtravit inſigne Romani Imperii, Aquila ænea ſepulturæ impoſita; quam malitia improborum furtim ſuſtulit: religioſa beneficentia bonorum ex veſtra natione, brevi, ut ſperamus, reponet. Nimirum veſtra natio Ordinem noſtrum naturali propenſione ſequitur, ſingulari affectione proſequitur; quia novit, Sanctum* DOMINICUM, *Ordinis noſtri authorem, natum eſſe ex illuſtri* GUZMANORUM *familiâ; quam ex Germania oriundam magnitudo animi & prudentia in Hiſpaniam tranſtulit; opibus, honoribus, atque dignitatibus ibidem auxit. Vos igitur, præclara clariſſimæ nationis lumina & columina, ſubmiſsè & obnixè rogamus, ut memores antiquiſſimæ affectionis, conſuetum favorem nobis etiam hoc tempore exhibere, & quia ornamenta ſacra, quæ habemus, pleraque continuo uſu attrita ſunt, ad parãda nova neceſſitati noſtræ ſuccurrere dignemini. De liberaliſſima munificẽtia veſtra, eâ qua par eſt, humilitate, hoc nobis pollicemur. Cùm enim vel majores, vel cognati, vel affines veſtri, Deo Opt. Max. ipſos in peregrinando ex hujus vitæ miſeriis evocante, corpora ſua mortua, veluti pretioſa pignora charitatis, Ordinis noſtri*

cuſtodiæ committere non dubitarint; ſpes certa nos fovet, fore, ut liberalitas vobis ingenita, Deo juſtiſsimo recompenſatori fœneratura, hoc beneficii apud nos collocare velit. Facietis rem ipſi Deo gratam, vobis honorificam, Ordini noſtro neceſſariam. Nos viciſsim perpetuam ejus memoriam gratiſsimis animis ſubmiſsè recolentes, veſtra itinera, illisq; peractis, illuſtres ac præclaras actiones veſtras piis votis proſequemur. Valete.

In hac urbis parte eſt etiam templum *S. Bonaventuræ*, à *Franciſcanis Cordigeris* inhabitatum. ubi hortus cum xyſto ſpatioſo; ibi hæc nota:

Noli	concupiſcere credere dicere facere	omnia quæ	vides. audis. ſcis. potes.

In templo ſunt trium Noribergenſium monumenta, cum inſcriptionibus Latinis & Germanicis; quas enotare non potui.

Hinc te confer ad templum dictum *l'Abbaye de Sainct Aiſne*; quod omnium Lugdunenſium ædificiorum eſt antiquiſſimum. Heîc loci magnificentiſſimum totius Galliæ templum erat poſitum, Auguſto Cæſari dicatum. De illo *ait Strabo lib.* IV: *Templum ibi ab univerſis Gallis communi deſignatione impenſum, & Auguſto Cæſari dicatum, ante hanc urbem ædificatum eſt, ubi fluviorum eſt coitio; ad radicem enim templi illius Araris ac Rhodanus confluunt.* Hodie nihil magnificentiæ ibi, multum verò antiquitatis. Videatur *Suetonius in vita Claud.*

Budæus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Badæus lib. IV *de aſſe. Alex. ab Alex. lib.* V *genial. dier. c.* VII. In hoc templo *duæ erant aræ. Altera*, quæ magnificentiâ & opificio erat eminentior, inſcripta erat honori Auguſti, anno V. C. IↃ CC XLIV, ejus imperii XXXIV, I julii, Anton. & C. Fab. Afri. Coss., eodem die quo Claudius Nero eſt natus. Ex hac ara ſingulis diebus Auguſto oblata ſunt ſacrificia, pompâ tanquam alteri Iovi, per ſacerdotem. Vide Florum in Epitom. lib. III. *Altera ara* erat omnibus communiter Galliæ provinciis conſecrata; quæ tum temporis LX numerabantur. Hæ provinciæ ſua nomina pyramidi, ad dictam aram erectæ, inſculpſerant, tutelarium ſtatuis adpoſitis, quæ in publicis feſtis & ſolemnitatibus circumferebantur. Vide *Strabon. lib.* IV, dicentem: *Adeſt ara dignitatis eximiæ, gentium* LX *inſcriptum habens titulum; earum ſingularum ſtatua una: alia ſubinde ingens locata eſt ara.*

Iuxta templum erat *academia*, à Romanis inſtituta, & Minervæ conſecrata, tùm quòd hęc literarum dicitur tutrix & præſes, tùm quòd, Maſſilienſes illius ſubſidio multoties defenſos fuiſſe, opinio erat. Excolebatur in hac palæſtra maximoperè Eloquentia, inque ea multum juventus exercebatur, teſte *Sueton. in Caligul.* dicente: *Eloquentiæ plurimum attendebat, facundusq; ac promtus edidit in Gallia Lugduni miſcellos ludos, ac certamen quoque Græcæ Latinæq; facundiæ, &c.* Rhetoricis hiſce exercitiis intererant viri graves, quorum ad adſpectum juvenes facundi expallere poterant, ut habet Iuvenal.

Pal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Cauſa palloris ſubeſt; nam in palæſtra hac rhetoricâ victus tenebatur linguâ ſuâ aut ſpongiâ madidâ eluere ſcripta in honoris ſui decrementum, niſi eligeret in proximo fluvio prælabente mergi.

Hodie adhuc locus vacat abbatiæ pontificiæ. in templo ad aram primam *Paſchalis* Pontificis dicitur eſſe ſepulchrum, qui auctor hujus templi dicitur, à verſu:

Hanc ædem ſacram Paſchalis Papa dicavit.

Ibi ſacellum in choro, continens XIV *Sybillas* cum ſuis vaticiniis; quæ tamen motibus civilibus maximam partem peſſumdatæ ſunt. Ibidem monſtratur *lapis* inſtar menſæ, qui Rhodano ſine ſubmerſione innatans adportatus eſt. ſupplicium in hoc de Photino ſumptum dictitant. In periſtyliis monachicæ eruditionis legitur epitaphium:

Virgo, Dei mater, Stephani miſerere Boniti,
Qui jacet hic, monachi venerabilis atq; periti.
Feſto namque tuo vitâ deceſſit ab iſtâ
Iſtius eccleſiæ cantor ſimul atque ſacriſta.

Nec procul ad dextram:

Vmbertus Sulimas, quem lux à fine decembris
Sexta dedit fatis, hac requieſcit humo.
Lux æterna Deus, &c. &c.

Inde egredientibus ad Ararim obvenit antiquus fornix, qui habet duas columnas lapideas & regis inſignia: *Vn Dieu, un roy, une loy, une foy.*

Ad portam Rhodani eſt *templum Spiritus S.* ab

ab opificibus nonnullis exſtructum, habitantibus in Rhodani platea. Origo ejus eſt à geſticulatione quadam, quæ feſto Pentecoſtes Lugduni exhibetur à perſonato quodam equite, vel potiùs equo, quem adpellant *le cheval fol*; id eſt, equum fatuum. Sic verò ſe habet: Regnante Carolo VI, anno Chriſti cIↄcccciii, infima fex plebis, ex opificum & vilium hominum colluvie, conflata, imperium urbis adfectabat, facto tumultu & ſeditione; quæ tamen mox compoſita & ſedata eſt, lato edicto, ut in tumultûs hujus memoriam, feſtivitatibus Pentecoſtes qui acciderat, quotannis homo quidam perſonatus per urbem iret, in capite coronam, in manu gladium geſtans, ſuppoſititiis capillis, iiſque paſſis, linteo femoribus alligato & in formam equi concinnato. Hoc ſpectaculo monere volunt vulgus, quàm non modò fatuo animo regatur reſpub. tempore pacis, ſed etiam ingruentibus bellis defendatur armis hebetibus, ſi ſumma reipubl. & rerum gerendarum commiſſa eſſet & demandata plebi. Ab hoc tumultu quia alieni fuerant opifices vicum Rhodani incolentes, indultu magiſtratûs, nec non in parte ſuppeditatis ſumtibus, exſtruxerunt templum hoc Sancti Spiritûs.

Hinc ad *templum Cæleſtinorum* in ripa Araris ire potes; videbis egregium monaſterium, ubi olim Sabaudiæ Ducis aula fuit.

Vltimò te duco ad XENODOCHIA, quæ ne relinquas inviſa, quòd Galliæ cum omnibus certant Lugdunenſia. nova ſunt; ordine & formâ afficiunt: diſtinctæ contignationes pro pauperibus, infantibus, ſenibus, ægris, orbis, expo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

expoſititiis, luſtrantem oblectant, & ad eleemoſynam invitant. Proceſſum celebrant ſub feriis Paſchalibus.

Tantum de ſacris ædificiis. *Politica* nunc reſtant. Inter quæ primò videbimus CURIAM: quæ *nova* & *vetus* eſt. In *nova* videbis regis imaginem, inſignia, & alia egregia opera. *Vetus*, jam in uſus privati mercatoris abiit. Aream habet, in qua duæ æneæ tabulæ ſuſpenſæ videntur, Romano charactere ſcriptæ: dicuntur eſſe reſcriptum Imperatoris Claudii, quo cives Lugdunenſes jure civitatis Romanæ donati ſunt. Fecit hoc ut amorem ſuum erga civitatem, & civitatis fidelitatem in rempubl. Roman. teſtaretur; gratus in patriam, quam habuit pro nativitatis domicilio. Prior verò tabula ſic habet: *Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maximè primam occurſuram mihi provideo, deprecor, ne quaſi novam iſtam rem introduci exhorreſcatis, ſed illa potiùs cogitetis, quàm multa in hac civitate novata ſint, & quidem ſtatim ab origine urbis noſtræ in quot formas ſtatusq; reſpub. noſtra deducta ſit. Quondam reges hanc tenuêre urbem. ne tamen domeſticis ſucceſſoribus eam tradere contingeret, ſupervenêre alieni, & quidam externi, ut Numa Romulo ſucceſſerit ex Sabinis, veniens vicinus quidem, ſed tunc externus, ut Anco Marcio Priſcus Tarquinius, propter temeratum ſanguinem, quòd patre Demarato Corinthio natus erat, & Tarquinienſi matre, generosâ, ſed inopi; ut quæ tali marito neceſſe habuerit ſuccumbere cùm domi repelleretur à gerendis honoribus. Poſtquam Romam migravit, regnum adeptus*

adeptus eſt huic quoque, filio, nepotibusque ejus: Nam & hoc inter auctores diſcrepat: Inſertus Servius Tullius, ſi noſtros ſequimur, captiva natus Ocreſia, ſi Tuſcos, Cœlii quondam Vivennæ ſodalis fideliſſimus, omnibusq; ejus caſus comes, poſtquam variâ fortunâ exactus, cum omnibus reliquis Cœliani exercitus Etruriâ exceſſit, montem Cœlium occupavit, & à Duce ſuo Cœlio ita appellitatus, mutatoq; nomine (nam Tuſcè Maſtarna ei nomen erat) ita appellatus eſt, ut dixi, & regnum ſummâ cum reip. utilitate obtinuit. Deinde poſtquam Tarquinii ſuperbi mores inviſi civitati noſtræ eſſe cœperunt, quâ ipſius, quâ filiorum ejus nempe pertœſum eſt, mentes regni & ad Conſules, annuos Magiſtratus, adminiſtratio reipubl. tranſlata eſt. Quid nunc commemorem dictaturæ hoc ipſo conſulari imperium valentius, repertum apud majores noſtros, quo in aſperioribus bellis aut in civili motu difficiliori uterentur? aut in auxilium plebis creatos tribunos plebis? quod à conſulibus ad decem-viros tranſlatum imperium, ſolutoq; poſtea decemvirali regno ad Conſules rurſus reditum. Quid I M. .... diſtributum conſulare imperium, Tribunosq; militum conſulari imperio appellatos, qui ſeni & ſæpe octoni crearentur? quid communicatos poſtremò cum plebe honores non Imperii ſolùm ſed ſacerdotiorum quoque. Iam ſi narrem bella à quibus cœperint majores noſtri & quo proceſſerimus, vereor ne nimio inſolentior eſſe videar; & quæſiiſſe jactationem prolati Imperii ultra Oceanum; ſed illac potius revertar civitatem. Altera tabula ænea ad ſiniſtram ſic habet: *Cæſar omnem florem ubique coloniarum ac muni-*

municipiorum, bonorum ſcilicet virorum & locupletium, in hac curia eſſe voluit. Quòd ergò non Italicus Senator provinciali potior eſt, jam vobis, cùm hanc partem cenſuræ meæ approbare cæpero, quid de ea re ſentiam, rebus oſtendam; ſed ne Provinciales quidem, ſi modò ornare curiam poſſint, recipiendos puto. Ornatiſſima ecce colonia valentiſſimaq; Viennenſium, quàm longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert. ex qua Colonia inter paucos equeſtris ordinis ornamentum L. Veſtinum familiariſſimè diligo, meis deſtino; cujus liberi fruantur, quæſo, primo ſacerdotiorum gradu, poſtmodò cum annis promoturi dignitatis ſuæ incrementa. ut dirum nomen latronis taceam. & odi illud palæſtricum prodigium quod ante DN. *domum conſulatum intulit quàm colonia ſua ſolidum civitatis Romanæ beneficium conſecuta eſt. idem de fato ejus poſſum dicere, miſerabili quidem indigniſſimoq; hoc caſu, ut vobis utilis Senator eſſe non poſſit. Tempus eſt jam,* TI. *Cæſar Germanice, detegere Te patribus conſcriptis, quo tendat oratio tua. jam enim ad extremos fines Galliæ Narbonenſis veniſti. Tot ecce inſignes juvenes, quot intueor, non magis ſunt pænitendi Senatores, quàm pænitet Perſicum, nobiliſſimum virum, amicum meum, inter imagines majorum ſuorum Allobrogici nomen legere. Quod ſi hæc ita eſſe conſentitis, quid ultrà deſideratis quàm ut vobis digito demonſtrem, ſolum ipſum ultra fines Provinciæ Narbonenſis jam vobis Senatores mittere, quando ex Lugduno habere nos noſtri ordinis viros non pænitet. Timidè quidem, P.C., egreſſus adſuetos familiaresq; vobis provinciarum terminos ſum ..... ſed*

de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

diſtrictè jam Comatæ Galliæ cauſa agenda eſt; in qua ſiquis hoc intuetur, quòd bello per x annos exercuerunt Divum Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obſequiumq; à tergo pacem præſtiterunt. Et quidem, cùm adſcenſus novo tum opere & in .... ſit nobis; nunc, cum maximè, quamvis nihil ultrà quàm ut publicæ notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus. Tantum de mutilo iſto reſcripto, quo Imperator Lugdunenſes voluit recipere in jus civitatis Romanorum. Verùm, quia Imperatores nondum habebant jus regium; ideò Senatus neque eos recipere voluit pro civibus Romanis plenis, qui gaudebant jure publico civitatis in judiciis magiſtratibusque petendis, ſuffragiis etiam ferendis; tales ſiquidem habebant ſua domicilia Romæ, & in cenſum erant adſcripti, ſive cives eſſent originarii, ſive aſſumti. Lugdunenſibus verò & aliis è Comata Gallia Senatus largiebatur, ut in numerum civium ſemiplenorum adſcriberentur, qui jure teſtamentorum, tutelarum, matrimoniorum, & patriæ poteſtatis, fruebantur. Convenit hoc cum Tacito lib. xvii, qui dicit: *Primores Galliæ, quæ Comata dicitur, civitatem Romanam pridem adſecuti erant.* Penes has tabulas in ipſo muro poſitus eſt alius lapis ſepulchralis:

Nobilis. Tib.
Caesaris. Aug.
ser. aeqv. monet
hic adqviescit
Iulia adepta coniunx
II. perpetua filia d. s. p.

His

His viſis, confer te ad ASYLUM LUGDUNENSE, ſitum penes templum, nî fallor, ſancti Niſieri, quo perfugis tutum receptaculum. Area eſt, in cujus medio pyramis & fons ferreis cancellis cluſus. Portarum tibi ſcribam lemmata:

PIETAS FELICIS ANIMI STATUS, FONS ET SEDES;

CÙM HUC PERVENERIS, FINIS EST.

Aliud: ADHAERERE DEO BONUM EST.

Aliud, ubi tria cadaverũ capita muro impoſita:

QUOD ADEST, MEMENTO COMPONERE AEQUUS.

Aliud: VINDEX ET ASSERTOR TUI AUDE ESSE FELIX.

Aliud ſupra portam, cui columna quadriformis impoſita:

HAC ITUR AD SECURITATEM.

Multo de aſylis ſcripto & jure non te morabor; ſi otium eſt, eruditiſſimum *de Iure aſylorum Petri Sarpi Itali* ſcriptum vide; non ſine eruditione te dimittet. Vide etiam *Euphormionem in præfat. apologiæ ſuæ*: nec non *Keckerm. in diſput. de rebuspub. priſcis, aphor.* LVIII.

Hinc in HORTUM te deducam Gubernatoris, ſat amplum, porticuum & ambulacrorum amœnitate jucundum; domeſticis etiam eduliis conſitum. Lucus diverſis ex arboribus in medio eſt ſat denſus; habitatio luſciniarum ſuaviſſimâ harmoniâ aures ferientium. Muro impoſita ſtatua conſpicitur; ſub qua:

Iſtius domûs vivat hoſpes.

BERTHEAS

la barbe poſuit

P. C.

Sub-

Subtùs ſemicirculo inſcriptum eſt:

Vnde ſuperbit homo, cujus mortalis origo,
Et præter numen cætera ſumus erunt!

Hinc ad *armamentarium, la Rigaudiere* dictum, non ita à multis annis novo muro circumductum. tormenta non adeò multa in eo numerabamus.

A ſeriis ad ludos, ad *ſphæriſteria*, te ducam; quæ xxv in urbe numerari audio; inter quæ ultra Ararim unum aſcendi, ſub alto tecto in ſuprema ædium contignatione ſitum, viſu mirum & rarum.

Dum ultra Ararim verſaris, inviſe ad *domum Antiquariam, l'Antiquaille*, in trivio montis Veneris ſitam; ubi vetus hæc inſcriptio:

M. AETERNAE L. CL. RUFINI
CL. HUNC VIUS STIGIAS RUFINUS
AD UMBRAS INSTITUIT
TITULUM POST ANIMAE REQV-
IEM QVI TESTIS VITAE FATIS
SIT LEGE FUTURUS CUM DO-
MUS ACCIPIENS SAXE CORPUS HA-
BENS. QVOQVE MEAM
RETINET VOCEM DATA LITTE-
RA SAXO VOCE SUA VIVET
QVISQVE LEGET TITULOS
RATIO HIC SITUS EST IVVE
NILI ROBORE QVONDAM
CUI SIBI MOXQ. SI .... SI NUTRICI
MARCIANAE ITEM VERINAE
COLLATIA HAC MONUMENTA
DEDIT ET SUB ASCIA
DEDICAVIT
CURAE CL. SEQVENTE PATRONO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ita mutila hæc & interrupta, ut, quid ſibi velint, non aſſequar.

Eàdem itione, antequam montem Veneris adſcendis, in horto quodam videre potes antiquum ſub terra Romanorum opus; *la grotte berluce* quod adpellant. E quadrato lapide in longitudinem producti ſunt v fornices, x cubitos alti, v lati: è traverſo itidem III ſunt, ejuſdem ferè cum prioribus longitudinis ac latitudinis. De uſu variant capita: Quorumdam opinatio eſt, thermas aut balnea antiquis temporibus hîc fuiſſe; quæ ſi vera, neſcio quomodo reſpirationi aut ſpiraculis fuerit ullus locus, cùm omnes denſâ terrâ oppletæ ſint concamerationes. Quorundam hæc veriſimilior eſt ſententia; Vſum ciſternarum præbuiſſe hos fornices, cùm Saraceni Galliam vaſtantes, hanc urbem multis difficultatibus, nec non aquarum inopiâ, adfligerènt.

Altiùs ſi lubet antiquitates luſtrare, aſcende ad portam *Triumfintium.* (*la porte de Trions.*) Hunc ad locum aquæductus ſimplices exteriùs venientes in tres diviſi ſunt canales, ut diverſis ita incolarum locis inſervirent: niſi cum Claudio de Rubiis lib. I, cap. x, velis aſſerere, locum hunc à triplici aquarum ſcaturigine nomen ſuum ſortitum; quemadmodum illum fontem extra Romam ad ædem Divi Pauli, (quæ una eſt è VII primis Eccleſiis, diebus paraſceves viſitandis,) ubi is decollatus, nomen ſuum accepiſſe, Romana plebs nobis retulit.

Sufficiant hæc de Materiali urbis: FORMALE eſt in *regimine,* & *ſubditorum ſtatu.*

Regimen *in ſpiritualibus* eſt penes archiepiſco-

piſcopum Lugdunenſem, qui non ſolum per hunc tractum, ſed per omnem Galliam eſt Primas.

In politicis regis loco eſt Gubernator, toti territorio præfectus: Vir excellentis formæ, magnæ dignitatis, humanæ mentis, cui pro cuſtodiâ Helvetii ſunt perpetuâ: huic ſuus eſt locum-tenens. Quoad jura Majeſtatis & Regalia majora, conſtitutus eſt regis Procurator cum reliquis ei adjunctis.

Ita *habent publica: Civitatis verò regimen Optimatibus* eſt commiſſum, & ad ariſtocratiam vergit. Poteſtas eligendi magiſtratum eſt penes populum & opifices, ſed reſtricta, & certis limitibus circumſcripta. Cùm Senator novus eſt eligendus, tunc magiſtratus totus convenit, & ex opificibus quoſdam primores ſeu Magiſtros eligit & nominat. horum eſt deinde, votis ſuis novum eligere Senatorem, quem magiſtratus in ſuum ordinem adſciſcit. Hinc anno cIↃ IↃ XVI opifices, contra Senatum inſurgentes, Optimatibus Lugdunenſibus magnas movêre ſeditiones; Volebant ſiquidem opifices, ut ſibi illa privilegia darentur; ſe quoque judicio pollere, Senatumque jam ſatis diu ſummæ rerum præfuiſſe; tempus jam eſſe, ut opifices quoque ad clavum reipublicæ ſedeant. Verùm Parlamenti ſedulâ curâ & tempeſtivâ interventione, ſeditio illa ita compoſita fuit, ut Senatoribus clavus reipubl. gubernandus manſerit. Rurſus anno cIↃIↃ XXIX popularis alius motus fuit, dum plebs in ditiorum ædibus frumentum tantâ copiâ contineri ajebat, ut putreſceret, interim ſe extremâ inopia laborare;

rare;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

rare; eapropter granaria illa cœperunt invadere, deprædari, & nihil non inſolentiarum peragere. quæ res Franciſcum I Regem movit, ut tumultûs illius capita dignis pœnis afficeret.

SUBDITORUM ſive *Civium* ſtatum videbimus *in religione, & extra eam.*

Maximam partem cives ſunt pontificiæ religioni addicti: dixerim tamen, mille & plures eſſe, qui reformatam amplexi publicè & seriò defendunt; ideoque etiam, cum in urbe exercitio publico deſtituantur, regis clementiſſimo indultu ædificarunt ædem Dei in pago VLIN, qui horæ vel præterpropter intervallo ab urbe abjunctus, in quo ſingulis diebus Dominicis ſacra ſua concionando & cantando peragunt. Si quem Reformatorum contigit mori in urbe, monaſterium eſt monialium juxta aream de Confort, in quod ſub noctem citra omnem pompam infertur, terræque demandatur. Nota circa religionem reformatam, quòd anno cIↃcLX Lugduni prodierit civis quidam, Iohannes VValdo, ſacras litteras doctus; hic ſe Pontifici & ejus doctrinæ oppoſuit; unde hodiè ſuperſunt VValdenſes. *Bienen-korb p.*4. b.

Extra religionem, ſubditi florent *mercaturâ* & *opificiis.* Quæ incrementa ſua habent per Ararim & Rhodanum heic confluentes. Arari fluvio ſecundo defertur frumentum, vinum, carbones, è Burgundia: Rhodano, licet flumine adverſo, aſcendunt è Delphinatu, Provincia & Languedocio generoſiſſima vina, mala citria, aurantia, merces item ex Hiſpania & Italia. Non eſt quod heic quid deſideres in ſericis, pannis,

pannis, linteis; nec quod literatos tangit, in libris: officina heic eſt librorum & emporium, qui æquo pretio addicuntur, & in omnes Europæ plagas exportantur. Quo non parùm faciunt IV mercatus annui, à Carolo VII & Ludovico XI regibus conceſſi; nimirum feſto III regum, Paſchatos, menſe auguſto, & omnium ſanctorum, magno cum exterorum commodo, præter Genevenſium, qui hinc multùm vapulant, dum ab iis negotiationes huc transportatæ ſunt. Commendati ſunt etiam olim cives à FIDELITATE, quâ Romanos Imperatores coluêre: eamque teſtati ſunt anno Chriſti CCCLVI, Conſtantio Imperatori. ſub quo cùm Maxentius Tyrannus hinc inde ſæviret, Lugdunumque commorandi per aliquod tempus gratiâ veniret, ecce cives illum apprehendere, captivumque Conſtantio ſiſtere voluêre. Hic ſicâ occultâ violentas ſibi injicit manus, lateréque perfoſſo, ita ut ſanguis per os & nares efflueret, vitam perdit; Ita exſtinctum Lugdunenſes obtulerunt Conſtantio, qui gratâ mente agnovit fidelitatem; &, licet Arrianus eſſet, Lugdunenſibus religione diſcrepantibus parcere juſſit.

Ita habet *Formale in quiete: In adverſis* alia fuit facies; quò clades & ruinæ urbis referantur, ex Hiſtoricis Romanis à nobis breviter videndæ.

Prima, quæ *anno V.C.* IↃCCCXIIX, *Neroniani Imperii* XI, *Chriſti* LXVIII, *ab ædificata à Planco urbe* CVII, evênit, miſerrima eſt: Ignis enim de cœlo lapſus, voraci flammâ in cineres univerſam urbem dedit, ut ſequenti die

Q villici

villici foràs urbem accedentes, ne unicam quidem domum invenerint. Seneca Epiſtola XCI ad Lucil. ait: *Tot pulcherrima Lugdunenſis coloniæ opera, quæ ſingula illuſtrare urbes ſingulas poſſent, una nox ſtravit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri poteſt, accidit. Quis hoc credat? ubique armis quieſcentibus, cùm toto orbe terrarum diffuſa ſecuritas ſit, Lugdunum, quod oſtendebatur in Gallia, quæritur. in hac ruina, una nox fuit inter urbem maximam & nullam.* Hunc interitum ut repararent Lugdunenſes, liberali munere Imperator Nero eos juvit, ut habet *Tacitus, lib.* XVI *annal.* dicens: *Cladem Lugdunenſem quadragies ſeſtert. ſolatus eſt Princeps (Nero,) ut amiſſa urbi reponerent.* Quam ſummam *Budæus lib.* II *de aſſe* dicit, collato cum noſtro ære, efficere centum millia aureorum.

Altera clades ſub Septimio Severo, anno Chriſti CC, accidit, horrenda & ob id dolenda. Imperator hic, ut nulli nec amicorum nec inimicorum parcebat, ita in mares, fœminas, pueros, puellas, innocenteſque infantes tantâ ſæviebat crudelitate, ut ſanguis è corporibus effluens & vicos & fluvios tingeret, ut videre eſt in Iulio Capitolino. Hic non contentus hoc hominum & inhabitantium macello, ad ædificia ſe convertit, quæ omnia demolitus eſt & evertit; à templo Auguſti nihil, quod antiqui Lugduni formam referret, relinquens: ita placuit tyranno urbem incendio perire, velut Neroni Romam: imò alter Hannibal erat, qui inſpectâ humani ſanguinis plenâ foſsâ, pulchrum eſſe ſpectaculum non erubuit dicere.

Cauſa verò tantæ crudelitatis in Severo hæc fuit: Albinus quidam, quem Severus Imperator vocabat fratrem ſuum & Cæſarem, in Gallia nomen & titulum Imperatoris uſurpans, provinciæ iſti inhiabat; hunc Lugdunenſes, nihil fortè hac hoſpitalitate contra Cæſarem ſe delicturos arbitrantes, in urbem ſuam receptum, hoſpitali ſuſtentatione fovêre. Hoc factum Cæſar Severus in contemptum ſui interpretans, cives omnes criminis læſæ Majeſtatis arguebat, condemnabat, dirâque hac executionis pœnâ mactabat, non cogitans, ſe ipſum in cauſa eſſe, quòd Lugdunenſes Albinum, quem ipſe Cæſar antè ſuum fratrem nominârat, tanquam Imperatoris amicum in hoſpitium ſuum receperint. Verùm ut verſus habent:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges & ſiccâ morte tyranni.

Ita Severo huic accidit, qui dum membrorum omnium, inprimis verò pedum, maximum dolorem ſentiret, nec pati poſſet, loco veneni, quod ei negabatur, cibum & maſſas plurimæ carnis avidus invaſit: hujus cruditate cùm conficere non poſſet, preſſùs miſerè interiit.

Tertia clades anno Chriſti CCCL accidit, teſte *Ammian. Marcellin. lib.* LVI, cùm Germani urbe captâ eam ſpoliarent: quos tamen Iulianus circumventos interfecit, ſpoliaque ipſis ademit.

Quarta clades ſub Theodoſio Imperatore fuit, anno Chriſti CCCCXXXV, cùm Hunni & ipſorum rex Attila Galliam vaſtarent & depopularentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Quinta anno Chriſti IↃCCXXV, ſub Carolo Martello, Caroli M. avo, accidit, ubi Gothi & Saraceni urbem obſiderent & deprędarentur.

Tantum de antiquis cladibus; novas ſuperſedeo adjicere, cùm non interitum ſed incrementa urbi voveam, pro grato hoſpitio, mihi exhibito; eaprópter cum hoc elogio deſcriptionem ejus finiam:

Lyon, qui de la France ſers de force & rempart;
Lyon, qui de plaiſance reluis de toute part:
La riviere du Rhoſne, doucement decoulant,
Qui embraſſe la Saoſne, te rendent opulent.

Extra hanc urbem reſtant nobis quædam loca viſenda. Nimirum, *primò*, INSULA BARBARA, (*l'iſle Barbe.*) de cujus ſitu & excultu videantur Paradinus lib. II, c. VI; & Claudius de Rubys. In templis hæc enotavimus: Mox in ingreſſu *templi S. Mariæ:*

Suſcipe, porta patens, porta cœleſtis imago,
Sanguine quos emit ſibi Virginis alma propago.

Ibidem *epitaphium Longini*, quod in introitu ſiniſtræ partis ad ſacellum B. Andreæ conſpicitur:

Qui ſalvatoris latus in cruce cuſpide fixit,
Longinus, hîc jacet.

Porrò in templo *S. Lupi:*

D. O. M.

S S. Martino & Lupo ſacrum, immani hæreticorum impietate ferro & igne vaſtatum & funditùs everſum anno

anno MDLXII, Deo auſpice & Ludovico XIII Gall. & Nav. Rege, R. D. Camillo de Neufville, inſulæ Barbaræ abbatis, Decani impenſis, & curâ vigilantiſſimi parentis D. Caroli de Neufville, D D. Halincourt, Marchionis de Villeroy, &c. Lugdunenſis provinciæ Proregis, in integrum reſtitutum. anno MDCXX.

Secundò, extra urbem quod notes, eſt *ædificium*, (LA DUCHERE,) c paſſus ab urbe ſejunctum, in colle peramœno prope Ararim ſitum. Hodiè agnoſcit Dominum de Nelleſtan, ad quem hereditate Franciſci Clappiſſonii Advocati regii, qui ſeceſſum hunc pecuniâ maximam partem luſu acquiſitâ dicitur ædificaſſe, devolutum eſt. Videamus hujus *ſitum* & *ædificium ipſum*. *Situs* ad invidiam amœnus, ad ſimilitudinem valdè rarus eſt, commodiore in montis parte, è qua quidquid aliorum montium vicinorum, vinearum, agrorum, pratorum, convallium, fruticetorum eſt, imò ipſam in pede montis leniter deſcendentem Ararim, non exiguâ oculorum recreatione, mentiſque voluptate, luſtrare poſſum. *Aedificium* reſpondet ſitui. Primæ portæ è lapide ſtructæ, ubi occipit introitus, inſcriptum eſt:

Rure tibi vivas; aliis, dum vixeris urbi.

Vbi hanc ingreſſus fueris, reſpice ſublatis oculis; ubi:

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt.

Mox via paſſuum Iↄ ccc circiter calcanda eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ultrò citroq́ue arboribus, maximam partem fructiferis, numero ccc LXXV, conſita; cujus terminus paullùm acclivior. ibi ad colliculum ciſterna; cui inſcriptum: *Benedicite fntes Domino.*

Inde uſque ad portam ipſius domus intra duos muros aſcenditur. Heic *ambulacrum* eſt; cujus parietes ſuperiores, XII Imperatorum primorum icones; inferiores, variorum animalium picturas oſtendunt. Ibi propè ludo *palle maille* dicata area. Ex ambulacro ad penitiora itio eſt. Extùs porta habet inſignia Procuratoris eleganti lapidi inciſa, nimirum leonem nigrum, oleæ ramum ungulis ſuis tenentem, cum lemmate: *Luctus forti ludus.* & paullò infrà: *Deus nobis hæc otia fecit.* Intùs portæ eidem inſcriptum eſt: *Pulchra, niſi abeundum eſſet.* paullò inferiùs: *Intravi ut exirem.* E regione iſtius portæ Henrici IV effigies muro adpicta:

Si du ſculpteur l'art & ſcience
Pouvoyent par un ſemblable traict
Graver ſa valeur & clemence,
L'ouvrage ſeroit tout parfaict.

Ipſa area eſt quadrilatera, grandioribus ſaxis ſtrata. Parietes oſtendunt animalia depicta vario poſitu ad recreandos animos; præ omnibus reſpice *urſum* ad fores introitûs ſiniſtrorſum, qui inſcios ferè terret, ita vivus videtur progredi. Hiſce foribus inſcriptum :


Tant de peine pour bien amaſſer,
Puis mourir, & tout laiſſer.

Verſum hunc ita reddidit Latinè celebris quidam medicus:

Solli-

Sollicito quod anheloſus collegeris ungue,
(Migrandum eſt,) aliis, quod legis, omne legis.

In area hac ſeu potiùs impluvio, egregius eſt *fons*, è monte proſiliens, cujus aqua in dolium influit & effluit, iſti verò dolio Bacchus inſidet inſtar equitis. Fontis latera habent inſcripta: *Sic oriuntur opes:* Et: *Sic moriuntur opes.* Ad dextram ſupernè hoc triangulum cum litteris circùm:



Quid ſibi velit, alium quære. Ad dextram propè hunc fontem aſcenduntur gradus. ibi ſupra portam: *Ex templo in templum.* Inde non procul alia janua, cujus ſuperiori parti appicta eſt Iuſtitiæ & Pacis imago, cum lemmate:

Vivitur ſic tuto divis cuſtodibus iſtis.

Ianuæ illi propè eſt *conclave*, in quo varia animantium genera, peculiaresque venationes videas. Ex eo in *hortum* ſuperiorem & inferiorem ſat amplum itur; in quo areæ ſunt occupatæ oleribus & herbis culinariis potiſſimùm. Inde in ſuperiores contignationes aſcenditur, ubi *conclave* tapetibus & peripetaſmatis aureis veſtitum, regum aliquot Galliæ & aliorum imagines habens; inter quas, ſi rectè memini, Bellarmini imago, diſtorto ore, cum diſticho hoc:

Ars utinam mores animumq́; effingere poſſet,
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Ianuæ hujus exteriori ſuperſcriptum eſt:

Heic ſtatio eſt, alibi portus.

Oſtenditur etiam *ſecretius conclave* Procuratoris, cum duobus procœtiis, *(avantchambres,)* formâ rotundâ, firmatum ponte penſili ſive verſatili, pro defenſione corporis; dicitur quippe multorum inimicitias ſibi contraxiſſe, & inde vitæ ſuæ inſidias, quas ut declinaret, ſeceſſum in hunc ſe coarctavit. Nec longè inde *exuviæ crocodilinæ* ſunt; animal iſtud in horreo quodam latitaſſe, & à ruſtico trajectum globo fertur; credat alius. Inde in SACELLUM ducebamur, hiſtoriis biblicis decoratum, multisq́ue lemmatibus inſcriptum. Fornix myſterium pietatis habet, cum his verſibus:

Tres unum, Deus eſt unus, tribus una poteſtas;
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Ad aquiminarium ſive vas luſtrale, lamina ænea muro incluſa eſt, cui hoc inſcriptum:

D. O. M.

Franciſcus Clapiſſon in præſidiali præfectura Lugdunenſi cognitor regius, ac publici juris vindex, & Margaretha Dulin, dulciſſima conjunx, ſuburbanæ hujus villæ ambo Domini, par conjugum fidiſſimum pientiſſimumq́ue, hoc ſacellum ſociali pietate auctum, ornatum, conſecratum, pro ſua in Divam loci tutelarem Marga-

Margaretham religione eidem nuncuparunt dedicaruntque: tum juſſerunt quotannis anniverſario Divæ natali ſacris faſtis adſcripto heic rem ſacram ritè fieri, ac diem feſtum feriatumque à Ducheriana familia univerſâ agitari: quæ ipſi omnia concordiſſimè vivi ſanxerunt, ne poſteros rogarent ex voto ſuſcepto. Anno MDCVI.

Eodem ferè modo clauditur hæc voluntas, (*ne poſteros rogarent,*) quomodo monumentum Ph. Decii Iuriſconſulti, quod Piſis in Campo Sancto de ſemetipſo factum legimus: *P P. poſtquam Decius ſtipendium mille quingentorum aureorum in auro pro lectura conſequutus fuiſſet ab excelſa Florentinorum repub., de morte cogitans, hoc ſepulchrum ſibi fabricari curavit, ne poſteris crederet.* In hoc monumentum adjiciam ſarcaſmum à Iano Vitale ſcriptum; quod dum in ſuburbano hoc ſeceſſu te delectas, non malè interpretaberis, amice lector:

Dum curat Decius ſibi ſepulchrum
Clarum marmore ponere eleganti,
Inſcripſit titulos ineruditos,
Vt riſum magis extorquere poßint,
Quàm laudare hominem undicumq; clarum:
Quod ſi non ſibi pulchrius ſepulchrum
Quàm doctos titulos & elegantes
Curaſſet, modò mollius jaceret.

E ſacello eundum eſt in *xyſtum*, LXX paſſus

longum, VII latum. Latera ejus varias picturas habent. inter eas tabula una, ubi gladii ſtricti multi:

Cùm tribus infelix ſerviret Roma tyrannis,
Hæc rerum facies, quam modò cernis, erat.

Superior pars varia emblemata & ſententioſa lemmata habet. quorum quædam hæc ſunt:

I. *Malum Punicum cum corona.*
Mihi cœlo, non ſorte, corona.

II. *Corona cui palma innexa.*
Tantis anguſtior una triumphis.

III. *Duo lilia albicantia & rubra, jaculo transfixa.*
Flori flos jungitur alter.

IV. *Corona cum inſign. Ordinis Sancti Spiritus.*
Decus virtute merendum.

V. *Corona cum inſign. Ord. D. Michaëlis.*
Immenſi tremor Oceani.

VI. *Stella cum corona.*
Monſtrant regibus aſtra viam.

VII. *Vna corona, per quam fax ardens, ſubtùs quatuor aliæ coronæ.*
Venit, vidit, vicit.

IIX. *Viridis coloris labyrinthus.*
Dolis prudentia major.

IX. *Hiſtrix.*
Cominus & eminus.

X. *Salamandra in igne.*
Nutriſco & extinguo.

XI. *Luna accreſcens, ſive nova.*
Donec totum impleat orbem.

XII. Lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

XII. *Luna plena.*

Quum plena eſt, fit æmula Solis.

XIII. *Duæ columnæ.*

Pietate & juſtitia.

XIV. *Duo globi cum coronis.*

Unus non ſufficit orbis.

XV. *Duo ſceptra transverſim poſita, in quorum medio gladius.*

Duo protegit unus.

XVI. *Duæ coronæ.*

Manet ultima cœlo.

Ex hoc xyſto in aliud conclave itur, ubi inter pictas tabulas, quadrata una eſt, oſtendens fabulam de *aureo imbre*, in Danaës ſinum depluente: tabula licet magno pretio vendi poſſet, nullo eſt vendibilis. Hinc in *hortum*, ſive *vinetum* potiùs dixeris: inde in *ſylvulam* luci inſtar; ferarum ibi latitantium volucrumque cantantium latibulum & domicilium eſt. His omnibus viſis, ſi ſtructuram contignationum luſtrare placet, ducêris in ſublimiorem villæ hujus partem, quæ finis eſt horum laborum & luſtrationis.

TERTIÒ extra urbem, eſt villa quædam LA CLAIRE; quæ nomen ſortita à cive quodam nomine Claro. hæc non procul diſſita à villa *la Duchere*; non tamen à nobis viſa, ab aliis autem ita communicata: Simul atque intras, hortus ſe objicit; & in eo ſilvula quædam, denſitate arborum repræſentans lucum, amœnum ſatis ac delectabilem. Principale autem & viſu digniſſimum eſt FONS, olim quidem majori quàm nunc apparatu & ſumtuoſâ fabrica conſpicuus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſpicuus. In eo primò eſt urceus, in quem aqua defluit; ex leviſſimo & lucidiſſimo alabaſtro formâ quadratâ excavatus. Ad ejus poſticam partem monticulus IV ulnarum longitudine, II latitudine exſtructus, tum artificem laudat, tum adventátem mirâ voluptate adficit: compoſitus ſiquidem eſt variis undique & inæquali ordine coagmentatis cochleis, teſtis, tophiſque maritimis, corallis, tùm albis, tùm nigris, & aliis lapidibus rarioribus. Ex illo monte promanat aqua, partim è canaliculis, qui centum circiter, partim rimis multifariàm hiſcentibus, & aquæ eruptionem largientibus. Maximus canalis inter aquarum ductus, eſt tuba paſtoritia, è medio duorum capitum, ſerpentes repræſentantium, prominens. Totum illud conclave, in quo fons hic locatus eſt, tùm ſuprà, tum infrà, tum ad ſingula latera, variis conchis, gemmis, corallis, & aliis marino artificio formatis, ita eſt ornatum, ut præ illis vix parietis cœmentum vel calx in conſpectum veniat. Ad januam è marmore Satyri cujuſdam & Veneris ſtatua, magnitudine juſta repræſentatur: Eidem januæ inſcriptum eſt hoc diſtichon:

Hanc ornans clarâ Claram clariſſimus undâ,
Cuncta facit clarus quò ſua clara forent.

QUARTÒ, ſi porrò ire lubet, reſtat villa cujuſdam mercatoris LA GORGE DU LOUP, priori non longè abjuncta: In ea fontes cum Meduſæ ſtatua: ſunt ſiphones, è quorum maximo prædium hoc nomen habet, aquam undique evomentes.

Tantum de Lugduno, & confinibus villis. Concludamus *cum Botereo lib.* 1 *comment. Gall.*

p. 11:

p. 11: Lugdunum urbs eſt, quæ Munatio Planco ſua debet incunabula; Pop. Rom. colonia, priſcorum Rhetorum formidata ara, Celticæ emporium, janua Alpium, ſpecula Italiæ: ubi

Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararq; dubitans quô ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.

Et pag. 48: Mercatura, quæ ab utroque flumine invehitur Lugdunum, urbis eſt anima, duoque illi fluvii gemina ſunt ubera, quibus regreſſis exſuccam & elanguidam fieri neceſſe eſt.

Convaſemus nunc vaſa & reculas ad iter Genevenſe; quod jam mecum ingredieris.

Poſtquam menſem decembrem, mediumque ferè januarium, Lugduni ſubſtitiſſemus, Genevam, reliquum hyemis ibi transacturi, abivimus, conducto alio viatore, cui quilibet pro ſuo & vectoris paſtu, nec non vecturâ, XV florenos Gallicos *(à 20 ſols chacun)* Lugduno Genevam uſque ſolvêre.

Itaque portâ Sebaſtiani egreſſi, excubantibus ibi Helvetiis numos aliquot pro lubitu donavimus, citiùs ut nos in viam dimitterent, quod inſpectâ ſchedâ ex urbe exportatâ facilè faciebant. Per vineta mox erat aſcendendum, relicto Rhodano dextrorſum in ima valle. pòſt aliquot obſcuri penetrandi pagi, priuſquam III *milliar.* ad pagum *la Boiſſe* deveheremur, cœnaturi *au mouton.* (ſerò ſiquidem ab amicis Lugduni divelli poteramus.)

Sequenti die per pagum *Verbonne* ivimus, II *mill.* Mox planities & ad utrumque latus arces erant, *Chaſtillonnet,* & *Chaſtillon.* tandem fluvius D'AIN; qui pontone trajiciendus, ſoluto

naulo

naulo pro quolibet equo v ſolidorum, (5 *ſols.*) caſula ad ripam ibi ſtructa, portitores recipiens, qui ſæpe integrum diem, quàm hominem trajiciendum habeant, exſpectant. Ipſum flumen rapidum eſt & pellucidum ad ipſum uſque fundum;diſcriminans regionem de Bougie ſive Buzay de Breſſe.

A trajectu in apertum campum venis: pòſt ad alium diffuſum fluvium *Arbalinam*; qui quandoque exundat totum agrum, teſtantur quod ripæ veſtigia; quandoque etiam ita ſiccus, qualis tunc erat, ut nec vel ſoleæ equi humectentur. Inde proximè pagus *Chaſteau gaillard*, II *mill.*, pro prandio erat *à l'eſcu de France*. Quo ſumto, per opid. *Bournay*, ad pagum *S. Iean le vieil*, in planitie ſatis amœnâ ſitum, devenimus. Pòſt delati in altum montem, deſcendere rurſus coacti ſumus viâ ſaxeâ, longâ & præcipiti, in pagum *Cerdon*, III *milliar.* ubi pernoctandum *au lyon d'or*, ſatis tenui apparatu, ſatis tamen pro loci ſitu. Eſt pagus paucarum, ornatarum tamen, ædium in imo fundo ſtructus, ſub dominio Ducis Nemoroſii.

Poſtridie è pago hoc via te ducet in præruptum montem; quem ſinuoſo flexu vix mediâ horâ pedes aſcendere potis es; quod & nobis ſummo mane, Lunâ quidem ſplendente, frigore verò intenſiſſimo, faciendum erat. in ſummitatem ubi venis, glacies & nives equitanti occurrunt; cautus itaque ſis, ſi hyeme hâc pergendum viâ, ne equi lapſu præcipitêre. In via pagi ſunt *Merignan* & *S. Martin*, II *mill.* Inde ſumma planities eſt. antequam hanc ingrederis, monticulus ſuperandus, latronum latibulum,

lum, è quo non raró infeſtatos ac ſpoliatos viatores fuiſſe audivimus. Inde dicta ampla planities, quæ longâ viâ te ducet, uſque dum dextrorſum, ubi montes quaſi ſe findunt, Nantuam verſus declinare neceſſe habes. Hâc viâ ingreſſus rectà pergis ad lacum, dextrorsùm relictum, cum præruptis immenſiſque rupibus ultra lacum: ſiniſtrorſum cis lacum rupes & inacceſſa ſaxa capiti imminent, jam jamque præcipitium è ſupercilio minantur; quod nec raró factum, indicio ſunt immenſa ſaxa ad crepidinem lacûs hinc inde ſine ordine ſparſa. Iocantur quidem, prærupta iſta ſaxa jugo montium catenis eſſe ſerata, ut non poſſint decidere; verùm diverſum teſtatur iter ſubtùs ineundum, quod ſine devio in ipſum opidum *Nantuam* te deducet, 1 *mill.* Aedes in hoc opido habent porticus tectas, columnis fultas, ubi in umbra ire & equitare potes, declinando Solis ardores, cadentéſve imbres. Cives famam habent ab acuum confecturâ; unde acifices appellantur; & ipſum opidum Germanis dicitur *das gufen-ſtädtlein.* Heîc prandio ſumto ſatis lauto *à l'eſcu de France,* perreximus ad lacum, ad ſiniſtram offendentes locum *la piſſe vache* dictum; montes ſunt alti & prærupti, è quibus hyeme & æſtate continui aquarum canales evomunt aquas coagmentatas, quæ jugi tenore ad terram delatæ abſorbentur ibi à cavo quodam foramine, quod voraginis inſtar omnem deſuper affuſam aquam in ſinum ſuum recipit. Mercatores in more habent, ut, ſi quem inter comites ſuos habeant qui anteià hanc nunquam viam inivit, eum cogant circum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cumire hanc voraginem, benè madidus ut memor ſit loci: ſin minûs; ut redimat hunc circumitum numerato aliquo argento. Ex oppoſito eſt lacus *la Bougie*, nomen habens à Provincia: in quem haut dubiè decidens modò aqua defertur ſubterraneo meatu, à nobis non viſo. Lacus hic in medio, diſcriminatur muro: hæc pars ſapidæ & dulcis aquæ, piſciumque ſalubrium, ad opidum Nantuam ſpectat; illa, quę ſuperior, meras paludes & cannas habens; ad opidum Sancti Germani. Echo heic revocat verba ultra lacum effuſa diſtinctè. Inde proximè ad ſiniſtram opidum eſt *Sainct Germain la chevre*, 11 *mill.* Mox mons aſcenditur; quo ſuperato venies ad pag. *Chaſtillon*, 1 mill. ubi amplum hoſpitium, ad viam patens; quo nobis fuiſſet pernoctandum, niſi circumventi ductoris noſtri perſuaſionibus fuiſſemus, negantis quidquam obſonii ibi reperiri. Ita nos, ignari conditionum hoſpitii iſtius, perreximus ad ponticulum quendam med. milliar. (*le pont des Oeules*) fluviolo ejuſdem nominis impoſitum, qui è Burgundia deſcendens, non procul hinc Rhodano ſe miſcet. Saxa utramque fluvioli ripam muniunt immenſæ magnitudinis, qui ſine hoc ponticulo eſſet impervius. Inde ſinuoſo, & præcipiti, lapidoſoque ductu ad montem CREDO tetendimus; ad cujus jugum tandem difficili per nives itinere ubi ventum erat, Crucem ligneam altam vidimus; penes quam monachus Capucini ordinis cum puero nobis obviam venit; non enim longè inde *monaſterium;* penes quod anguſtus eſt tranſitus, qui regis Galliæ permiſſione conceditur

ceditur

ceditur Hiſpanis, ut è Sabaudia in Burgundiam tranſire poſſint. Heic cùm eſſemus, tenebræ oboriebantur denſæ, imò ipſa nox nos obruere videbatur; tempeſtas, grando, nix, ventus, agminatim accelerare, verba & voces abripere, equos præcipitare; nam via omnis gelicidio ſtabat; iter inſuper pronum erat & declive in obſcuriſſima nocte, omne de rebus, præ oculis, præ auribus quæ erant, tollente judicium & diſcrimen. ad ſummam, omnia elementa ibi nobis contraria eſſe comparebant: ignis non erat, qui vel frigus abigeret, vel viam monſtraret: aër denſus, nebuloſus, nocivus, euntes impediebat: aqua in glaciem converſa præcipitabat vectorem cum equite: terra nive tecta planè negabat ſui uſum. deſperatum iter erat; & conclamatum fuiſſet, niſi divino ductu delati tandem fuiſſemus circa decimam noctis, planè omnis viæ ignari, in pagum *Longeret*, II *mill.* à vico *Chaſtillon* abjuncto. ubi à *la Croix rouge* commodè excipiebamur laſſi & feſſi.

Sequenti die, ubi lux ingrueret, vidimus præruptas valles & præcipitia non longè à pago hoc diſſita, quæ divinâ clementiâ juvante evitarâmus. Pergendum erat hinc quadrante mill. ad *fortalitium la Cluſe*; cujus meminit *Cæſar lib.* I *Comment. Gall. mox à princ.* *Erant*, inquit, *omninò itinera duo, quibus domo exire poſſent; unum per Sequanos, anguſtum & difficile, inter montem Iuram & flumen Rhodanum, quo vix ſinguli carri ducerentur: mons autem altiſſimus impendebat, ut facilè perpauci prohiberi poſſent, &c.* Has anguſtias (*dicit*

Rhelli-

Rhellicanus in Cæſar.) Galli & Germani hodiè Cluſam vocant; in qua perquam munitum propugnaculum in prçruptis & altis Rhodano imminentibus ſaxis poſitum, Bernates ſolo æquaverunt, anno Domini cIↃ IↃ XXXVI, quando Sabaudorum perfidiâ & jurisjurandi religione, quod Genevenſibus civibus ſuis dederant, coacti ſunt imperatore & auſpice prudentiſſimo ſimul ac fortiſſimo viro Dom. Franciſco Negelino expeditionem in Allobroges facere: in qua quidquid cis Rhodanum eſt, & paullò ultra Cluſam, in ſuam ditionem, favente ipſis divinâ clementiâ, redegerunt; idq́ue menſe januario cœptum, & in februarii exitu finitum eſt. Locus hic, ut ut vallis, propugnaculis non eſt ſpecioſus, natura tamen eum fecit *fortalitium*, ſaxis cavis & inacceſſis, monte alto, tranſituq́ue ſalebroſo firmatum, ut exercitus expeditè illac ire tranſireq́ue vix poſſit. Hoc, ſaxorum immenſæ magnitudinis devolutione à jugo montis, Genevenſes expugnarunt; verùm cùm viribus ſuis non fiderent, fortalitium hoc, ut & *le balliage de Gaiz*, Henrico IV Gall. regi tradiderunt; qui recompenſarum loco XXV cIↃ aureos annua militum ſtipendia contra Sabaudum ipſis promiſit; & ab eo tempore uſque dum ſub rege manſit. Rex autem, cùm hâc penetraremus, vix VIII præſidiarios (nam ceſſabant inter eum & Sabaudum bella) eò collocarat milites. quibus transeundo, ſi libet, quid honorarii penditur; imò acceſſus & introitus aſcenſusq́ue per ſcalas non detrectatur, modò ſtrategema abſit, ſine quo adeundum; vel cum illo pereundum.

E re-

E regione huic eſt mons *Iura;* cujus jugo olim impoſitum erat ſimile fortalitium, cujus tamen rudera hodiè duntaxat ſuperſunt. Inter utrumque hunc montem Rhodanus in imo ſtreperus fluit, quem tamen ob nimium præcipitium videre non potes.

Hinc *med. mill.* devecti ſumus in opidul. *Coulonge*, quod præ cæteris belli calamitates repræſentat.

Sequens via in regionem nos duxit frumentorum & pabuli feracem, ſed deſertam admodùm hodiè, cujus pagi opidulaque miſeris modis exuſta, vaſtata, variiſque ſpoliationibus exſucta, nondum exantlatas belli injurias ſuperarunt & concoxerunt. Tota hæc regio paret regi Galliæ, qui eam Sabaudo ademit ob retentum Marchionatum Saluzenſem, Ledegiero Delphinatûs præfecto ſtrenuam operam ſuo regi in hoc bello navante.

Inde per ignobiles pagos, *Ecoran, Loupgras, S. Iean, Toury,* ad urbem GENEVAM, IV *mill.* feſtinabamus. ad quam circa meridiem delati, nomina ſub porta ſignabamus, diverſaturi apud hoſpitem *à la balance d'or:* ubi commoda quieti noſtræ invenimus media.

GENEVA.

PRiuſquam de urbe & republica hac aliquid notemus; præmittere voluimus de regione Sabaudorum & Allobrogum paucula, præliminaris inſtar cognitionis.

Sabaudis olim nomen erat Allobrogum: & hoc venit ab Allobroge, primo regionis iſtius rege, qui unus ex Aboriginibus dicitur fuiſſe,

qui Abrahami & Patriarcharum tempore è ſeptentrionalibus Aſiæ partibus in Galliam per mare trajecerunt. Nomen habent tritum apud Romanos, à Q. Fabio Maximo, qui Allobroges devicit; à conjuratione Catilinaria, quâ Catilinæ partes tutati ſunt. Inhabitant autem primitùs montana ad Alpes loca, quæ Allobrox occuparat rex, & à ſe ita dici volebat: quidquid habebant, deprædationibus & latrociniis habebant, non loci fertilitate, non mercaturâ, non opificiis: excurrebant in vicina loca & ulteriùs ad Rhodani & Araris etiam uſque confluentes, imò in Delphinatum etiam, cujus metropolin Viennam occupare non ſunt veriti. Vnde *Plin. lib.* 1, *decad.* 3, Propè, inquit, (id eſt, ad confluentes Rhodani & Araris,) incolunt Allobroges. gens jam inde nullâ gente opibus aut fama inferior, tum diſcors erat: & regni certamine ambigebāt fratres, &c. Simul atque verò montana ſua reliquerant, & ſibi viam in planitiem, Galliæ Lugdunenſis verſus partem, vi fecerant, effœminati facti, deferveſcente martis ardore, rei ruſticæ operam dederant. Vnde *Strabo ait lib.* IV: Allobroges ſuperioribus annis militandi ſtudio mortalium multis millibus tenebantur: hac autem ætate, rei ruſticæ dediti, campos & Alpinas valles arant. Conſtat autem multis antiquitatis monumentis, Tractum hunc Allobrogum regni titulum habuiſſe, idque tempore Hannibalis: qui, Bronio cum fratre de ditione certante, factus arbiter, regnum majori adjudicavit, eumque imperio reſtituit; ut eſt apud *Livium lib.* XXI. Sic Florus mentionem facit regis Benulli,

Benulli, à Fabio Max. capti & devicti. Nec non hiſtoriæ Romanæ meminerunt Cotti Allobrogum regis, qui à ſe dictos Alpes Cottias ſtructis molibus commodiores reddidit; Octavio Auguſto familiaris: poſtea verò ſolum mutare, & in eam, quam modò incolunt, regionem migrare ſunt coacti; quam olim antiqui inhabitabant Voconii, Veragri, Caturiges, Centri, Lepontii; ubi hodiè eſt Comitatus Genevenſis, cum adjacentibus ſuis dominatibus, à lacu Lemano uſque ad Pedemontium. Noſtrâ memoriâ & ſæculo cum habitationibus ſuis & *nomen* & *regnum* mutarunt. Dicuntur *Sabaudi*, populi hiſtoricis antiquis incogniti. *Claud. de Rub. lib.* I, *cap.* III, *hiſt. Lugd.* putat, Sabaudos dictos fuiſſe à Sabaudo vel Sapaudo, archiepiſcopo Arelatenſ. Hic à Papa Pelagio electus, per Galliam ejus vices obtinuit; & à Childeberto Francorum rege adjutus, Allobroges Chriſtianiſmo beavit circa annũ Chriſti IↃ LVI. Quidam ſunt qui eos derivant à Sabatiis vadis ac populis, à Ptolomæo & aliis inter Alpes poſitis; quod & Plinius aſſerere videtur lib. III Hiſt. & Strabo. Allobrogum regnum quando habuerit interitum, non eſt in proclivi dicere: Sabaudiam verò (non ita multa ſunt ſæcula) Comites habuerunt, licet Pedemontium acceſſerit: qui à Sigiſmundo Imperatore in concilio Conſtantienſi Ducatûs titulo decorati ſunt; & inter hos Amedæus Aimonis filius primus fuit, è Cæſaribus & Ducibus Saxoniæ, præſertim Ottone II, circa annum Chriſti IↃ CCCC LXXIV qui vixit, proſapiam & gentis originem ducens.

Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Præmiſſis hiſce, convertamus nos ad urbem ipſam; de qua Cæſar in princip. Commentar. Extremum, inquit, opidulum Allobrogum eſt, proximumque Helvetiorum finibus, GENEVA. Ex eo opidulo pons ad Helvetios pertinet. Cùm Cæſari nuntiatum eſſet, Helvetios per Provinciam noſtram iter facere conari, maturat ab urbe, (ab urbe, ait, qui titulus dignitatis eſt, cùm olim ſola Roma urbs diceretur,) & quàm maximis itineribus poteſt in Galliam ulteriorem contendit, & ad Genevam pervenit. Pontem, qui ad Genevam erat, jubet reſcindi, &c. Hæc ipſa Cæſaris apud Genevenſes manſio, non modò urbi, quæ tantum monarcham dignata eſt hoſpitio, multùm dignitatis attulit, ſed & communi verbo opes adjecit, licet in confinio adhuc eæ ſint. Ajunt enim, Cæſarem cùm ab Helvetiis in fugam conjectus eſſet, ingentem theſaurum in Rhodanum, ne hoſtibus præda eſſet, conjeciſſe; qui licet aliquoties viſus, tamen in hunc uſque diem nondum inde extrahi potuit.

Vrbs alioquin *nomen* aliud habet, & dicitur AURELIA, ab Aurelio Imperatore. nam cùm Heliogabali tempore ignis omnem ferè depaſtus eſſet, is reſtauravit, jusque imperii ei attribuit, quod & hodiè tueri non ſine dignitate videtur. Vrbs verò, faſtidito novello nomine, vetuſtum retinuit.

De *ſitu* ejus dicit *Thuan. lib.* LXIIX; *Geneva, tanquam clavis & propugnaculum non ſolùm Bernenſis ditionis, ſed totius Helvetiorum civitatis, inter eos habetur, & liberum inter regem & Helvetios aditum ſervat. id propter*

Cluſuras

Cluſuras dictum, quibus is verè potitur, qui Genevâ potitur.

Aër heic purus & ſalubris, *à lacu Lemano*, partem urbis majorem alluente; à *Rhodano*, urbem interſecante in duas partes; quæ tamen diviſæ fluctibus, ponte ligneo junguntur. *Hic fluvius* (dicit Thuan. lib. XLIX hiſtor.) *in tantum excrevit anno* ClↃ IↃ LXXI, *ut Guilloteriam, Lugduni ſuburbium, cum pontis impoſiti parte, pænè ſubruerit: nec longè a Geneva, ubi Rhodanus Lemanum lacum præterlabitur, ad anguſtias, quas Cluſuras vocant, aquarum vi ex vicino monte revulsâ, in fluvium ſubjectum mole ita obſtructus eſt alveus, ut accedente Arvæ perenni fluxu regurgitans aqua retrò ferretur, & ſtupentibus cunctis molatrinarum rotæ piſtrinarios lapides adverſo flumine torquerent.* Talis eſt ratio fluminis utriuſque, abundantis ſapidiſſimis piſcibus, *truttis* præſertim, quas vidi longitudine II & ampliùs ulnarum, pondere XXX librarum. captas includunt vivariis, palis cinctis, &, ubi lubet, ad culinam promunt. Reliqui piſces, quod experientiâ habent, capti, necati, & in cellis Genevenſibus diem unum vel alterum reſervati, ſapidiores ſunt iis qui à captura mox ahenis & foco impoſiti coquuntur; ideoque piſces vivos, præter auratas vel truttas, in foro heic non videbis venales. Ita habet *aqua*.

Terra heic cum confinio, fertilis eſt, & *vinum* nobile producit; rura *capones* opimos, quibus ipſi Patavini cedunt, licet ſuo modo etiam pingues ſint. ager ab ubertate commendatus, dicitur totius Sabaudiæ ſuber. Horti

olera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

olera & legumina ſapidiſſima; inde victus æquiori longè pretio heic quàm in Gallia. Amœnitas accedit è contiguo prato *le plain palais*, deambulationibus accommodiſſimo.

Montes partem civitatis habent, quam nunc in *partibus* ſuis videbimus.

Externa ſunt *foſſa, muri*, ac *propugnacula*, ſatis pro loco munita. Inter hæc *le boulevard de l'oye*, propugnaculum Anſerinum, famam habet, à XIII captivis, ultimâ in invaſione ibi ſuſpenſis. Non longè inde eo ipſo loco, quo anno CIƆIƆCII Allobroges ſcalis Genevam capere volebant, inſcriptio eſt:

VIXI UT VIVIS
MORIERIS UT SUM FUTURUS
SIC VITA TRUDITUR
VALE VIATOR (*ſcalator*)
ET ABI IN REM TUAM.

Portæ principales ſunt, *la porte neufve: la porte de la rive; la porte Cornevin*, quâ in Burgundiam & Helvetiam itur; *la porte de la maiſon; la porte de la Treille; la porte du S. Leger; la porte de la Tartace*. Accedunt ultra fluvium Arvæ, rudera quædam *propugnaculi*, monti impoſitum quod erat, è quo ſtrenuè Geneveſes anno CIƆ IƆ LXXXIX hoſtem Carolum Emanuelem Sabaud. Ducem excepêre, & repulêre.

Interna partes ſunt *plateæ* & *ædificia*.

Ad illas refero aream (*la platte forme*) in colle amœniſſimam, portæ contiguam; cui ſi inſtas, ſubjectam planitiem, hortos & vineas circumjacentes, jucundo emetiris oculo. Plateæ ſunt partim *valloſa, montoſa* partim: iſtæ ubi

ubi ad D. Petri ædem aſcendis; illæ ſubtus lacum verſus. inter has ampla, ſpatioſa & longa illa eminet, quæ juge & elevatum habet compluvium, trabiculis immiſſis & inſtratis aſſeribus ita ædificatum, ædibusque applicatum in unam partem, ut ſubtus ceu in xyſto ſiccus deambulare poſſis, deſuper vel denſiſſimâ cadente pluviâ.

Aedificia ſacra tria ſunt, *D. Petri, S. Gervaſii*, & *S. Germani*.

D. Petri palmarium eſt in accliviore urbis parte ſitum, illuſtre ab *antiquis inſcriptionibus*. quarum hanc adponam:

D. M. S.
C. IULIUS CAESAR LONGINUS
D. CIL.
C. IUL. LEIBERTUS.
PERRUPTIS MONTIBUS HUC TANDEM
VENI UT HIC LOCUS MEOS CONTE-
GERET CINERES.
APOLLO TUAM FIDEM. (NUL.
VIXIT ANNOS XLI, MENS. III, DIES XIII, HORA
T. FULVIUS D. D. L.
COMMILITO COMMILITON
VALE LONGINE AITERNU.
S. T. T. L.
(id eſt, ſit tibi terra levis.)

illuſtre item *ab Aquila bicipiti*, exteriori templo inſculptâ; quæ ei ſervit pro argumento, liberam eam eſſe Imperii Romani urbem. In hanc Aquilam, ut & inſignia Genevenſium, jocatur *Ovvenus lib.* I *epigr.* XLI:

Clavem Aquilamq; gerit duplex inſigne Geneva:
Illud Papatûs: hoc habet Imperii.
Hoc inſigne tuum quo jure Geneva tenebis,
Si repetat clavem Roma, Rodolphus avem?

Templis adnumero *xenodochium* ad ripam Rhodani extra urbem, non vulgari ſtructurâ, nec paucis ſumtibus ſtructum.

Aedificia *politica* conſtituunt 1. *Curia.* In hac nota *monumentum*, quod januæ ipſius curiæ eſt impoſitum, & tabulæ æneæ litteris aureis inciſum:

QUUM ANNO CIↃ IↃ XXXV &c.

In interiore Curiæ ingreſſu vide *tabulam* cum inſcriptione, erectam, cùm anno CIↃ IↃ XXXVI Genevenſes à Tigurinis in ſocietatem ac fœdus eſſent recepti;

D. O. M. S.
ANNO A VERA RELIGIONE &c.

Poſtquam deinde nocturnâ illâ per ſcalas invaſione & attentatâ truculentâ machinâ è faucibus Allobrogum eſſent liberati, hoc *monumentum* erexerunt:

D. O. M. S.
QUO NON ALLOBROGES &c.

Quo pertinet etiam *monumentum*, iis, qui hoſtem fortiter à muris abigendo, urbemque ſervando, fatali illo tempore mortalitatem exuêre, erectum:

D. O. M. S.
QUORUM INFRA NOMINA &c.

Nota ibidem *ſcalas* in inferiori aliquâ camerâ repoſitas, quibus Sabaudi anno CIↃIↃCII in clan-

clandeſtina urbis invaſione uſi fuerant. *Vrnas* item in atrio ſuſpenſas, cinerum combuſtorum olim receptacula. *Crocodili exuvias & ichneumonis:* nec non *artificioſam teſtudinem*, quam vel equo inſidens conſcendere potes.

II. *Armamentarium*, Curiæ vicinum, in quo arma, vexilla, & ſpolia Sabaudo ademta.

III. ARX antiqua prope S. Gervaſium.

IV. PONS, qui utramque Genevam jungit, Rhodano impoſitus, ædibusque ornatus.

V. *Molendina* extra urbem, Rhodano incumbentia.

VI. *Turris* inſulæ, veluti ſpecula antiquiſſimi operis.

VII. *Bibliotheca*, ab antiquis & rarioribus libris authoritatem habens; ibi Bibliorum Gallicorum CCC annorum verſio.

Ita fuêre *publica ædificia;* Pro privatis adjiciam monumentum, quod pater quidam filio ſuo juveni civi Genevenſi & cauſarum patrono poſuit:

D. M.

L. AUR. LIBERTO IUVEN.
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALLENSE
ET EQUESTRE DEFUN-
CTO, ANNORUM XVIII.
FILIO PIENTISSIMO
AURELIUS RESPETUS
PATER PONIENDUM
CURAVIT.

Ita Cicero de Q. Hortenſio, oratore nobiliſſimo, notavit, quòd annos natus XIX, plurimas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cauſas egerit, & orationes, iiſdem quibus ſcripſerat verbis, recitàrit; hincque nomen Regis fori Romani obtinuerit. Idem adfert Vlpianus, de Nerva filio, qui annorum XVII cùm eſſet, aut præterpropter, publicè de jure reſponſitavit.

FORMALE videbimus, vel in *Eccleſiaſtico*, vel *Politico ſtatu*.

Eccleſiæ Genevenſis hodiè longè alia facies quàm olim. Omnes in univerſum incolæ modò puriori & reformatæ religioni ſunt addicti; quam recepêre anno Chriſti cIↃ IↃ XXXV. Hinc adflictorum Chriſti exſulum audit aſylum & hoſpitium GENEVA. quippe vidimus in ea Principes, Comites & Barones, dum ibi eſſemus, hoſpitantes & pacificè viventes. Olim pontificium habuit epiſcopum, qui etiamnum, licet eccleſiam ibi nullam regat, tamen ſe dicit Epiſcopum & Principem Genevenſem. *Cui is, qui Apologiam compoſuit pro civitate, id tantùm reponit, quòd, ſicut Epiſcopus Sionenſis eodem titulo utitur ſine poteſtate: ita idem in Genevenſi, honoris ergò toleratus fuerit, ſalvo interim ſuo civitati jure. Arniſ. c. 1, p. 9, de jure Majeſt. Huic epiſcopo competebat privilegium, ut, quemcunque juberet, etiam poſt latam ſententiam, is ab ipſo loco ſupplicii retraheretur, & liber eſſet. Le cittad. de Genev.* Hodiè verò in rempub. hanc epiſcopus nihil habet juris. quod demonſtrat *Rhellican. in comment. ad Cæſ.* dicens: *Geneva antiquitate & emporio, quod inde tamen Lugdunum tranſlatum eſt, celebris urbs, ſed celebrior propter graviſſimam obſidionem, & ab ea liberationem. Quum enim Gene-*

Genevenſes Cochleariorum (nobilium Allobrogum conſpiratio erat, qui argentea cochlearia in pileis geſtabant) manu undique obſidione cincti eſſent, ac tantâ fame laborarent, ut lactentes infantes pro lacte ſanguinem ex matrum & nutricum uberibus ſugerent: juſto exercitu per Bernates cives ſuos obſidione liberati, ac in libertatem ita vindicati ſunt, ut, quidquid iuris in Genevenſes aut epiſcopus aut Dux habuit, eis remiſſum ſit per vindices. Adhæc jurisdictionis pomœria dilatata ſunt adeò, ut, quum antea nihil juris extra mœnia haberent, nunc aliquouſque imperent. Pro quâ vindicatione Bernates nihil aliud poſtularũt, quàm ut militibus ſtipẽdia numerarẽt, & ne cui aut Principi, nationi aut urbi ſe conjungant præter ipſorũ voluntatem. Hactenus ille. Ita hodie, poſtquam diſſenſum & diſceſſum à pontificiis fecerunt, eccleſiæ conſtitutio eſt penes magiſtratum, cui adjuncti ſunt *cenſores morum*, qui ſunt decemviri, quorum IV conſtituti ſunt è Senatu LX-virorum, & ſex è Senatu CC-virorum. Hi decemviri junctim ſumti adpellantur collegium ſacrum ſive conſiſtorium; Eorumque officium eſt, vitia & ſcelera ſcandalaque eccleſiæ data magnâ cum ſeveritate coërcere: quod etiam faciunt, & morum præfecturam ſine cenſu, ſine imperio, ſine juriſdictione mandant. Qui non parere vult decreto eorum, ſacris abeſſe jubetur: & hæc ſi aſpernatus fuerit, à religionum procuratore apud judices convenitur: Hinc popinarum, tabernarum, & ſimilium luxûs officinarum, nullus hic uſus: otioſi & validi

validi mendicantes exeſſe jubentur, ebrioſi puniuntur, fornicatores graviùs: ſaltationibus & choreis nullus heic locus, tripudiisve publicis. Vnde *Bodin. lib.* II *Dæmonoman.* dicit: *Sathanas, eò quòd Genevæ ſaltationes ante omnia ſunt odio, puellam Genevenſem ſic inſtituerat, ut quoſcunque virga ferrea ab ipſo tradita attingeret, eos ad ſaltandum compelleret. atq; hæc judices ludificabatur, dicens, ſe necari ab ipſis non poſſe; neque umquam voluit reſipiſcere, donec ad mortem damnata eſſet. Hoc factum ab homine didici, qui interfuit. addebat autem, eam, ſimul atque fuit comprehenſa, metu & trepidatione maximâ fuiſſe conſternatam, dicendo, ſe ab hero ſuo deſeri; ab eo promiſſionem, de morte non appetenda, accepiſſe, &c.*

Quoad ſtatum politicum: libera eſt hæc reſpublica ab omni dominio: Et hanc libertatem adepta eſt à Carolo IV Imperatore: qui omnem actionem, poteſtatem, juriſdictionem, præeminentiam in civitate Genevenſi, & ejus territorio, Amedeo Comiti ademit. Aſſentitur *Arniſ. c.* V, *pag.* 10, *de jure Maieſt.* dicens: *Nec Genevenſium, Lucenſium, Raguſianorum reſpublicæ minus libertatis habent, quam Venetorum, Genuenſium, Bernenſium, Tigurinorum, licet his potentiâ nullo modo ſint comparandæ. Abſit enim, regiam poteſtatem inde æſtimemus, quam multis quis imperet, ſed quàm liberè.* Vivit hodiè libera ſub tutela & patrocinio regis Galliarum; qui eam in patrocinium ſuſcepit anno CIƆ IƆ LXXIX. referente negotium *Thuano lib.* LXVIII, tali modo: *Hoc anno de Geneva negotium retractatum, & tandem pa-*

troci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

trocinium ejus à rege ſuſceptum eſt. Iam antè Ioanni Belleureo Altafortio, cùm Oratoris regii munere apud Helvetios fungeretur, mandatum fuerat, ut ea de re ageret. Bernates & Soloturnenſes aliorum Pagorum nomine ad fœdus & pacem perpetuam inter Franciæ reges & Helvetiorum civitatem firmiore vinculo ſtabiliendam neceſſarium eſſe demonſtrabant, ut reges Franciæ fœderatas ob viciniam Helvetiis civitates & ipſi fœderatas haberent, nec earum periculum negligerent; quo in numero præcipuam cenſendam Genevam, *&c. Itaque apud Altafortium inſtabant, ut ea urbs, quæ propriis viribus contra potentiores ſecuritati publicæ imminenteis ad ſe tuendam impar eſſet, pace generali comprehenderetur, ad ejuſque defenſionem Rex peculiari tractatu cum Helvetiis ſe obligaret. Res tandem Soloturni* VIII *eid. majas transacta per Altafortium & Nic. Harlæum Sancium, qui tunc apud Helvetios orator erat, his conditionibus: Vt rex ad ditiones, Bernatibus à Sabaudo ultima inter eos pacificatione conceſſas, perinde ac ſi fœdere generali inter reges deceſſores ac Helvetios inito nominatim comprehenſæ eſſent, defendendas obligetur. In gratiam & favorem Bernatum & Soloturnenſium* Geneva *eodem generali fœdere comprehenſa intelligatur. ita tamen ut non propterea* Genevenſes, *quantum ad commercium, alio jure quàm quo indigenæ Franci utuntur, in regno uti poſſint. Si ad publicam ſecuritatem pertinere ex fœderatorum ſententia viſum fuerit, ut urbs præſidio firmetur, quâ in deliberatione regio oratori cum ſuffragii prærogativa intervenire jus erit, rex*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

in V cohortes Helveticas, ſingulas CCC militibus conſtanteis, ſtipendium conferre, in eamque rem XIII CIↃ aureorum præſenti pecuniâ Soloturni deponere teneatur. ſi contingat, urbem ab aliquo apertâ vi oppugnari, ad ejusq́; defenſionem tam Bernates ac Soloturnenſes, quàm alii Pagi, qui huic novo fœderi ſubſcribent, exercitum conſcribere cogantur, rex XV CIↃ aureorum ſingulis menſibus, quandiu bellum durabit, adnumeret, V Helveticarum cohortium ſtipendio in id confuſo. ſi qui ex Gallis in id bellum ſponte nomen dabunt, à rege non impediantur. Si quis Princeps hujus fœderis ob Genevæ *patrocinium initi causâ bellum aut regi aut fœderatis Helvetiis indicat, Helvetii VI CIↃ peditum, rex X CIↃ aureorum, ſingulis menſibus ſuppeditare teneantur:* Genevenſes *viciſſim pro tanto beneficio liberum acceſſum in itu & reditu copiis regis ſine maleficio & ſeriatim per urbem transeuntibus regiis trans Alpeis, & ubicunque opus fuerit, præbeant; obſequioq́; ac reverentiâ quâ debent regis amicitiam colant.* Hactenus Thuanus.

Talis forma eſt reipub. ratione patrocinii. ratione autem regiminis, eſt *ariſtocratica*, quòd optimates, qui virtute clarent, ad magiſtratûs dignitatem evehuntur, modò originis domicilium heic habeant. Hinc, cùm tàm tenuibus quàm locupletibus, tàm plebeiis quàm nobilibus, aditus pateat ad dignitates, & ita nemini, præterquam ei qui dignitatem ſuam ac ſtatum vitio aliquo deturparit & turpitudine dehoneſtarit, præcludatur; hinc, inquam, fit, ut Patrum cum plebe de honoribus & magiſtratûs dignitate nullæ ſint contentiones, odia aut ſimulta-

tes.

tes. Accedente præſertim annuâ Patrum cenſurà, quâ ii, qui virtutis falsâ ſpecie & obtentu ad honores evecti ſunt, nec non ii, qui fiduciâ poteſtatis rem malè adminiſtrarunt, ab officio & clavo reip. cum infamiâ quaſi perpetuâ detrudantur.

Videamus paucis *Patres ipſos*, & ſub iis *cives*, ſive *plebem*. Patres dividuntur in IV *claſſes*. *Prima eſt* IV-*virûm ſive ſyndicorum;* qui eſt major magiſtratus, annuos gerens honores. *Secunda eſt* XXV-*virorum;* qui conſtituunt ſanctius vel ſecretius conſilium; hi perpetuâ dignitate ad dies vitæ totius reipub. arcana tractant. *Tertia eſt* LX-*virorum*. Et *quarta* CC-*virorum*. Hi tres poſteriores ita ſuccedunt, ut, ſiquis è collegio XXV-virorum moriatur, mox è collegio LX-virorum is ſuccedat qui ordine & antiquitate prior eſt; & rurſus in hujus locum ſuccedat è collegio CC-virorum is qui antiquiſſimus eſt; in hujus tandem rurſus locum è plebe novus aliquis pluribus ſuffragiis ſubſtituatur, qui nullâ infamiæ notâ aut vitæ turpitudine ſit aſperſus. *Plebs* habet jus jubendæ legis, creandorum ſyndicorum, pacis & belli item indicendi; quæ ſunt jura Majeſtatis. Alioquin dedita negotiationi, inprimis ſericæ, & librariæ; unde æquo pretio heic ſupellectilem librariam comparare potes. Sequior ſexus in ducendis filis ſericis, texendis telis, & acuum picturâ, maximè eſt occupata, aliena ab otio, luxu, levi & vagabundà converſatione.

Ita fuit ſtatus quietus reipublicę: ſequitur *turbatus*, vel per *ſeditionem* vel per *invaſionem bellicam*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

De ſeditione ait *Thuanus,lib.* XVI, *pag.* 667, hoc modo: Anno cIↄ Iↄ LV Genevæ ad lacum Lemanum tumultus quidam nocturnus excitatus fuit à quibuſdam ſenatorii ordinis, qui rerum ſummam ad ſe ſuæq; factionis homines contrahere in animo habebant. ii Ioannem Calvinum Noviodunenſem, qui jam complureis annos in urbe docebat, ſummopere oderant, atque illos inprimis, qui ob relligionem, ut ſe ſuppliciorum periculo eriperent, eò è Gallia migraverant; quorum pleroſque in civium numerum allectos dolebant; eoque factum, ut alterius partis multiplicato numero alterius robur & auctoritas labefactaretur. Igitur ut illos ejicerent, hoc aſtu uſi ſunt: Noctu cõcurſatione diverſis locis factà,quaſi ſigno dato, Gallos in armis eſſe, paſſim clamitatum, & urbem proditam. ſed cùm advenæ ſe domi continerent, plebs quoque, quam conjurati ſe in eos hac ratione armaturos ſperaverant, ſe continuit;& ita fraus conjuratorum fruſtra fuit. Horum quidam ſupplicio affecti, quidam fugâ ſaluti conſuluerunt.

Invaſionem bellicam,præſertim poſtremam, à Sabaudo ann. cIↄ Iↄc II urbi intentatam, quòd mirabilis eſt, nec ab omnibus, ut circumſtantiæ fuerant, fortè lecta, coronidis loco *è Thuano lib.* C XXIX *heic* adjiciam. Ita ille: *Poſt diſceptatum multoties ſcriptis & in conventibus jus ſuum, Sabaudus, cùm apud ſe decreviſſet, quacunq; ratione poſſet, Genevam in poteſtate habere, ſic rem inſtruit, ut, dum per delegatos, ac præſertim per præſidem Roquetum, de commercii libertate cum Genevenſium Republ. agit, copias Camberii*

coactas

coactas ad vim faciendã paratas haberet. Summæ rerum præerat Carolus Simienna Albinius. Brignoletus, Bonæ præfectus, præcipuus dux & auctor, diſpoſitis excubiis, ultro citroque commeanteis ſiſtebat, ne quis ad urbem index pervaderet. Sabaudus ipſe, cum paucis, quò magis lateret, Auguſtâ Taurinorum XVI kalend. januar. profectus, ultra montes erepit, & ad Tremblerias, pagum leucæ ſpatio diſsitum, quarto poſt die venit, ut eminus rei eventum opperiretur. Per Arvæ ripas copiæ incedere juſſæ, ut ſtrepitu aquarum inter ſaxa labentium, quo minùs audiri poſſet, armorum fragor impediretur. inde tranſmiſſo Rhodano ad Plani-palatii pratũ conſiſtunt; ad Corrateriam mediâ nocte per raticulas, ut lutoſas voragines eluctarentur, appellunt. In ea urbis parte a Corrateria turre longus murus ad propugnaculum Anſerinum porrigitur, cui area pari longitudine ſubeſt, antiquo urbis pomerio ſubſtrata. In eo muro binæ ſunt ſpeculæ: in altera vigiles ſtabant; altera neglecta fuerat, quòd turri propior eſſet. juxta eam ſcalæ novo artificio fabricatæ admoventur. nam & mulis portari poterant, & ternæ tantâ firmitudine inſeri, ut pondere minimè flecterentur, aut gravarentur. ima unco ferro in terram adacta, ne loco moveri poſſet, mediæ trãsverſo clathro ferreo per ſumma capita connectebatur; & rurſus media clathro item tranſverſo ferreo ſummæ pariter aptâ commiſſurâ jungebatur, & ad murum fiſtucis applicabatur. ſumma autem cochleis binis ſeu rotis, panno coactili, ne fragorem ederent, involutis, pinnas muri attingebant. Summo ſilentio per unam ex illis CC delecti enituntur, duce Brignoleto;

leto: qui vigilem excubitorem occupat, & teſſeram mortis metu intentato prodere juſſum, de muro pugione confoſſum dejicit; in veſtigioq́ circuitores exſpectare certus, uſque ad alteram poſt mediam noctem horam manſit. Cùm eos pari aſtu deturbaſſet, puer, qui laternam præferebat, periculum evaſit, & in urbem ſubito profectus, ad arma ſumenda civeis excitavit. Idem ab excubitore, qui in turri monetaria ſtabat, ſclopeto diſploſo factum. Quo animadverſo, Brignoletus, qui horam quartam exſpectabat, ne per longiores tenebras aliquid inopinati, ut fit, ſuboriretur, non amplius cunctandum ratus, præſidium ad portam novam collocatum aggreditur; & crepitaculo affixo ingreſſum univerſis copiis, quæ ad Plani-Palatii pratum remanſerant, aperire ſtatuit. trucidatis ſeu diſſipatis cuſtodibus, unus ex iis, in ſummam portam enixus, raſtrum demiſit: continuoq́ in urbe armis arreptis, huc illuc magno, ut in nocte, tumultu diſcurritur; confuſiq́ mulierum & puerorum, inde clamores, inde gemitus & ululatus, exaudiebantur. Verùm Sabaudi, qui ferè jam CC *ingreſſi fuerant, ſubito occurſu turbati, non jam conferti reſiſtere, ſed, relictis ducibus, fugâ ad ſcalas quaſi conatu irrito repedare cœperunt; quas tormentis interim ex Anſerino propugnaculi lævo latere diſploſis confractas repererunt; itaque* LIIII, *cùm effugium non haberent, deſiderati;* XIII *circiter capti; in iisq́ Attiniacus à ſuis deſertus, inſigni Mauritianæ militiæ priùs caloni tradito, qui fortiſſimè certans tandem in manus Genevenſium devenit. capti item Connas & Scalfidonus. Manè, qui in Dominicam incidebat, poſt prandium, in conſi-*

lium

lium itum, & , quid de captivis ſtatuendum eſſet, ſeriò deliberatum fuit. alii mitiùs agendum cenſebant, &, quibus belli fortuna pepercerat, in eos quidquam gravius decernendum negabant. alii ſub cuſtodia tenendos ajebant, ut, ſi res ad bellum deveniret, obſides vitæ ac vades civium eſſent. ſed, incenſis animis, & tanto periculo exaſperatis, vicit ſeverior ſententia, quæ eos tamquam fœdifragos latrones & publicæ tranquillitatis turbatores morti addixit. Igitur iis ſtrangulatis, ac pariter aliis, qui in conflictu ceciderant, capita abſciſſa, & in propugnaculo Anſerino ad horrorem ſuſpenſa. corpora in profluentem proximum merſa. ex urbanis XVI interfecti, & in iis Canarius ex patritiis, & Marcus Cambiagus. Inde magiſtratus ad Philibertum Guichium Lugduni regium præfectum dat litteras, & de ſucceſſu eum docet, & bis mille delectos in ea expeditione numeratos dicit; petitq́;, ſiquidem Sabaudus poſt irritum conatum nocturnum apertâ vi obſidionem tentare in animum inducat, ſibi ut viribus regiis præſto eſſe non cunctetur; nam, quid periculi damnique regis regniq́; rebus amicæ urbis amiſſione impendeat, minimè ipſum ignorare. Sabaudus, copiis Thononii & Ternii ac per Foſsiniacum agrum diſtributis, per diſpoſitos equos actutum Alpeis repetit: per legatos ſuos apud Bernates facto excuſato, quaſi non, ut publicam fœderatorum Pagorum quietem turbaret, ſed ut Diguierii, qui urbi cum copiis regiis inſidiabatur, conatibus præverteret, expeditionem ſuſcepiſſet: & verendum, non ſolùm ſibi, ſed ipſis ſummoperè, fuiſſe, ne tam potentem vicinum haberent. Rex cognitâ re ſtatim ad Genevenſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

venſes ſcribit, anno CIƆIƆCIII, *& de ſucceſſu gratulatus, ſiquidem Sabaudus obſidionem tentaret, mandaſſe ſe dicit præfectis ſuis in Sebuſianis & vicino limite, iis ut cum omnibus copiis præſto ſint. Inde excurſionibus utrinque certatum, ſed exiguo ſucceſſu. Mericus Vicus, qui apud Helvetios Oratoris munere fungebatur, cùm inde diſcederet, ad eos proficiſci juſſus, & animos civium ad pacis conſilia inclinare. accenſo quippe bello Hiſpanos non quieturos apparebat; & Pontificius legatus eventum veritus, apud regem inſtabat, ne ex ea cauſa ambo Principes arma, Chriſtiani orbis bono poſita, reſumerent. Cùm multi inter eos cum hoſte, toties reconciliato & numquam quieſcente, bellum tutiùs quàm pacem ducerent, rex, qui periculum ſociorum negligere non poterat, &, ſi in bello illi perſeverarent, ſibi in armis eſſe, impoſitam neceſſitatem videret, onus & invidiam deprecatus, per Baſilienſes, Scafuſianos, Claranos & Appecellenſcis cum iis agit; eodemq́; tempore cum Sabaudo, ut pacem quàm bellum mallet, quod non cum Genevenſibus, ſi ultrà tenderet, ſed ſecum habiturus eſſet. Tandem ille, qui initio querelas æquè ac vireis minasq́; illorum inſuper habuerat, ubi vidit, regem, patrocinii ſuſcepti ratione, huic bello ſe paratum immiſcere, conditionem accepit, & Romillium, quò Genevenſium delegati venturi erant, Albinium miſit. Et poſt acerbas utrinque altercationes conventus ad Iuliani-fanum tranſlatus. Vbi tandem inter partes convenit* XII *kal*. ſextilis. *& tractatus perſcriptus,* XXII *capitibus conſtans. quo commercii libertas ante omnia conſtituitur, ſalis uſu excepto. judicia*
utrin-

utrinque bellorum occaſione facta revocantur. bona ac poſſeßiones, belli tempore occupatæ in Chablaſienſi principatu, & Ternenſi & Gallardenſi præfecturis, ſine mora aut tergiverſatione reſtituuntur: viciſsim Genevenſes Geneſii-fanum cum territorio ſuo reſtituere tenentur: controverſiæ de S. Victoris & collegii terris ſuſpenduntur; & eodem ſtatu, quo erant anno CIↃ IↃ LXXXIX, *quo bellum cœpit, indeciſæ remanent. iis, qui hoc bello Genevenſium partes ſecuti ſunt, à Sabaudo fit gratia. præterea ii, qui religionis causâ aliò migraverunt, bona reſtituuntur; & ſi quidem eam religionem profiteri velint, retinere bona ſua ac poſſeßiones poterunt, & de iis arbitrio ſuo ſtatuere, & quater in anno ad eas venire, ſingulisq; vicibus per ſeptem dies in iis ſalvâ conſcientiæ libertate commorari: quo tempore nulla inquiſitione vexabuntur, dummodo nihil agere comperiantur, quod dogmatis ſui per ſecretas inſtitutiones ſparſi ſuſpicionem faciat. privilegia, immunitates, Genevenſibus à Sabaudi deceſſoribus conceſſæ, denuò confirmantur. alienationes & conceßiones, à Bernatibus factæ, dum præfecturas occuparent, ratæ habentur; ſi qui inde expulſi fuerunt, quamprimùm reſtituentur. perſecutiones in jure & citationes addito temperamento mitigantur. proſcriptiones occaſione hujus belli revocantur & irritæ declarantur. per contumaciam decreta reſcinduntur. fructuum ex bonis ſacris & aliis à Genevenſibus ab ann.* CIↃ IↃ LXXXIX *perceptorum perſecutio ceſſabit. Sabaudus intra* IV *leucas ab urbe Geneva nullos delectus habebit, nec ulla loca muniet. utrimq; captivi dimittuntur, impenſis ex æquo perſolu-*

tis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tu. Genevenſes Vervinienſi pacificatione comprehenſi intelliguntur. à Sabaudo hoc tractatu Pontifex, Cæſar, ambo reges, & fœdera quæ ille cum Hiſpaniæ corona habet, nec non cum Pagis Helvetiorum, comprehenſa intelliguntur. à Genevenſibus Cæſar & imperium Romanum, rex Chriſtianiſſimus, & fœdera quæ ipſi cum Pagis Helvetiorum, & ſpeciatim cum Tigurinis & Bernatibus, habent. Subſcripsêre à parte Sabaudi, ... & Genevenſium, ... item Helvetiorum, qui aderant, Legati; Clarenſium Pagi nomine, ... Baſileenſium, Soloturnenſium, Schafuſenſium, Apecellenſium. Pacta conventa Sabaudus quatriduo pòſt Auguſtæ Taurinorum rata habuit. Hactenus Thuani verba. Videatur etiam *Meteranus, tom. 1, pag.* 1045; & *Rod. Boterews, lib. 9. Com. Gall.*, de hac invaſione. Concludam cum his eteoſtychis.

MensIs Vt àChrIſto LVX bIs ſeXta orta VoCatI,
LapsI hoſtes sCaLIs noCte, GeneVa, tVi.

Gotts hVLf, hVtt, VVaCht, nebn Genffer ſChVtz,
An zVVeLLften ChrIſtMont VVehrt eInfaLLs trVtz.

Præter hanc invaſionem Allobrox bis tentavit urbem expugnare. Obſidione cinxit anno cIↃ IↃ LXXXIII. Liburnicis ſcaphis, phaſelis, ad præcludendum commeatum, lacum omnem contexerat. Dehinc anno cIↃ IↃ XC, intercepto omni aditu, terrâ & undis, in eas annonæ anguſtias conjecerat; ut jam ultrà inediam non ferens, deditionem factura eſſet, niſi Inſuber, deſiderio Phocenſis provinciæ, abductis copiis,

libe-

liberiorem reliquiſſet. ſic dum aliena & longinqua appetit, opportuna & finitima amittit. *Botereus, lib. 9, hiſt. Gal. p. 88.*

Ita Genevam vidimus & habuimus in martium uſque menſem. qui cum ver nobis apportaret, nos ad iter Gallicum nos accingere juſſit. Literis itaque ſalvi-conductûs à magiſtratu benevolè nobis exhibitis, novos conductores conduximus; quibus ſinguli pro omnibus impenſis IV florenos Gallicos per diem numerabamus. Sic nos in viam dedimus, conducti extra portam novam, & amicè dimiſſi, ab illuſtrib. & generoſis ibi commorantibus. Relinquentes Planum Palatium ad dextram, tectum fluvio *Arva* impoſitum pontem, qui terminat Genevates & Sabaudos, ſuperavimus. Inde hiulcâ viâ pergendo, dextrorſum in ſummitate montis videbamus rudera propugnaculi *Divæ Katharinæ:* arduum olim, editiorique tumulo poſitum. ex eo circumjacens omnis planicies deſpici poteſt. aggeribus & foſsâ egregiè munitum, in libertatem Genevæ compeſcendam, & tertiò obſidendam, expugnandamq;, ſtructum. Hoc propugnaculum fortiſſimum, importunis Genevenſium precibus ſollicitatus, rex Henricus IV deſtrui & everti permiſit; deditione priùs à præſidiario milite factâ his legibus, ut, niſi intra XIIX diem Dux obſeſſis tuliſſet auxilium, armatis ſub ſignis exire, & bellicorum tormentorum, quæ ibi eſſent, trientem educere ſecum liceret: quod & factum anno cIↃ IↃc.

Via ſalebroſa & lapidoſa nos ad cœnam duxit in vicum *Luiſettes*, IV *mill.*, *à la Croix blanche;* ubi tenuis apparatus, præſertim jejuniorum

niorum tempore, & vile cubile. Locus aliàs famam habet ab eo, quòd Henricus IV rex, cùm heic hoſpitaretur anno cIↃIↃc, Theodorum Bezam theologum, Genevâ evocatum, cœnæ ſuæ & cubili eidem intereſſe voluerit; ſequentique die munifico honorario auctum in urbem remiſerit. *Botereus lib.* VII, *hiſt. Gall., ait:* Theodorus Beza novatorum veteranus, totoque orbe notiſſimus, tandiu ſepto incluſus, in caſtra egreditur, regemque ſalutat; cui rex optare illi vegetius ævum, animumque concordem ad pacanda diſſidia de religione.

Hinc per ignobiles quosdam pagos devecti ſumus ad pontem *le Cupet*, unius fornicis, qui vadoſum facit fluvium *la Fiere*; ſiniſtrorſum videntes fortalitium *l'Annonciade*, à Sabaudo quondam exſtructum, & deſtructum, quòd tantas impenſas præſidiarium in militem ibi habendum locare noluit.

Circa meridiem, ut pranderemus, in opidum *Remilly* VII *mill.* venimus, *au cheval blanc*, ſitum ad *fl. Fiere;* ubi pons II arcuum. Nec eſt quod hîc notes, præter lapidoſas vias; quemadmodum omnis ferè Sabaudia montibus attollitur, & ſe habere dicitur inſtar ſcalæ muſicalis, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, propter montes & valles. Solum lapidoſum, humidum ac frigidum eſt, & proinde frugum non ita fertile; quas tamen ad incolarum uſum ſufficientes gignit.

A prandio II *mill.* ad cœnam in pagũ *Trochon* delati, ibi pernoctatum ſubſtitimus. Simplex erat hoſpitium *à la croix blanche;* impura cubilia, agreſtes homines; vovebamus diem præ nocte,

noćte, & feſtinationem ab inculto hoc populo. E regione hoſpitii ad dextram arx *Montfaucon*, Domini de la Chambre, eminùs in colle conſpicitur.

Vbi dies manè adventaret, feſtinabamus inde. Arx *Breſe* ſiniſtrorsùm cum valle petroſa jacebat; E longinquo dextrorſum *le lac de Bourgeois* videbatur, cum montibus *d'Aiguebellette*. Nil niſi petroſa via & ſinuoſa erat uſque ad opidulum *Aix*, 11 *milliar.*, ſub dominio Nemoroſii Ducis. Quæ opidulo lumen inferunt, thermæ ſunt binæ, ſulphureæ & nitroſæ, limpidiſſimæ aquæ. Crateres magni erant, & caſtella lapidibus quadratis ſepta, in quibus pueri lavantes natabant tam artificioſè, ut injećtum numum, ſine ope manuum, ore aſſumere è fundo & exporrigere eos vidêrimus. Penes nitroſum fontem, dulciſſimæ aquæ erat canalis; rarum viſu quod videbatur. Antiquitates Galliæ, pag. 851, harum balnearum faciunt Caium Sextium aućtorem & fundatorem, ibi: *Croy le meſme Sextius auteu & fondateur des bains & de la ville d'Aiſt en Savoye. l'antique ſtrućture deſdits bains, & l'arc triomphal qui s'y void encore, & dans lequel ceux, qui l'ont veu, eſcrivent, avoir remarqué pluſieurs caraćteres anciens, mais qui ne ſe peuvent rallier, pour former quelques enſeignemens à la poſterité; leur nom d'Aiſt, conforme à celuy d'Aix; avec longueur du temps que Sextius commanda en ce pays, m'en font ſoupçonner quelque choſe.*

Vno lapide iſthinc abjunćta eſt arx ad ſiniſtrã *le chaſteau de Zonas*; gentilitia domus nobilis

iſtius,

ſtius, qui unà cum correis Genevæ anno cIↄ-Iↄcii in propugnaculo Anſerino penſilis factus: de quo & uxore ejus *Meteran. vide, tom. 1, pag. 1046;* leges hiſtoriam, maritalis amoris & fidelitatis rarum exemplum. Denſa & inamœna ſilva ibi tranſitur. quâ finitâ in ſublimi te colle videbis poſitum. Iſthinc ſinuoſo greſſu & longo præcipitique ducêris in vallem, quam ſecat fluviolus *la Gie.* Deſcenſus fit per vineta mera, interſepta amygdalis & perſicis, flore ſuo adventantes quæ afficiebant. Hoſpitabamur in ſuburbio *S. Antonii, à la pomme d'or,* confectis III ab AQVIS *milliarib.*

CAMBERIVM, *Chambery.*

CApur Allobrogum eſt. Horum limes à ſeptent. eſt Rhodanus; qui eoſdem quoque ab occid. tangit: ab oriente ſunt Alpes: Delphinatus ad meridiem eos claudit. Ipſo prandii tempore aderamus. Quo refecti, *arcem,* Principis Thomæ domicilium, petebamus. Si faciem ejus videas, ſpecioſa eſt primo obtentu; verùm extra cutem, intùs nihil, quod te moretur, invenitur. Enotatas has inſcriptiones ponimus. Exterior arcis porta ſic habet:

D. D. Principibus piiſſimis
Victori Amadeo & Chriſtinæ
tranquillitatis & læticiæ publicæ
Vindicibus
Votivum felicitatis
carmen

Vivo longævi felices vivite amore:
In veſtro populi vivet amore ſalus.

Ad

Ad dextram ſtatua Prudentiæ:

Prudens ſimplicitas.

Ibi Principis effigies: *Victor Amadæus, bellator pacisq́ lator fortiſſ. prudentiſſ. hoſtium ſuiq́ victor invictiſsimus, Henrici Gallorum Magni Regis voto peracto, ſociatâ Sibylliâ Carolo Emanueli Patri.* Ad ſiniſtram:

Caſta pudicitia.

Ibi Sponſæ Ducis effigies. *Magno Sabaudiæ Duci, quod felix fauſtumq́ ſit, ducit regiæ conjugi triumphales arcus. Lancei Marchio Cismontanæ Eparchus provinciæ, intemeratæ fidelitatis argumentum poſuit.* Vtriuſque, Sponſi & Sponſæ, pedibus ſubſcriptum:

Auſpex huic facti Deus, huic & pronuba Virtus.

Ex arce deſcendentes, ad *templum Cordigerorum*, dicatum *Sanctæ Mariæ*, ivimus, monumentum Antonii Fabri Iuriſconſulti viſuri; quod dextrum aræ latus cum effigie tenet: à turba omnes angulos occupante, impediebar illud exſcribere. Faber hic ſcriptis celebris Præſidis locum tenuit in Parlamento. cui ſucceſſit Dominus de Montoux, olim legatus ad Vnionis Principes Germanos à Sabaudo miſſus.

Ceterum urbs ædificiis anticâ facie ſimilis eſt Genevenſibus: porticus & ambulacra ſub tectis ligneis elevatis, platearum vicem obtinent: ſi incolas vides, formâ & veſtitus gratias abigunt, & hoc commune habent cum universâ Sabaudorum gente, cui vix ſine deformitate quid formæ.

His

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

His viſis, relinquebamus hoſpitium, & urbem. Amœnâ viâ per *pagum S. George*, cui in colle imminet vetuſta arx ad ſiniſtram, euntes, ſub veſperam ad opidum *Memelianum* accedebamus II *milliar.* Mox ſine ſufflamine interventúve intromittebamur in eam, benè excepti in hoſpitio, cui pro inſigni eſt *la croix d'or.*

MONMELIANVM.

ALiâs adventantes ante portam detinentur; interrogantur unde veniant, quò abituri ſint; adjunctis nominibus & gente: ita quæſtione factâ invocatur cuſtodiam agitans, num intromittendi ſint advenæ; ſi affirmando reſpondetur, porta aperitur. A noſtro adventu mox aderant milites, nomina conſignata in arcem ad præfectum delaturi; quorum ope etiam ſequēti die ipſam in arcem ducebamur. Caſtellum, cui prępoſitus erat Comes quidam Italus, *il Signore Rogiero Compignano, Conte de Lucerna,* ſub ſe habens IↃ milites in præſidio, præter ccc in opido; vir annis gravis & benevolæ frontis, utpote qui præter opinionem ipſe nobiſcum munitiones circumibat, monſtrando ſitum loci, caſtriq́ue defendendi rationem: caſtellum hoc, inquam, rupi impoſitum, nec cuniculis ſuffodi, nec ſcalis admotis invadi poteſt, & ab omni tormentorum vi tutum plerique militiæ gnari judicant, ideoq́ue inexpugnabile munimentum eſſe, perſuaſum eſt multis. anno tamen cIↃ IↃ XXXVI, ſub Franciſco I rege, Comes S. Pauli id cœpit. Ex opido acclivis eſt aſcenſus in caſtrum, duplo munimento firmum,

firmum. alterum alteri impoſitum; nec deſunt gerræ ſive crates vimineæ, nec tormenta grandiora; qui in proverbium ivêre: *Quand tous les canons de Montmelian ſeroyent là, je ne le feray pas.* quaſi dicendum : Quidquid etiam operæ & mediorum adhibeamus, non tamen id effectui dare poterimus. Foſſæ, quæ caſtrum circumdant, è vivo ſaxo exciſæ, ſunt miræ profunditatis. Hinc munimentum hoc primum eſt, poſt Nizam ad mare Liguſticum, quo Sabaudus gloriatur. Henricus IV tamen rex Galliæ (ita enim in fatis erat ut huic regi non minùs quàm Hannibali Alpes perviæ eſſent. *Botereus lib.* VII *hiſt. Gall.*) non ceſſavit, uſque dum illud expugnaret, hoc ferè modo; Ipſe rex præſens erat, copias Momeliano circumfundens. magnas quidem arcem obſidentibus opidum, quod jam ante fecerat deditionem, afferebat commoditates: vix tamen ullus locus collocandis ad arcem verberandam machinis idoneus reperiebatur. ſed omnia poteſt induſtria. tandem enim diligentiâ maximè & ingenio Roſnii præfecti machinarum effectum eſt, ut XXXIII, diverſis in locis diſpoſitis, tormentis & muri arcis arietarentur, & præſidiarii defenſione prohiberentur. In deſcenſu unius montium, quos arcem undique claudere diximus, præceps erat collis, vineis conſitus. In hujus vertice ſeptem tormenta, lacertorum vi eò pertracta, prædictus Roſnius collocavit, ut iis armis muri quaterentur; ad pedes verò ejuſdem collis duas alias tormentis deſignavit ſtationes, tam contra propugnaculum, Mauroſinum vulgò dictum, quàm loca alia, ad quæ

ictus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ictus pertingere poſſe videbantur; è quibus etiam quati poterat turris quædam vetuſta, formâ quadratâ, ruinamque minitans, quòd olim ab exercitu Franciſci I regis Francorum fuiſſet concuſſa. Citra fluvium Iſaram quoque duobus locis poſitæ machinæ diſplodebantur in inferius propugnaculum, inferebantque damnum iis qui exire & oppugnantibus reſiſtere aut etiam murorum ruinas reſtaurare vellent. Hæc majorem quàm ulla alia res timorem obſeſſis incuſſit, qui interea (quippe tormentis eorumque apparatu probè inſtructi) globos & tela in hoſtem ſpargere numquam ceſſabant. Brandiſius, arci præfectus, impetratis V dierum induciis, cum rege ita convenit, ut, niſi intra menſtruum ſpatium Dux obſeſſis auxilio veniret, arx dederetur, præſidiarii cum omnibus, quæ geſtare poſſent, excederent, & è centurionibus aliquem, qui hæc pacta Duci ſignificaret, mittere liceret. Ita ergo rex Henricus IV, cùm intra vertentem menſem ex adverſo nemo comparuiſſet, arce munitiſſima præter multorum ſpem exſpectationemque eſt potitus XVI novembr. anno cIↃ IↃc.

Ex hoc caſtro fortalitium BARRAUX, II milliar. abjunctum, videri poteſt, tympanumque, quando pulſatur, exaudiri. Sabaudus anno cIↃ IↃ LXXXXVII id poſuit & erexit; non longè pòſt Dediguerius id pro rege Gal. expugnavit, tenuit, eique præſidium dedit; cui præerat præfectus *Heyd* Helvetius.

Quoad opidum Mommelianum, eſt illud unum è celebribus Sabaudię, quòd medium inter vicinos montes plano æqualique loco eſt

ſitum.

ſitum. Iſara fluvius id alluit, ejusque civibus multas adfert commoditates. Opidum alioquin nec ſpatioſum valdè eſt, nec civibus frequens, continuo bello attritis. Incolæ ſimplici ſunt & agreſti plerumque animo, à literarum cultu non minùs quàm olim majores ipſorum alieni: quod tamen vitium eis cum aliis Sabaudis pleriſque omnibus eſt commune. Quidquid famæ opido eſt, ab arce eſt, quæ magnitudine opidulum adæquat, totique viciniæ imperitat; non à commerciis aut ullis divitiis.

Cœnam cum cubili unam cùm hîc habuiſſemus, manè jentaculo addito, VII *milliarium* iter ingreſſi ſumus per invia loca ad magnum illud *Carthuſianorum cœnobium.* Primo lapide arx cum pago *d'Amian* obvia erat. inde maximè acclivis & petroſus mons, *le Fraiſne:* quem non ſine errore, ſed & magno periculo, aſcendebamus ad jugum uſque. revertendum igitur anguſtâ ſemitâ, quæ ad ſiniſtram præcipitium ſine fundo oſtendebat; nix viam tegens, in aquam reſoluta, lutoſam viam & difficilem progreſſum cauſabatur. deſcendendum tamen erat non ſine exiguo periculo in profundiſſimam vallem ad pagum *Eſpernay:* cacumina montium denſis nubibus circumvoluta fumabant; per quas tamen ire cogebamur anguſto & periculoſo tramite. relinquebatur *le chaſteau vieil* cum ſuis ruderibus. relinquebatur item pagulus *Sainct Pierre d'Entremont* cum arce vertici montis impoſitâ, quæ olim Dominum habuit illuſtrem Herum Colinium, laniena Pariſienſi anno CIↃIↃLXXII è vivis ſublatum. hic pagus primus eſt cis hoc latus

in Delphinatu, qui per fluviolum *Gie*, medium ſecantem, à Sabaudiâ diſcriminatur.

Hinc pergebamus, integrum diem impranſi; jugis montibus, ubi hyemes vix unquam deſinunt, circumvallati, & denſâ nive tecti. nullæ hîc habitationes, nulli homines, nec animalia, nec volucres. conſtituti certè eramus nubibus & nive implicati in media aëris regione. Nulli viatores offendebantur, præter aliquot agaſones, qui aſinos ductitantes vecturam vini faciebant pro cœnobio Carthuſiano. Vltro citroque ita equitantes, per montes, per præcipitia, ſupini & proni, per flexuoſas & devias vias, in vallem *la village de Chartreuſe* tandem delati ſumus. Pauculæ ædes ibi & molendina. Inde per anguſtas fauces editiorem in viam rurſus eundum erat, præcipitio dextrorſum relicto, uſque dum anguſto ductu ad primam cœnobii portam deveheremur. ubi pons unius arcûs jungens immenſos duos ſaxeos montes, rapidiſſimo fluvio & horrendo cataracte à ſe invicem disjunctos. Hæc fluminis vis & velocitas omnem impedit tranſitum, ſive eques ſive pedes venias: omnemque cludit ad cœnobium acceſſum, ponte dejecto. Non tamen Adretium excludere potuit, de quo Thuanus lib. XXXI hiſtor., anno CIƆIƆLXII, ait: Non. junii magnum Carthuſianorum cœnobium, quia inter montes aſperos poſitum, urbi Gratianopoli imminens, propter viciniam incommodaturum credebatur, ob id ab Adretio expilatum & incenſum eſt, in collegii illius ſodaleis rejectâ artificiosè culpâ, quaſi adverſarios receptaſſent, & accepto milite hoſtilis

animi

animi indicium primi dediſſent. Henricus IV rex, cum omni aulâ locum hunc aliquando viſitaturus, præmiſerat ornamenta, tapetes, & quidquid regium cubile regiamq́ue culinam decebat; verùm impeditus arduis negotiis non venit, omnisq́ue convaſata ſupellex retroportata difficili itinere fuit. Ludovicus XIII, qui modò Lilia Galliæ florere facit, idem in animo habuit, verùm ſine effectu, ut nos edocuit monachus cœnobii; auxit tamen cœnobium annuatim aliquot CIↃ florenis, propter creſcentes impenſas; ſiquidem quotidiè CCC hominibus hîc victus paratus porrigitur, interdum etiam pluribus, pro augmento decrementóve adventantium. Accedit, quòd cuilibet, quisquis etiam ſit, huc adventanti, triduum integrum, liberale detur hoſpitium ſine omni recompensâ, niſi fortè aliquid coquo vel cellario honorarii ergò elargiri velit.

Pergamus ad cœnobium. Pons hic ubi ſuperatus eſt, clauſa prælto eſt porta, hæc à laico monacho, veſtitus qui habitu religioſo, aperitur, & mox rurſus clauditur. Aſcendimus anguſtâ viâ ad amplæ formæ domicilium inſtar villæ, ædificatum pro opificibus cœnobii: heic pro equis eſt ſtabulum & pabulum; adventanteſq́ue non eſt quòd ullam pro vectoribus ſuis, quàm diu in cœnobio commorantur, curam habeant. Vrſorum prægrandium capita portarum valvis videbis affixa; frequentes ſiquidem in hac eremo & montoſa ſolitudine oberrantes capiuntur. Relictis heic vectoribus, pedeſtri itinere contenditur altius, ad ipſum uſque cœnobium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

LA GRANDE CHARTREVSE.

HVc ubi ventum, porta pulſanda, vel campanulâ adductâ aditus ſignificandus. mox præſto eſt, cauſam adventûs quærens. quâ auditâ hoſpites intromittuntur, &,gladios deponant in ædiculam dextrorſum portæ intùs adſtructam, rogantur, ibi ad diſceſſum uſque reſervandos. Intromiſſi per aream ſpatioſam ad ipſum cœnobium ducuntur in conclave cuique nationi deſtinatum; quamvis nos Germanorum habitatione,quæ tunc temporis ab aliis erat occupata, excludebamur, hoſpitantes interim in Francorum cœnaculo. Adventantibus nobis ſub imam veſperam mox largus focus incenſus eſt, deinde menſa ſtrata, piſces varii adpoſiti, oleo, non butyro, cocti; vinum rubrum, ſed aſperum,propinatum: & hæc omnia per cellarium exhibita , monachorum nullo præſente. A cœna lecti, alveorum inſtar, parietibus contigui & incluſi, apertis portulis ſtrati,monſtrabantur,nobis pro quiete nocturnâ deſtinati. Ita primum diem ibi habuimus.

Sequenti mane myſtagogus aderat, circumducturus nos in monaſterii penetralia. Ibi quæ de *monaſterio* & *monachis* enotavimus , heic adjiciemus. Monaſterium ſitû eſt in montibus *(les montagnes de Carthuſe,)* olim in Sabaudi territorio; modò Galliæ adſcriptum,per regem Franciſcum , anno cIↃ IↃ XXXVI. Ipſum ædificium amplitudine ſuâ non adeò magnum, ſtructurâ nec adeò elegans: celebre magis propter ſanctitatem & Ordinis originem, quàm propter majeſtatem ; alioquin *Certoſa Magna*

prope

prope Mediolanum primas teneret. Hiſtoriam de origine hujus monaſterii,quę ſub Philippo I Gall. rege anno CIↃLXXXIV cœpit,ſuperſedeo heic attexere. Paſſim ea extat,inprimis in antiquitatibus Pariſienſibus. Bruno quidam Colonienſis,author eſt Ordinis hujus & monaſterii ſtructor: quâ causâ huc venerit & quâ viâ, authores docent. Imò ipſam hiſtoriam, utut Pariſiis ſeſe habuit, depictam invenies in periſtyliis apud Carthuſianos Pariſienſes, ad quos non una mihi itio fuit cùm ibi commorarer, invitatus à primario Ordinis, viro literato & exterorum amante. Inde tria defuncti eloquia (quæ Brunonem Pariſiis abire moverunt) cum memorandis verſibus de immutabili Dei judicio, exſcripta, ſaltem adjiciam: quæ ſunt:

Iuſto Dei judicio accuſatus ſum.
Iuſto Dei judicio judicatus ſum.
Iuſto Dei judicio condemnatus ſum.

Verſus,non pontificiam redolent opinionem:

Et ſanè ipſa Dei ſententia grandis abyſſus,
Cui ſoli detecta manent abſcondita cordis.
Quos ſibi delegit, vel quos privavit olympo,
Solus habet notos, ſolus diſcrevit ab ævo.
Nos homines cæci rerum ſecreta videmus
Sicut Apollineum diſcernit noctua lumen.

Bruno hic aliquando è monaſterio hoc Romam à Papa Vrbano II evocatus eſt. Poſtquam inde rediit, non reverſus eſt in Delphinatum ad monaſterium hoc à ſe conditum, ſed in deſerta Calabriæ ſe recepit, exiſtimans, ſe magis inquietum eſſe in Delphinatu, ſi rediret eò. Verùm non diu latuit in Calabria; canibus enim venaticis in lucem protractus, ad Comitem Calabriæ ductus fuit: qui poſtea eum magni fecit, multum tribuens ejus meritis & precibus. Vide litteras hujus Comitis apud *Baron. in annalib. eccleſ. tom.* 11. Mortuus verò eſt Bruno VI octob. anno cIↃcI. Epitaphium tale ibi ei poſitum:

Primus in hac, Chriſti fundator ovilis, eremo
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Germania, meq;
Tranſtulit ad Calabros grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Chriſti, vir notus in orbe:
Deſuper illud erat; gratia; non meritum.
Carnis vincla dies octobris ſexta reſolvit:
Oſſa manent tumulo; ſpiritus aſtra petit.

Myſtagog⁹ ducebat nos primò in *ſacellum Generaliſsimi*, (Prioris hoc nomen eſt, quòd generalem inſpectionem omnium conventuum, qui hujus ordinis ſunt, habet) anguſtum quidem, ſed valdè decorum. aræ pictura aliquot cIↃ aureis æſtimatur.

Deinde in *Capitulum* majus. locus eſt omnium cœnobitarum, quando heic conveniunt de rebus ordinis acturi, conſeſſui accommodus: diſtincta cuique nationi ſua ſunt ſubſellia. Parietes VI *tabulis* inveſtiti ſunt; Hiſtoriam fundati Ordinis in iis pinxit monachus Car-

thuſianus

thuſianus artificioſiſſimâ manu. Prima *tabula* oſtendit Canonicum, è feretro ſeſe erigentem Pariſiis; cujus verba & tria eloquia ſuperius notavi: Feretro adſtat Bruno cum aliis, pallido vultu & mœſtitiâ ſpectaculi omnes perterriti. Secunda tabula oſtendit Brunonem, ſomnio VII ſtellas videntem; quæ VII primaria Ordinis capita ſignificare dicuntur. Tertia tabula Brunonis repræſentat adventum ad epiſcopum Gratianopolitanum, ut cum eo conſultet. Quarta tabula oſtendit epiſcopum manu ducentem Brunonem in ſolitudinem, cui monaſterium hodiè ſtat inædificatum; Egregia pictura eſt, in qua ſitus montium artificiosè exprimitur. Quinta, ipſa eſt cœnobii ſtructura; ubi cœmentum, calx, lapides, ligna, inſtrumenta opificum, circinus, regulæ merentur laudem artificis. Sexta, cadaver Brunonis eſt; cui monachi adſtantes, mœrentes, affectuum oſtendunt naturam: ibi inſcriptio :

Innumeris dives meritis, confectus & annis,
Extremum claudit funere Bruno diem.
Angelicæ plaudunt turmæ, reſeratur olympus;
Non moritur; vitâ nobiliore viget.

Inde ducebamur in *auditorium*, concionibus Gallicis deſtinatum pro novitiis.

Cœmeterium ſine omni ornatu, ſine cenotaphiis eſt; Priorum monumenta oſtendunt cruces ferreæ.

Refectorium duas habet tabulas & unam cathedram, è qua prælegitur conviventibus. Verùm diebus Dominicis ſolummodò in hoc refectorio conveniunt, & magnis eccleſiæ feſtis, obſervantes ſtrictè Hugonis regulam & præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ceptum, & habentes *oculos in menſa, manus in ſcutella, aures ad librum, cor ad Deum*.

Templum non ſpacioſum, nec lucidum; in quo lampas argentea magni ponderis, donum Carthuſianorum Ratisbonenſium, cum inſcriptione: *Domus Carthuſiana Ratisbonæ.*

Cellulæ monachorum & habitationes ſunt quoad opus inteſtinum quercetano ligno veſtitæ, *nunquam cimicibus infectæ*; quod Pariſiis vidi, & notavi: opifices verò & ſervi domeſtici cœnobitarum proximè cohabitantes ab iis non ſunt liberi. *Antiquitates Pariſienſes ita habent: C'eſt une choſe generale par tout l'ordre, que Dieu n'a point voulu que les moines de l'ordre ſoyent affligez & inquietez de ces puantes beſtiales, appellees* PUNAISES, *& en a exempté toutes leurs cellules, deſquelles autrement & difficilement ils ſe pourroient garentir, pour y avoir grande diſpoſition, à cauſe qu'ils couchent veſtus, n'uſent point de linge, changent peu ſouvent d'habits, ont leurs cellules faictes de bois par dedans leurs lits, & fermés de bois au lieu de courtines, & le ſtüare de leur lict, qu'ils ſont ſi peu curieux de changer, qu'il y en a qui ne le changent pas en vingt ans une fois.*

Videamus nunc *monachos*, & quæ circa Ordinem ſunt ſingularia. Monachis præeſt *Prior*, generale omnium hujus Ordinis conventuum Caput. Hic ſemel electus è quocunque conventu, quicunque etiam ille ſit, tenetur ſe conferre in locum & monaſterium hoc grandis Carthuſii; nec, quamdiu huic officio præeſt, ſeſe ex

mon-

montibus his recipere aliorſum, in exemplum reliquis monachis, ſolitudinem qui ſelegerunt. Inter Priores fuère etiam Franciſcus de Puteo, I. V. D., & Petrus Sardus, ICtus.

Circa monachos videatur *numerus conventuum, regula vitæ*, & *monachorum diſtinctio*.

Conventus diviſi ſunt in XVII provinciis; ubi C LXXXIX monaſteria habent; in quibus numerantur III cIↃ CC religioſi, & plures, ut ſcribit *Azonius, lib.* XII *de inſtit. moral. part.* I, *cap.* 21, *de multitudine monachorum*. Ex omnibus his conventibus anno ſemel unus ablegatur ad conventum generalem in hunc locum; quod aliorum Ordinum monachi non obſervant.

Regula vitæ eſt maximè auſtera, & conſiſtens in his III punctis; in IEIUNIO, VESTIMENTIS & SOLITUDINE.

IEIUNIUM illis eſt perpetuum & abſtinentia ab eſu carnium etiam in extrema valetudine. Vnde *Navar. tom.* IV, *tit. de regularib. lib.* XXX, *conſ.* V, movet quæſtionem, num Ordo Carthuſianorum ſit magis auſterus quàm Ordo Minimorum; cùm illi tria tantùm habeant vota eſſentialia; iſti verò addunt quartum, nimirum, obſervationem continuam vitæ quadrageſimalis, ita ut numquam nec butyrum, caſeum vel ova edant; excepto tamen caſu morbi, quo licitum Minimis veſci carne. concludit autem, quod rigoroſior ſit ordo Carthuſianorum, quia facilius eſt veſci cibis ſemper quadrageſimalibus, & interim carnibus ubi ægrotamus, quàm his perpetuò abſtinere. Præterea, ſingulis diebus Veneris jeju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nium illis eſt in pane & aqua, niſi veniam impetrent à ſuperiore, pro licentia & eſu ciborum quadrageſimalium, præter caſeum, ova & butyrum. Sic ſtrictè hæc regula obſervatur, ut, etiamſi kalendæ januarii ſeu feſtum Circumciſionis incidat in diem veneris, Carthuſiani abſtineant à lacticiniis, etiamſi ſæculares vel carnibus veſcantur. Iejunium verò in pane & aqua Bruno in principio inſtituit die lunæ, mercurii & veneris; ſed nimis auſtera fuit hæc regula, & mutata in diem veneris dumtaxat. Si verò cui libet hanc jejunii obſervare ſanctionem, ei non licitum niſi permiſſu abbatis: cui competit judicare de cujuslibet ſui religioſi valetudine, & ſequi diſcretionem Patriarchæ Iacobi, *lequel diſoit: Si je fay trop travailler à cheminer mes troupeaux, ils ſe mourront tous.*

Singulis diebus Dominicis tenentur fratres Ordinis, exeuntes è refectorio, poſtquam Deo gratias egerint in templo, ad portam refectorii ſe ſiſtere, ceu mendici Ieſu Chriſti, ubi ſinguli ſumunt panem, eumque in ſequentem diem reſervant in ſuis cellulis. hic mos obſervatur in omnibus conventibus, excepto Pariſienſi; ubi propter frequentiam hominum, templum ibi frequentantium, & fortè illudentium, huic regulæ non eſt locus.

Alterum punctum eſt in VESTIMENTIS. quæ ſunt è pilis facta, & dies noctesque nudæ cuti inveſtiuntur. nihil lintei geſtare eorum regula eſt; indormire ſtrato ſtramineo, nihilque pretioſorum curare veſtimentorum indumenta. *Mauritius abbas de Cluny, lib. 11 miracul. cap. 28, de inſtitut. Carthuſ. ſcribit:* Veſtes viliſſimas,

ac

ac ſuper omne religionis propoſitũ abjectiſſimas, ipſoque viſu horrendas aſſumpſerunt. amplitudine enim breves & anguſtæ ſunt, formâ hirſutæ & ſordidæ, ita ut indicio ſint, nullum gloriandi vitium ſe poſſe admittere. Hoc veſtimentorum genere de pilis capreis, adhuc hodiè utuntur in magno hoc cœnobio, & vicinis: in aliis provinciis meliori panno ſunt veſtiti, prout illis regula permittit, ut ſe veſtiant pannis in ipſa regione textis, propter certas occaſiones. Sanctus Dominicus Hiſpanus, inſtiturus Ordinem Prædicatorum, acceſſit patrem Baſilium Carthuſianum, ut conſultaret cum eo: videns ibi Carthuſianorum veſtimenta, eadem Iacobitis fratribus ordinavit; hinc tanta veſtium conformitas in utroque hoc Ordine.

Tertium punctum auſteritatis eſt SOLITUDO; quia nullus eorum unquam exit monaſterio, præter Priorem & Procuratorem conventûs: Iidem non egrediuntur ſuis cellulis, niſi obedientiâ vel neceſſitate coacti, nempe eundo in templũ, aut ſemel tantùm de ſeptimana exſpatiando in clauſtris monaſterii pro mutatione aëris, in hortis & areis muro cinctis: hinc Doctor Navarrus appellat eorum monaſterium perpetuum carcerem. Accedit SILENTIUM, quod iis ſic ſanctum, ut ſeſe obviantes, inclinato dumtaxat capite, ſine effatu vel unius verbi, ſalutent invicem. Mulierum omnis adſpectus iis interdictus à primo inveſtituræ momento, nedum cohabitatio.

MONACHI numero c heic vivunt; diſcriminati in *Donatos* & *Converſos*. Illi ſunt clerici, ſtudiis & ſacris operantes, cantando. Iſti

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſunt novitii & laici, alieni à ſtudiis, à ſacris, vel non ita pridem in Ordinem recepti.

Dum hæc diſcurrendo enotamus, jentaculum paratur eodem in cœnaculo, quo dormitum iveramus. Inter veſcendum concludebatur de munere, coquo pro operâ præſentando. aureum exhibuimus illi, & myſtagogo gratias; qui nos ad portam primam, ubi gladiis reſtitutis rurſum accingebamur, conducebat; nominaque ibi noſtra libro ſat magno inſcriberemus, rogabat; factum hoc pro memoria eſt; & ad equos repetitum iter, quos eundo & equitando ad primam portam duximus, ubi cuſtodi tenue munuſculum, & benevola dimiſſio.

Hinc aliâ viâ & longè meliori per Delphinatum ituris deſcenſus factus in pagum *Sapene*, 11 mill. Inde ſeſquimilliar. ad urbem *Gratianopolin*. Cùm medio milliari abeſſemus ab ea, conſtituebamur in extremitate montium, eminus tempe Delphinatûs conſpicientes. Vallis longa & lata eſt, veſtita floribus, herbis, paſcuis, hortis; interſecta fluvio Iſarâ; ipſa tellus, cui inſiſtebamus, violis purpureis tota inveſtita erat: deſcenſus per vineta fiebat, à ſe & amygdalis perſicisque fructibus optimum odorem ſpargentia. Ita advehebamur in urbem, divertentes ad hoſpitium gratum *à ſaincte Barbe*.

GRATIANOPOLIS. *Grenoble*.

DELPHINATUS eſt una è nobiliſſimis Galliæ provinciis, diviſa in duas partes. *ſuperiorem*; in qua ſunt Embrun, archiepiſcopalis ſedes; Valence, Die, Gap, & S. Paul: &

inſe-

inferiorem; in qua Vienna, olim metropolis; Grenoble, hodiè capitalis totius Delphinatûs; Romans, Creſt, Briançon, Monteil-Aymar, S. Anthoine de Viennois, S. Valier la Coſte, le Moneſtier, Chaſteau Dauphin. Coaluit regno illa ſubalpina regio, Humberti Dynaſtę liberalitate in regum primogenitos. ſunt qui emptione dicant: ille enim rerum ſæcularium pertæſus, amiſſis liberis, Dominicanorum cucullâ faſtum ſæculi privatumque dominium mutavit; ac pòſt in hujusmodi ſodalitio ſupremis muniis & tandem vitâ defunctus, ſepultus eſt in baſilicâ ædis Dominicanæ Pariſienſis, ante primariam aram, viâ Iacobæâ, tegiturque laminâ aheneâ protritâ pedibus, hoc elogio litteratâ:

HIC IACET PATER AMPLISS. DOMINUS HUMBERTUS, PRIMO VIENNAE DELPHINUS: DEINDE RELICTO PRINCIPATU, FRATER ORDINIS PRAEDICAT. IN HOC CONVENTU PARISIENSI, ET DEINDE PATRIARCHA ALEXANDRIAE, AC PERPETUUS ADMINISTRATOR RHENENSIS ECCL. ET PRAECIPUUS BENEFACTOR HUIUS CONVENTUS, OBIIT ANNO DOMINI M CCC LV, DIE XXII MAII. ORATE PRO EO. *Rodolph. Botereus tom.* II, *lib.* IX, *Hiſt. pag.* 58.

Vrbi olim nomen fuit *Accuſio*, vel *Colonia Accuſiorum in provincia Cabilloniorum*, teſte Ptolom. in Geograph. hoc tenuit uſque ad tempus Diocletiani & Maximiani, quo dici cœpit *Cularona:* poſtea ſub Gratiano Imperatore, (qui anno CCCLXXXVII Lugduni à Maximino fuit occiſus,) murorum ampliorum auctore,

auctore, nomen ſortita eſt *Gratianopolis* per Romanos ; unde corrupto vocabulo Gallis manſit *Grenoble*.

Sita eſt formâ ovali, in planitie, quæ pedetentim ſe extendit ad montes vitiferos, (Chalemonts) fertilitate nulli regioni cedentes. *Iſara fluvius*, ex Alpibus Orientalibus ortus, adque Tarantaſium & Moriennam impetuoſo agmine ſe præcipitans, eam lambit; poſt irrigato Delphinatu in Rhodanum influit intra Thinnium & Valentiam; ubi Fabius Allobroges devicit.

Partibus externis adnumero *duo Fortalitia*. 1, *la tour de rabot*. 2, *la baſtille* trans Iſaram in jugo montis. *Portas* item, *veteres* & *novas*: earum nomina & inſcriptiones dabimus.

Veteres conſtruxit Maximianus; qui à Diocletiano eò miſſus, duas ex quadrato lapide ita poſuit, ut antiquitas eas non perdiderit.

Altera dicta eſt *Romana Iovia*. Diocletiano dedicata, qui Iovi ſe æquiparare rebus ſuis geſtis non erubuit. talis ejus inſcriptio:

DD. NN. Impp. Cæſ. Cajus Aurel. Valerius Diocletianus P. P. invictus, Auguſtus & Imp. Cæſar M. Aurel. Valerius Maximianus, pius, felix, invictus, Aug. muris Cularonenſibus, cum interioribus ædificiis, providentia ſua inſtitutis atque perfectis, portam Romanam Ioviam vocari juſſerunt.

Altera dicta eſt *Viennenſis Herculana*, Maximiano

miano dedicata, qui Hercule ſe non inferiorem exiſtimabat: Ejus hæc inſcriptio:

DD. NN. Impp. Cæſ. Cajus Aurel. Valerius Diocletianus P. P. invictus, Aug. & Imp. Cæſar Marc. Aurel. Valerius Maximianus, pius, felix, invictus, Aug. muris Cularonenſibus cum interioribus ædificiis providentia ſua inſtitutis atq; perfectis, portam Viennenſem, Herculeam vocari juſſerunt.

Novæ portæ ſunt v: 1. *La porte de Bonne;* cui hæc inſcripta ſunt:

Æternæ memoriæ Henrici IIII, Gall. & Nav. regis Chriſtianiſſ., verè Auguſti, op. clementiſſ. fortiſſ. feliciſſimique regni Gall. inſtauratoris, patriæ patris. Quod Franciſci Bonnæ Lediguerii virtute, fide, manu, Senatui auctoritatem, civitati patriæque univerſæ pacem reſtituerit, urbem novo pomœrio amplificarit, civitas & patria gratitud. monum. cIↄ Iↄ xcv.

II. *La porte royale, ou de France.* cui talis eſt inſcriptio in marmorea tabula:

Ludovicus XIII Gallorum & Navar. rex, pius, felix, invictus, Gratianopoli

nopoli monte auctâ, ejusque muris, propugnaculis, & interioribus ædificiis, providentiâ ſuâ, & curâ Franciſci Bonnæ, Ducis Digueriarum, Paris & Mareſchalli Franciæ, Proregis Delphinatûs, inſtitutis atque perfectis, portam hanc regiam vocari juſſit. MDCXX.

III. *S. Laurent*, cum hac inſcriptione:

Felicibus auſpiciis & juſſu Henrici IIII, Gall. & Nav. regis invictiſſimi, decora mœnia civitatis Gratianop. inchoata, & ex voluntate Ludovici XIII regis Chriſtianiſſimi propugnaculis & pomœriis aucta, Franciſcus Bonna Leſdiguerius, Dux Par & Mareſchallus Franciæ, Delphinatus Prorex, fideliſſimo ſtudio & curâ ſolerti abſolvit, & portam divi Laurentii exteris & incolis à fundamentis erexit. Anno ſal. MDCXV.

IV. *La porte Chalemont, ou à ſaincte Marie.*

V. *Trois cloiſtres.*

Ex his portis obvium eſt unicuique, ſentire quinam urbis fuêre amplificatores.

Internæ urbis partes ſunt *templa* & *politicæ domus.*

Templa pontificia ſunt: *D. Virginis;* ubi Epiſcopi ſedes; *S. Andreæ*, quod à turri pyramidali

dali commendatur; *S. Laurentii, B. Magdalenæ, Iacobinorum, Cordigerorum*, &c. Reformatis unum tantùm eſt, dictum *le temple*, intra muros urbis, elegantiſſimæ ſtructuræ. quod nobis viſendum contigit benivolâ Domini *de Boterou* permiſſione: ipſus nobiſcum erat reformatæ religionis miniſter; intrabat, exponebat quæ rogabamus. Internæ portæ ſuperſtructa eſt contignatio pro pontificiis, qui clàm à nemine viſi eò ire & conciones audire poſſunt. Cœtus reformatorum ad 11 cIↄ ſe extendit. Comes-ſtabuli Heros Leſdiguerius ſuum prope cathedram peculiare habebat ſedile; nec longè inde Conſiliarii regii, Cameram Edicti & Rationum tractantes.

Politica ædificia ad uſus communes deſtinata, ſunt 1 *turres*. quæ variæ & elegantes. Ponti impoſita inter eas eminet, cum horologio, cui verſus inſcripti:

Tolle moras; fugiunt tacito nam tempora curſu,
Nec tibi præteritos referent horaria menſes.

Alteri lateri hæc diſticha inſcripta ſunt:

Dura ferox ſummæ cernis quæ marmora turris
Abſtulerat Mavors fulminis arte ſui.
Cunctis optatæ jam non ſine numine pacis
Lautè ſtructa diu non peritura manent.

2. *Pontes bini.* alter qui in ſuburbium D. Laurentii ducit, à quo non procul lapidicinæ opidanis ædificiis inſervientes. alter novus, regalis dictus, qui ſplendido opere ſtruebatur cùm heic eſſemus.

3. *Armamentarium;* ubi excubiæ Helvetiorum poſitæ in præſidio, nomine regis.

4. *Palatium Leſdiguerii.* hortus adſitus nitidus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tidus & cultus; equile ſtructiſſimum: quod verò famam & lucem ei infert, eſt clementiſſima acceptio noſtri; nam intromiſſos dignata eſt illuſtris Hera alloquio ſat amplo, jungens juxtìm gratioſę dimiſſioni felix ad iter votum.

Tantum de urbis ſtructura & ædificiis. *Regimen Eccleſiæ* commiſſum eſt epiſcopo, qui tamen archiepiſcopo Viennenſi ſubeſt.

Politiæ verò, commiſſum eſt *Parlamento*, *cameræ rationum*, & *edicti*.

Parlamentum, quod unum ex VIII Galliæ grandioribus hic eſt, continet ſub ſe duos archiepiſcopos, Viennenſem & Embrunenſem, & V Epiſcopos, de Valence, Die, Grenoble, Sainct Paul trichaſteaux, & Gap.

Cameras Rationum VII habet Francia, à *Paris, Dijon, Montpelier, Nantes, Grenoble, Aix* & *Roüen*. Singulæ habent ſuos præſides, auditores, procuratores, advocatos, collectores, ſcribas, & alios officiarios. quorum ſtipendia cum officiis poſſemus adjicere; verùm hæc in theatro regni Galliæ, volente Deo, amicus lector videbit.

Camera Edicti ſuos Præſides & Conſiliarios habet. Eorum aliqui ſunt pontificii, aliqui reformati. Nec ſolum cognoſcunt rem religionis in Delphinatu, verum etiam in Provincia: Imò reformatis, ſub Parlamento Burgundiæ viventibus, liberum eſt, ſi quæ de religionis negotio habeant, num Pariſios vel Gratianopolim ire velint, rem jure experiri. EDICTUM VERÒ, quo gaudent Reformati, cùm in omnibus regni ferè partibus & urbibus valere debeat, non abs re eſſe judicavi, præcipuos ejus arti-

articulos huc adſcribere, ut amicus lector, quî pax inter utramque religionem ſtabilita ſit, videre poſſit. Dicitur *Edictum Namnetenſe*; quod in Proteſtantium gratiam factum, poſt longas altercationes & repetitas controverſias finem accepit, & regio ſigillo firmatum eſt, eidib. april. cIↃ IↃ XCVIII; licet anno ſequenti demum in Senatum allatum, publicatum, & promulgatum fuit. non enim rex pacificus, ante legati Pontificii è regno diſceſſum, Senatum convocare voluit. Orationem, quam in eam rem, convocatis in Luparam regiam è ſingulis claſſibus Curiæ delectis, habuit, vide apud *Thuan. lib.* CXXII, *ſub ann.* cIↃ IↃ XCIX, *& Botereum lib.* VI *Comment. Gall. p.* 470. Circa hoc Edictum obſervarunt curioſi, eâdem in urbe, in qua ante XXXIX annos prima coitio Proteſtantium ob religionis cauſſam, ſive conjuratio contra Guiſianos, facta fuerat, quæ bellis civilibus toties infeliciter repetitis principium dedit, pacificatorium Edictum, quod iiſdem finem eſſet impoſiturum, à rege conditum eſſe. Perſtringamus Edicti hujus, quod vocant religionis, XXV febr. anno cIↃIↃXCIX promulgati, præcipua capita, è *Meterano & Gaſp. Ens, lib.* XX, *hiſt. belli civil. Primo amneſtia & oblivio omnium ſecus ab anno* MDLXXXV *factorum ſancitur. Catholica religio omnibus in locis reſtitui, decimæ aliiq́, reditus, templa & fabricæ eccleſiaſticis reddi jubentur. Iiſdem ſolutis fabricarum in eccleſiæ ſolo exſtructarum impenſis, fundum redimendi datur poteſtas. Proteſtantibus ubique per regnum liberè habitare ac vivere, nec in eorum fidem aut conſcientiam inquirere licebit.*

licebit. Omnibus Principibus aliisq; è nobilitate, qui merum habent imperium, liberum religionis exercitium ſuis in opidis & vicis concedetur, eiq; omnibus, quicumque voluerint, intereſſe licebit: at quibus alta, ut vocant, jurisdictio non eſt, ad ejus religionis exercitium familiam tantùm, aut præter eam non plures quàm triginta, admittant. Idem exercitium omnibus opidis & locis permittetur, in quibus anno M D XCVI *&* XCVII *uſurpatum fuit, &c. Lutetiæ & quinto ab ea milliari eâdem ne fas ſit uti. Proteſtantibus templa locis permiſſis exſtruere, ſcholasq; conſtituere, permittatur. Miniſtri à conviciis & ſeditioſis verbis abſtineant. Proteſtantes dies feſtos clauſis januis celebrent; intra limen vero ſine ſtrepitu opus faciant, ſi velint. Nullibi Proteſtantium libri niſi in locis ipſorum religioni addictis venum exponantur. Ad academias quiſque ſine reſpectu religionis admittatur; itemq; pauperes in noſocomia & xenodochia. Proteſtantes matrimoniorum leges, quoad gradus affinitatis, obſervent. Ex muneribus publicis ſolvant conſtitutum; nec tamen ad ceremonias, quas non probant, adigantur. Iidem à nulla parte, modò idonei ſint, publicorum munerum excludantur. Cæmeteria iiſdem aſſignentur; eaq; inviolabilia ſunto. Lutetiæ Pariſiorum, quo juſtitia omnibus æqualiter adminiſtretur, Curia ſive Camera conſtituatur, in qua unus ſit Præſes, &* XVI *Senatores; in aliis verò Curiis, Iudices aliquot Proteſtantium religionem profeſſi legantur, coram quibus cauſæ inter utriuſque religionis homines ſine odio aut invidia diſceptentur & dijudicentur. Idem in Curiis Gratianopolitanâ, Burdigalenſi*

lenſi;

lenſi & Carnutenſi fiat, accommodatis ad id certis legibus & inſtitutis. Omnia decreta, ſententiæ, res judicatæ, diſtractiones bonorum, aliaq́; exſequutiones, poſt mortem proximi regis Henrici II vel in religionis vel ſeditionis cauſa facta, irrita, vana, nulla pronuncientur & habeantur: ſimul omnia monumenta, vel ad memoriam vel ad contumeliam cujusquam erecta, dejiciantur & tollantur. Damnatis, ſi adhuc in vivis ſunt, vel ipſorum hæredibus, bona abjudicata reſtituantur; itemq́; in integrum omnes illi in quos lata eſt ſententia, eò quòd vel Proteſtantium militiam ſequuti fuerint, vel religionem profeſſi. Omnes religionis causâ exules, etiam in peregrino ſolo nati, pro regni civibus agnoſcantur & recipiantur. Omnia privilegia, jura, libertates, immunitates, quibus regni Gallici ſubditi ante annum M D LXXXV *& priores annos uſi ſint, iisdem reddantur. Omnes ob religionem vel in vincula conjecti, vel in exſilium pulſi, vel ad triremes quoque addamnati, libertati & patriæ reſtituantur. Proteſtantibus ne in publicis exactionibus & tributis plus oneris quàm ceteris imponatur. Iisdem ne fraudi ſit quod vel bellum geſſerint, & regiâ vel publicâ pecuniâ ad id uſi ſint; quòd arces, opida, templa demoliti ſint; quòd cum exteris fœdera contraxerint; quòd peregrinum militem accerſiverint, &c. nec ulla harum rerum omnium ratio ab eis repoſcatur, niſi fraus interveniſſe convincatur. Iidem verò ab omnibus externis confœderationibus diſcedant: neque militem, niſi regis permiſſu, conſcribant. Prædam tam terrâ quàm mari in bello acquiſitã uti quis poſſidet, ita poſſideat; at quod præter*

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vel contra militiæ uſum, odio tantùm aut avaritiâ alteri ereptum vel extortum fuerit, ejus jure repetundi jus eſto. Opidorum mœnia dejecta, aſſentiente rege, reſtaurentur. Proteſtantes denique omnes & ſinguli fortunis, famæ & honoribus reſtituantur: revocatis & annihilatis omnibus ſuperiorum temporum decretis, placitis, ſententiis, in eorum ignominiam vel damnum latis. Quæ omnia fuſiùs ſingulari quodam libello Gallicè, regis permiſſu edito, perſcripta, & XCII capitibus ſive articulis comprehenſa exſtant; decreta menſe aprili M D XCVIII, Nanneti; promulgata Lutetiæ, XXV febr. anni ſequentis. Præter hoc Edictum, ejuſdem regis juſſu, è generalibus illis, ſpeciales quidam articuli, numero LVII, extracti ſunt, ad Proteſtantium res & religionem maximè pertinentes: quos rex non minùs quàm illos obſervari, & in publica Curiarum acta inferri, omniaque ad eorum obſervationem neceſſaria expediri juſſit. Et hi quidem menſe majo M D XCVIII decreti ſunt & confirmati, ſed anno M DC IV demum typis excuſi. Sic ergò tandem omnibus remotis obſtaculis, Galliarum rex Henricus IV Edictum hoc religionis & pacis in univerſo ſuo regno promulgari & obſervari juſſit; eâ ſpe, cum pace religionem quoque & pietatem, omnium virtutum parentem & nutricem, felicia incrementa ſumturam; cui nihil magis quàm bella, inimicitiæ, odia, fœcundiſſima omnis impietatis ſemina, adverſantur. Didicerat quippe rex, ab ipſa experientia edoctus, & meliùs quàm quiſquam hominum, *conſcientiis*

tiis fruſtrà vim inferri; neque fidem ferro, ſed verbo & exemplo animis eſſe inſerendam. Principio quidem neutris, tam Catholicis quàm Proteſtantibus, Edictum hoc ſatis placebat, multas ob cauſas: at paullatim pacis beneficio deleniti, utrique in eo tandem ſummâ cum modeſtiâ acquieverunt. Catholici enim religionis ſuæ exercitium omnibus in locis, unde jam diu exſulaverat, reſtitutum videbant; & reditibus ſuis & decimis pacatè fruebantur. Proteſtantes etiam religioni ſuæ, tam acerbis odiis, uſtionibus & ſectionibus hactenus exagitatæ, pacem tandem redditam gaudebant. Illud unum jam reliquum eſſe videbatur, ut pars utraque non ferro ampliùs, ſed bonæ & probatæ vitæ exemplis; non conviciis, ſed ad pietatem inſtigantibus ſermonibus, inter ſe ac ſecum ipſi decertarent. Huc adponere placet renovationem Edicti hujus Nannetenſis è lib. I, tom. III, Boterei; qui ita infit: Quamvis novelli reges, anteceſſorum ſervandis edictis obnoxii ſint, & privatim filii parentum; placuit tamen Nannetenſe renovari, ne quid religionis diſparis cultores, ad ſuam publicamque ſecuritatem prorſus deſiderarent. illud verò ſic ex vernaculo nos Latinitate donavimus:

LUDOVICUS DEI GRATIA FRANCORUM ET NAVARRAEORUM REX. *Omnibus hanc noſtræ ſanctionis paginam lecturis fauſtum ſit. Ab immani & horrenda illa cæde præcelſi & plurimùm colendi genitoris noſtri (cui numen propitium ſit) Auguſta vicaria regni parens noſtra,*

æquè

æquè nobis colenda, quantumvis alto pectore ſaucia, oculis jugi fletu madentibus, quâ eſt animi celſitudine & prudentiâ, utplurimum enixa eſt, ne mihi privatim, regno & ſubditis, exinde quidquam noxium ſuccreſceret. Huic curæ obnixè incubuit, tùm ob eum quo me amplectitur maternum affectum, tùm ex votis ſuffragiiſq; liliatæ ſtirpis, aliorumq; Principum, antiſtitum, patritiorum, officialium, adminiſtrorumq; Franciæ coronæ, decreto Lutetiani Senatus, concreditam regni procurationem, me in excelſo ſolio juſtitiæ aſsidente & annuente. Solertia & ſedulitas optimæ parentis, procerum nobiliumq; qui affuêre, Lutetianorum civium, fides & probitas ita emicuerunt, ut nec in eorum cultu & obſervantia, nec in Auguſtæ prudenti regimine quidquam deſiderari poſsit. Lutetiæ non ſolùm pacata omnia, ſed in dies de univerſo regni tranquillo ſtatu, provinciales legatos nunciosq; accipimus; ita ut inter religione diſcrepantes, nulla prorſus ſit in rebus politicis diſcrepantia; quin imò inter utroſque, de obſequio & benè merendi officiis, eſt veluti quoddam laudabile certamen. Ex illa olim diſsidentium animorum conjunctione, Deo agendis gratiis maximè obnoxii ſumus. quo auſpice eâ ſpe ducor, illum, qui ſtator ſervatorq; noſtri imperii fuit, totq; exhauſtis periculis illud olim & tandiu eripuit, ut tot ſæculis eſfloreſceret, impuberi meo ævo præſidium & fulcimentum ſuum non negaturum, ut adſui nominis gloriam cum pietate & virtute adoleſcam; quod unum efflictim ab eo depoſco; utq; conſilia & ſalutaria monita cælitus inſpiret, quibus concreditos mihi populos, pacatos & unanimos regere valeam;

valeam ; cùm poſt numinis providentiam, regni inconcuſſi fulcrum ſit civium concordia. nam experientiâ & rerum uſu anteceſſoribus regibus ſatis exploratum fuit, fruſtrà vi & armis, ad Apoſtolicos & Romanos ritus, qui ab illis defecerant, fuiſſe impulſos: *quin imò inefficax remedium damno fuit. Quod ubi experti ſunt, colendæ religionis ſuæ veniam indulſerunt. Aemulatus idipſum præcelſus genitor noſter. Vtq; averſos animos conciliaret, Nannetenſe Edictum tulit. quo promulgato, ſervatisq; illis decretis, pax inturbata coaluit. Et quamvis lex ſit fixa, quæq; non ſit refigenda, nec ratihabitione egeat: nihilominus, ne quis de noſtrâ mẽte dubius ſit, utq; conſtet omnibus, mihi immotum eſſe, ut ſanctio illa Nannetenſis, tamquam lata ad quietem Orthodoxorum, æquè ut aliorum, inconcuſſè ſervetur:* Notum *& publicum facio, quòd me cum Auguſta parente regni vicaria aſſidente, reſedulo perſpectâ, ex conſilio & adſenſu Principum noſtræ & liliatæ ſtirpis, aliorum etiam Ducum, patriciorum, officialium Francicæ coronæ, inſigniumq; procerum conſiſtorii noſtri, ſtatuo, decerno, volo ac lubet, ut Edictum Nannetenſe, atque illius appendices, decreta & Senatusconſulta, ad illius explicationem lata, rigidè & ſigillatim obſerventur: quiq; minùs obtemperantes fuerint, velut publicæ quietis turbatores ut coerceantur, omnibus juridicis diſtinctè mando: neve ſanctionis deſpectum inultum patiantur. Quod ſi idipſum vindicare neglexerint, cum deſpectoribus eâdem ſeveritate pœnæ æquabuntur. Datum Lutetiæ,* XX *maji* CIↃIↃC X. Huic ſanctioni nova addita, quâ ſeveriſſimè indictum, ut, qui

 ſtatim

ſtatim ab exceſſu regio, vel protervitate & pruritu rerum novarum, vel fortè ad præſidium regni & provinciarum, arces & caſtra occupaverant, milite & bellico commeatu inſtruxerant, commilitones turbasque acciverant, ut, quamprimùm relictis arcibus, caſtris, præſidiariis cuſtodibus, dimiſsâque omni molitione, priſcæ quieti ſe redderent. ſi minùs obſequentes fuerint; præfectis provinciarum togatis & ſuccinctis, ac etiam latrunculatoribus juſſum, ut illico tamquam perduelles, & quietis publicæ perturbatores, eos comprehendant, de hisque indictas edictis pœnas publicè exigant. Nihil profectò conducibilius, quàm, fræno illo legum, homines ad latrocinia publica jam ſe effundentes cohibuiſſe: ni maturè eorum audaciæ & furori obviam itum eſſet, quot ſunt munitiſſima caſtra & arces, tot latibula & latrociniorum officinæ fuiſſent.

Adverſa urbi quæ evenerint, cùm fame expugnata ſeſe dedere coacta fuit, *vide apud Thuanum lib.* XXXIII, *pag.* 537, *& ſeq.*

Revertamur in viam itineris. quod, Gratianopoli visâ, fecimus unâ leucâ *ad pontem de Bonne.* qui è lapide ſtructus, uno fornice, ſed amplæ quantitatis, coarctat fluvium *Dracum.* hic vehemens valdè & rapidus, frequentibus exundationibus campos vicinos infeſtat. Arcus ſeu fornix hic ſuperſtructam habet portam cum bina inſcriptione. altera facies, quæ Gratianopolim reſpicit, in fronte habet:

ROMANAS MOLES PUDORE SUFFUNDO.

Sub-

Subtus:

Henry le grand, tres-Chreſtien roy de France & de Navarre, Dauphin de Vien, pere de la patrie, touſjours auguſte, victorieux, & triumphant, apres avoir vaincu ſes ennemis, la paix reſtablie tant par mer, que par terre, toute l'Europe, par l'advis & conduicte de tres illuſtre Franc. de Bonne, Duc de Champſœur, Seigneur des Diguieres, & Pair & Mareſchal de France, gouverneur & adminiſtrateur general pour ſa Majeſté & Dauphiné, pour le bien & commodité des peuples de Viennois & Diois, a jetté les premiers fondemens de ce merveilleux ouvrage.

altera, quæ vicum *Vif* reſpicit, in fronte habet;

VNUS DISTANTIA IUNGO.

ſubſcripta erant Latino idiomate, quæ feſtinando enotare non potui. ſed condonabis, lector; erant ſiquidem ejuſdem ſenſûs cum Gallico priore. Ibi pro quoque vectore 1 *ſol. de France* ſolvitur.

Inde adhuc *unâ leucâ* abeſt vicus VIF. ubi prandio noſtro intererat *au Dauphin* Mag. Rollinus, miniſter verbi; quo interprete arx & hortus Heri iſtius loci nobis patebant.

Vno iſthinc lapide diſtat *la fontaine qui bruſle*. Fons eſt ad torrentem exiguus, qui perpetuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

flammam ejicit, cœlo præſertim nubilo & pluvioſo, comburens quicquid in eum injeceris. Si cœlum ſudum & defæcatum eſt, opus eſt viatore. quem in pago S. Bartelemi conducis. hic ſtramine ad fonté accenſo monſtrat flammam ejectam, non videndam niſi palleis expanſis ſcaturigo obfuſcetur, & radii ſolis impediantur. *Antiquitates Franciæ, pag.* 829, habent: *Il y a une fontaine, remarquable par une ſecrette proprieté, qui luy fait jetter ſans ceſſe flammes & boüillons, & qui embraſe de ſes feux tout ce que l'on en approche.* Tale naturæ miraculum videtur etiam in fonte Dodonæo. qui cùm ſit gelidus, immerſas faces extinguit: ſi extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit: qua de cauſa *anapauomenon* eum vocant. mox increſcés ad medium noctis exuberat; ab eo ſenſim deficit. *Plin. lib.* 2.

Dextrorſum retroeundo videas arcem *Bernas*, Domini de Mirabelle, priuſquam ad vicum *Vif* redis; in quo viatorem conduximus, qui vadum per fluvium Dracum nobis monſtraret. Nulla heic via alia, niſi velis retrò per pontem Bonne prædictum ire. Perreximus equis inſidentes; præitor veſtibus exutis per vadum ibat; quod quandoque voraginem habere videbatur, &, in decem ramos diviſum, aquoſum ferè ad collum uſque viatoris eſt, nec ſine periculo. eundum tamen erat; quod & alacriter præſtitimus, ad pagum *Achan*, 11 *mill.* Vbi fluminis finis, & prægrandis montis initium. Quo longâ viâ ſuperato, deſcendimus in vallem, amne *la Rimanche* affuſam. Ibi pagus *la Martineſſe*; ad quem pons ligneus ducit. Penes ripam

ripam via recta eſt 1 *mill.* ad vicum & arcem *Vigile.* Pernoctatum eſt *au paradis.* Cum primâ luce Solis ad arcem itum Deſdiguerii. Hic à vigilantia ſuà dictus eſt Antipater regis, quaſi alter ille Antipater Philippi regis Macedoniæ. cùm enim Philippus Alexandri M. pater reprehenderetur quòd nimis altùm ſterteret, preſſus multitudine negotiorum ſupervenientium; reſpondiſſe fertur, ſe poſſe ſecurè dormire, dummodo Antipater ſui loco vigilaret. *Plutarchus.*

LE CHASTEAV VIGILE.

Ipſa arx in valloſa planitie ſita, tota eſt montibus circumcincta; non vulgaris ſtructuræ, nec paucorum ſumtuum. *Binæ portæ* introitum largiuntur. *Altera* cataphractum oſtendit in ſummo ipſum Deſdiguerium, equo inſidentem. à latere dextro inſcriptum:

Franciſcus Bonna, Digueriarum Dux, Par & Mareſchallus Franciæ, ſummus exercituum, caſtrorumque regiorum.

à latere ſiniſtro:

Præfectus equeſtr. hâc æneâ ſtatuâ Martis ora ferente ad vivum exprimitur, anno M DC XXII, ætatis LXXVIIII.

Altera porta oſtendit nigrum marmor; cui inſcriptum:

Felicibus auſpiciis Henrici IV, Francorum & Navar. regis invictiſſimi, pace terrâ mariq́ue partâ, Franciſcus à Bonna, Deſdigueriarum Dominus, Delphinatûs prorex, tot bellorum ſuperſtes, receſſum hunc ſibi ſuisq́; à fundamentis erexit; anno ſalutis MDCXX, ætatis ſuæ ſexageſimo.

Deus nobis hæc otia fecit.
Major poſt otia virtus.

Per hanc portam ad *hortum* via eſt. Cujus ſiniſtrum latus, Herculis cum clava, ænea ſtatua munit. Ipſe hortus, non elevato buxo conſitus, duo horologia oſtendit.

Hinc ad *labrum* rotundum itur; in cujus medio ſaxea rupes, ligno ſimilior quàm ſaxo, è ſuperna parte aquam ejiciens, quæ medio mill. dicitur inducta: artificioſè IV in eo canales ſunt, duo pro inductu, & duo pro aquæ eductu. lautum hoc eſt truttarum vivarium.

Proximè *labyrinthus* eſt formâ Dædalæâ, multiplici & intricatâ viarum perplexitate non cuivis meabilis, oſtendens in circuitu VII CIↃ arbores fructiferas.

Ad ſiniſtram *hortus florum* ſitus eſt. medium ornat fons cupreus, opus natum Germano auctore.

Hinc per aliam portam itio eſt ad *mala aurantia*, cupreis vaſis implantata. mox *ſphæriſterium*, & ipſa *arcis* ſtructura; quæ tota cum gradibus è vivo lapide. huic ſubſtructa ſunt granaria & culina.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

In arce interiore notavimus duo ambulacra penſilia ſive xyſtos, unum ſacellum, conclavia multa, cum armamentario, quæ ſingula paucis videbimus.

Primus xyſtus res geſtas habet regis Henrici IV & proregis Deſdiguerii. Mox ſub introitum dextrorsùm Henrici IV effigies, cum regina Maria Medic. & filio Ludovico. Porrò ejus res geſtæ; 1, *Expugnatio caſtri Montmeliani.* 2, *la ſiege de la Ferre.* 3, *la bataille de Coutras.* 4, *l'entree du roy à Paris par la porte neufve.* 5, *la ſiege de Roüen.* 6, *le combat d'Aigues.* 7, *la bataille d'Yvry.* 8, *le rencontre de Fontaine Françoiſe.* 9, *la ſiege d'Amiens.* 10, *le Roy.* 11, *la Royne.* E regione ad ſiniſtram, res geſtæ proregis. 1, *le combat de conneſtabel à Pontcharra, l'an* 1592, *le* 19 *de ſept.* ubi ipſus capite nudus alterum armatum per bucculam interimit. 2, *le combat de Molettes, l'an.* 1597, *le* 14 *d'aouſt.* 3, *la ſiege & prinſe de Grenoble, l'an.* 1590, *le* 23 *decemb.* 4, *la prinſe du fort de Barraux, l'an.* 1598, *le* 14 *de mars.* 5, *la place d'Exilles en Savoye, l'an.* 1595. 6, *la defaicte de Don Rodrigues de Tolledos, avec deux milles Eſpagnols a Salebertrand en Piemont, l'an.* 1595, *le* 7 *de juin.* 7, *la prinſe du fort de Chamouſſet en Savoye, l'an* 1597, *le* 19 *de juill.* 8, *la desfaite d'Allemagne en Provence. (c'eſt une ville ainſi appellée.)* 9, *la ſiege & prinſe de Cavours en Dauphiné, l'an* 1592. Omnes ſunt pictæ tabulæ.

Ex hoc xyſto in *ſacellum* itur; quod altaris à pictura meretur videri. Aſcenſio Mariæ eſt. ad dextram Franciſcus Deſdiguerius, totus cataphractus congenulans; cui adſtat D. Franciſcus

monachus, digito cœlum ei monſtrans. ad ſiniſtram proregis uxor Magdalena; cui adſtat B. Magdalena pœnitentiaria.

E regione ſacelli alter *xyſtus* intratur, XXI tabulis pictis exornatus; opera ſunt multorum mill. aureorum æſtimio. en catalogum dabo: 1 eſt effigies Ducis Nemoroſii, equo ſcutulato inſidentis. 2, ruſticorum & militum conflictus. 3, Narciſſus pronus aquam inſpiciens, cum Diana & Cupidine. 4, raptus Helenæ. 5, Mars, Venus, Vulcanus cum operimento. 6, Narciſſus, Venus, Pan. 7, Diana & Orpheus. 8, & 9, ſunt ruſticorum conventus & tripudia. 10, Henrici IV effigies jam annis & pilis cani. 11, Ejuſdem effigies, ſed juvenis. 12, Belli & conflictûs facies. 13, Equus ſcutulatus, dictus *mille-fleurs*. 14, Hiſtoria ſacra de Hiericho. 15, Henricus III, Pol. rex, profugus è Polonia, Venetias adventans; Dux, Patriarcha & Senatus, Buccentauro eum excipientes. 16, Leander, Helleſpontum Thraciæ tranans. 17, & 18, cubantium ſunt picturæ. 19, rex Mida, & judicium Deorum. 20, Ferdinandus II, Roman. rex, copulatur matrimonio per Pontificem. 21, Henricus IV, rex, equo inſidens.

Hinc ad *duo conclavia ſecretiora* eundum eſt. alterum hyemali uſui; ubi camini, & LII picti icones. alterum æſtivo inſervit; in quo LV elegantiſſimæ effigies.

Præter hæc *conclavia* in arce numerantur CXX; unde amplitudo ejus & decus, ſi ordinem ſpectas, conſtat.

Armamentarium elegantiſſimo ordine ſtructum eſt & regio apparatu: In eo Iↄc ferrea indumenta,

dumenta, ſive thoraces ferrei; haſtæ præpilatæ II cIↄ; ſclopeta majora x cIↄ; ad ſummam, arma ibi conſpiciuntur pro integro exercitu.

Viſo hoc regio domicilio, II leucarum iter fuit Gratianopolin;ſed è valle montoſum ſatis. Hinc Lugdunum ob conductorum fraudes redire concluſum erat. Itaque per pagos *S. Martin, S. Robert*, per vicos *Voreſpe* & *Moyran*, v *mill.* ad pag. RIVES venimus, pranſuri *à la fontaine;* ubi luciorum & aliorum piſcium copia & apparatus nos invitabat, hilariores ut eſſemus. Gratianopoli huc iter eſt viâ nitidâ, grandioribus lapidibus ſtratâ, curâ Deſdiguerii; quod boni gubernatoris indicium ſtatuunt politici. Herus pagi hujus, eſt conſiliarius quidam Gratianopolitanus, cui nomen *Dorne*. Quod in eo videas, eſt fabrica verutorum ſive laminarum, Vulcano & Marti ſacrata: operæ multæ ſunt, nec ſine periculo capitis opus agentes, & levi pretio; xv enim ſolidis Francicis diurnus labor venit; interea vita in diſcrimine verſatur à cote gyratili ſive rotariâ. hæc non ita pridem rupta, inque partes disjecta, cranium politori fregerat, cerebello ad fornicem officinæ ſparſo.

Prandio refecti, planâ viâ pergebamus per pagum *la Frette*, ad pag. *Champier*, IV *mill.* Vbi tenuis cœna *au Dauphin* nobis erat; in cauſa Galli quidam præoccupantes culinam & conclavia. Sequenti die per pagos *la Baſtye, Merieu, Artaz, Pounas*, in vicum *Eyrieu*, devecti, IV *cum medio mill.*, diverſabamur pranſuri *à la croix d'or;* Verùm hic nihil obſonii & parum villi; Itaque IV *mill.* hinc *Lugdunum*

feſtinabamus; quod & jejunis ſat ſtomachis tandem ſub veſperam per pontem Rhodani ingreſſi ſumus, liberi ab omni vectigali, quòd nihil præter ſupellectilem veſtimentariam nobiſcum ferebamus. Heic, ubi ventum, Geneveuſes illos conductores ab itinere futuro ſemovimus; aliâque viâ initâ cum Abrahamo Pening, integræ vitæ viro & cive Lugdunenſi, cumque Claudio Bernard, concluſum eſt, ut equos meritorios darent, nos eis argentum, XVI nimirum ſolidos pro ſingulis per diem; reliquum omne quod vector cum equite in itinere deſideraturus eſſet, nos ſolveremus. Ita contractus initus & ſubſcriptus eſt; ipſoque Claudio cum ſervo quodam Helvetio viam præeunte, equitantiſque vices alternante, Lugduno diſceſſus factus, menſe aprili. comitabantur nos nobiles multi, ex amicis primarii, & è civibus non infimi; qui tamen omnes poſt in urbem retrogreſſi, præter duos Germanis parentibus natos, comites jucundiſſimos nobis in hoc itinere, *Bartholomæum Ervvarde*, & *Fridericum Endorffer*. Educti ſumus per Rhodani pontem, & ſuburbium, in planam viam; quæ mox elevatior paullulùm, culta tamen, vino, nucibus, & frumento; nec non pagis inædificata, qui ſunt *Font la poſte*, *S. Saſtrin* vicus. III *mill.* dextrorſum *Comunay* opidum. Ita cum veſpera II *mill.* *Viennam* intravimus; ubi cœnam & noctem cum comitibus non injucundam habuimus *à la S. Barbe*.

VIEN-

VIENNA,

URbs Delphinatûs inferioris. De hoc, & ſuperiore, ad urbem Gratianopolim diximus. Regio verò hęc olim Allobrogibus paruit, non quidem ampla adeò, ſi comparare eam voles cum reliquis Galliæ regionibus, verùm amœna vallibus, & planitiebus, montibus & clivis. Reges Galliæ nihil juris antè in eam habuêre: dein, cùm Guido, ultimus Principum Delphinatium, improlis moreretur in acie, *teſte Paulo Aemylio*, per Humbertum fratrem regio ad regem Galliæ devoluta eſt eâ lege, ut primogenitus regis Franciæ Delphinus ſemper vocaretur, & Delphinatum etiam, antequam rex crearetur, poſſideret. Quod ſub Iohanne rege Gall. anno cIↃ CCC XLIX etiam factum, cujus filius Carolus fuit Delphinus primus, aſſentiente Imperatore Carolo IV, modò Delphinus ille & primogenitus regis feudum illud ab Imperio ſuſciperet.

Situs urbis Viennæ amœnus eſt ad Rhodanũ, clivo paullulum elatiori; ager circùm ſitus vino frumentoque fertilis; unde Cæſar ſuo tempore ibi granaria ſua & cellaria conſtituit: nec non L. Munatius Plancus eum locum præ aliis ſelegit, teſte *Cicer. lib.* X *ad famil.* 9; ad quem ſic ſcribit: *Exercitum ad* VI *kal. majas Rhodanum trajeci; magnis itineribus Viennam equites mille via breviore præmiſi.*

Vrbis ſtructorem, ſed ridiculè magis quàm accuratè, ferunt quendam Venerium Afrum, qui urbem biennio à ſe ſtructam *Biennam* nominarit. Romanis dicta fuit *Senatoria*, quòd ibi

ibi habuerunt v legiones præſidiarias, quarum ſingulæ ſingula occupâre propugnacula.

Rhodanus rapidus mediam interlabitur, cui ſe jungit fluviolus *la Giere*, officinæ laminarum valdè conducibilis.

Arces ſive munitiones Viennæ *tres* ponit *Thuanus lib.* CIV; nim. *Fanum Columbæ*, quod eſt Viennæ ſuburbium trans pontem; *Baſtiam* ad portam Lugdunenſem, loco edito ſitam, quantum natura loci ſinit, egregiè munitam; & *Pipetum;* quod præcipuum, editiore loco poſitum in rupe, declivi urbi imperat. Hæc quomodo cum urbe per Diſemium, Delphinali gente & geſtis inclytum, regi Gall. dedita ſint, vide *Thuan. d. loco*, & *Botereum libro* 11 *Comment. p.* 149, anno cIↄ Iↄ XCV.

Inter urbis *portas*, una eſt dicta *la porte de Cloiſtre.* ad quam lapis penè grandis, cum his inciſis:

Dd. Flamminii c. a. Viennæ tegulas æneas auratas cum carpuſculis & veſtituris baſium & ſigna Caſtoris & Pollucis cum equis & ſigna Herculis & Mercurii.

Plateæ in parte clivoſæ ſunt & anguſtæ: *ædes* antiquitatem magis quàm ſplendorem repræſentant, alioquin commodæ ſatis & capaces interioribus conclavibus.

Videamus *ædificia ſacra*. Inter quæ templum *B. Mauritio* nuncupatum cathedrale eſt; amplum & magnificum, X utrimque altis & prægrandibus columnis firmatum. XXXII gra-

dibus

dibus ad id fit adſcenſus. Ad portæ ingreſſum hæc inſcriptio videtur:

L. Portio T. Filio Latino quo publico ornato præf. fabrum I. II vir. Ær: III vir loc. publ. per ſeq. Porcia Titutei.

Intus monſtratur caput Mauritii & Franciſci Delphini monumentum, ad aram grandem, circa fornicem templi. Aliud inſuper ibi videas ſepulchrum honoratum:

Regina Mechtildis uxor Conradi.

Cum nullus rex Gallorum ſit Conradus, præſumitur hæc neque fuiſſe uxor alicujus regis Galliæ.

Monachi *B. Petri* oſtendent tibi templum ſuum ſatis elegans & antiquitatibus plenum. In cœmeterio III leones vaſtâ mole, à Romanis unâ nocte conſpiciuntur locati. opus antiquitatem docet, cauſam verò addere non eſt in proclivi. additæ ſunt litteræ; DEVE PENATE. quę tamen ad eruendum ſenſum nõ ſufficiunt. Ibidem lapis grandibus litteris poſitus eſt: RIUS mans. IIII VIR. AUG. OLOGIUM DESU ES ANOVORES. Sunt eò loci adhuc aliæ inſcriptiones, uti in lapide quodam ſepulchrali:

D. M. Sex. Valeri Sabini Duronia Ianuaria conjugi Optimo. Item Valeri Bellin.

Alia item:

Et memoriæ eterne. Campanie Camulati Caliame Rex.

Ita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ita quoque ad portam abbatiæ S. Petri, quâ itur Valentiam, hæc eſt:

Virtute fortiſſimo & pietate clementiſſimo D. N. F. Conſtantino Maximo & invict. Aug. M. Altius Apronianus ut Ppf. Vienæ Deum MA. Q.

In ipſo templo ſacellum eſt, quo ſepultura Salvatoris in marmore oſtenditur; ibi per vitrum lumen immittitur, tam umbroſo colore ſacellum replens, ut videatur eſſe crepuſculum matutinum. Non procul inde oſtenduntur antiquæ ethnicæ Rom. inſcriptiones:

Matris auguſtis D. Dimarius M. Eſſulius reſtituit ex voto.

Item:

Apollini ſacrum ex voto C. Virius Victor & L. Virius Italus S. L. M.

Extat ibidem adhuc alia:

Det quietem æternæ Lucili metrobi ſigno ſaprici. ſtator civitati...... qui vixit anno XXXVIII. M. II. divitia domit olamater filior. III conjugi kariſſimo & incomparabili ponendum curavit & fili ſub ...... aſcia dedicaverunt.

Hiatus explere, ſenſúmque adſtruere non potui; quod ignoſces.

Templum *B. Severo* dicatum inſcriptiones

nes antiquas non paucas habet. Mox præ portâ una eſt, nec legibilis. mox in pariete ad ſiniſtram:

DIs Manibus Avinnius Gallus vivos ſibi.

In cœmeterio tumuli ethnicorum ſepulchrales multi ſunt; cum ſuis inſcriptionibus. Vnam hanc pono:

D. M. P. VETTI GEMELLI SACRI ROMANENS. VIXIT ANN. XXI, MENSIBUS VIII, D. X. P. VETTIUS PROFUTURUS FILIO PIENTISSIMO. SIT TIBI TERRA LEVIS.

Templum hoc poſitum eſt in loco quodam, quo olim cives urbis in ethniciſmo colebant c DEOS fictitios, ſub præſidio Diaboli, nihilque fani erat præter arborem; quam B. Severus reſecans, & funditùs cum radice exſtirpans, invenit calvariam auro & argento plenam; quæ omnia impenſis hujus templi locata ſunt. In hujus rei teſtimonium extat in hoc templo columna, cui inſcriptum:

ARBOREM B. DEOS SEVERUS
EVERTIT CENTUM DEORUM.

Legitur ibidem epigramma, ſed monachali poëſi, in B. Severum duobus lapidibus inſcriptum:

Occubat hoc tumulo ſpecioſus mente Severus,
Qui quondam hoc templũ funditùs inſtituit.
Non ſolùm hanc ædẽ, ſed cætera tecta ſacravit:
Plurima conſtituit, vinctus amore Dei.
Divina ſi fretus ope, quòd ſemper ubique
Quo poſuit dextra auri metalla tulit.

Sed

Sed quid plura loquar? laudetur gratia Chriſti,
Quæ ſic in cunctis fecit ubique bonis.
Exulibus qui dona ſuis largitur operta,
Et peregrini O. N. N.

Templum B. Mariæ, Romanorum tempore inſerviit tribunali, & fuit locus quo juſtitia exercebatur; unde in exteriori parte, ubi murus ad tectum elevatus aſcendit, grandior conſpicitur, ibíque lapidea pila cum his verbis: *C'eſt le pomeau du ſceptre de Pilate,* quaſi Pilatus hujuſmodi ſceptro cum tali pila uſus fuiſſet. Fabula eſt, Pilatum Viennæ natum: verùm, huc in exilium miſſum conceſſerim: quid enim exilii quis ſuſtinet in patriam relegatus? Olim verò hoc templum majus fuiſſe dicitur, ſed tempeſtate nocturnâ totum dejectum, imò inverſum, ut cacumen terram, fundamentum cœlum tangeret.

Templum B. Martini hoc antiquitatis monumen habet:

TITIAE CATIAE DEFUNCT. ANNORUM VIII, M. V, D. VIII. D. CATIA BUBATAE FIL. PIISSIMAE ET SIBI VIVAE POSUIT HOC SAX. SUB ASCIA DED. EST.

Templum B. Antonii duo antiqua, ſed non legibilia, habet monumenta.

Collegium Ieſuitarum eſt quod intres, videas, mireris; editiori urbis loco ſtructum, unde urbs & circumjacentes agri conſpici poſſunt; amplum eſt & novum; è ruina vel c ædium natum; periſtylia columnis ſunt ſtabilita bina; numerus frequentantium cccc eſt.

Hinc ad *xenodochium* te confer, inſignitum ver-

verſibus Latinis, quos tamen præpeditus itinere exſcribere non potui.

Inter *ædificia politica* primum eſt *Curia.* ubi in introitu emblema: Mulier obvincta oculos cum bilance & anchora:

Hæ tibi erunt artes, queîs regum fœdera nectas:

Non dona, nec ullus conſtanti de mente favor.

Intus, ubi conclave conſilii, inſignia urbis oſtendit ulmus cum titulo: *Vienna civitas ſancta.* Ex hac epigraphe alia nata eſt, arcui triumphali in honorem Ludovici XIII R. G. inſcripta:

Antiqua ſanctæ mœnia Viennæ ſubis;
Quæ ſanctiora te hoſpite deinceps erunt.

Eidem arcui in area poſito inſcriptum invenies:

Feliciſſimo & exſpectatiſſimo adventui Ludovici XIII, Gall. & Nav. regis Chriſtianiſſ., primæ fortunæ Herois invictiſſimi de perduellibus triumphantis, favente cœlo, geſtiente terrâ, horâ ridente, S. P. Q. Vienneniſis arcum pietatis ſuæ ob ſidem, amoris indicem, ad perpetuum obſequii monumentum.

E. A. P.

Curiæ vicina eſt *turris Auriaca;* quæ dum pro cuſtodia Principi Auriaco alicui fuit bene multorum annorũ, nomen inde tale ſortita eſt.

Eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Eſt item alia *turris rotunda*, ſed remotior, inſcripta Pilato, portæ Lugdunenſi adſtructa; de qua *les antiquitez de France, p. 834. Tybere y fiſt conſtruire ceſte haute tour, où l'on tient communement que Pilate rendit la vie à celuy qui la luy avoit preſtée, comme auſsi ſe voyent encore de grandes pyramides dans les vignes, où eſtoit ſon logis.*

Amphitheatrum, opus antiquum Romanum, adhuc interiori ędificio ſatis conſpicuum, muriſque veteribus è prægrandibus ſaxis illuſtre.

Pons Rhodano inſtratus ſat altus, ſat longus eſt, à Tiberio Graccho, cùm expeditionem in Galliam faceret, ſtructus ann. ab V.C. IↃ LXXVI, munituſque ad utrumque extremum duabus arcibus. Ad dextrum pontis hoc monumentum extat:

A. 22 ANNO
L. CALPUR. PISONI
M. VETTI M. BOLANI
COS.
Pontifex ſtipe.

Aſylum in urbe oſtenditur. locus eſt è lapide ſtructus quadrâ formâ, columnis IV, quibus vexilla & inſignia gubernatoris ſuſpenſa ſunt.

Vltimum inter profana ædificia locum habeat *officina Vulcania*, gladiis, quorum maximum æſtimium & grande pretium in Gallia eſt, fabricandis deſtinata; diviſa in IV partes. elocatur à Capitulo ſupremo ſeu Clero archiepiſcopali. Operæ monſtrant aſtantibus talem modum cōficiendi gladios: Pro ſingulis gladiis

teres

teres & oblonga chalybis pars ſumitur, longitudine dimidiæ ſpithamæ, denſitate haſtæ, quæ in medio perforata elongatur in foco ſive fornace; pòſt in foramen chalybis immittitur ferrum, quod cum chalybe coaleſcit, miſcetur, & in formam rudem gladii redigitur. Hinc ad alteram fornacem rudis hic gladius portatus, juſtâ longitudine extenditur, formatur, & ad rotas gyratiles acuitur & politur.

Ita Materiale urbis fuit: *Regimen in ſpiritualibus* obtinet heic ſuprema Delphinatus curia. nam archiepiſcopus ſub ſe habet Gratianopolitanum epiſcopum, cum illis de Maurienne, Gap & Valence. Pluria ſi voles cognoſcere, opus eſt emas libellum de Antiquitatibus Vienenſibus publicè venalem.

Viennâ egreſſos comitati ſunt adhuc aliqui amicorum ad *pyramidem Pilati* dextrorsùm, ubi illis ultimùm valedictum, & itineri animus totus explanatus eſt. Penetravimus vicum *Auberive*, 11 mill. Mox quercetum nemoroſum, viâ tamen petroſâ, in viridi valle, quam alluit Rhodanus. relicto ad dextram monte Pilati, ad vicum *Piage de Rußillon*, 11 *mill.*, ſub prandium devenimus; ubi hoſpitati ſumus ad dextram in *angariis, à l'ange.*

A prandio ſiniſtrorſum conſpiciebamus editiore loco *S. Romans*; Inde *S. Ramberti* vicum, 11 mill., & *opidum S. Valerii*, 11 mill., habuimus; ubi pernoctare duximus *au lion d'or.*

Egredientes mane medio mill. vidimus arcem cum pago, *la maiſon de Pilate*; quam inhabitaſſe dicitur Pilatus. Ab eo med. mill.

diſtat

diſtat pagus *le chaſteau de Serve;* quẽ inſequitur 1 *mill. Thynnium* vicus; via ſaxis, colles buxo prægnantes ſunt. vicus hic & opidum *Tournon* ultra Rhodanum ſitum, uni Comiti ejuſdem nominis parent.

TVRNONIVM.

TVrnonium dicitur originem habere à Turno Trojano, Gregorio Thuronenſi dictum *Thauredunum.* Opidum eſt ad Rhodani ripam non adeò magnum, loco tamen amœno, plano & fertili ſitum; Supra ſe habet in rupe, quam Rhodanus lambit, arcem munitam. Quod heic notes eſt *collegium Ieſuitarum*, cujus ingreſſus ſupra portam hanc habet inſcriptionem:

FRANCISCUS SECUNDUS STIRPIS TURNONIAE FLOS S. R. S. P. QUAT. GALL. REG. INTEGR. ET MINISTER NOBILEM HANC MOLEM QVADRATO LAPIDE ET AERE SUO LIBERALISSIME A FUNDAMENTO EXCITATAM, ANNUOQVE CENSU DITATAM CELEBERRIMAM PIETATIS ACADEMIAM ESSE VOLUIT, ET RELIGIOSISSIMIS SOCIETATIS IESU LEGIBUS PERPETUO GUBERNARI FIDE ILLUSTRISS. FAMULI SUI BENEVOLENTIA AC TUTELA ANNO MILLES. QVINGENT. SEXAGES.

Ipſa area collegii continet claſſes: iis impoſitæ contignationes bibliothecam, in qua Paparum & Ieſuitarum, nec non Franciſci Turnonii Cardinalis & fundatoris effigies.

Præterea nota ad portum hunc Turonenſem, quod dicit *Thuanus lib.* LII *hiſt. ſuæ*, ſub

ann.

ann. cIↄ Iↄ LXXII: *Cum Lugduni* Iↄccc *omnis generis & ſexûs immaniter interfecti eſſent, eorum cadavera per Rhodanum ſupernatantia tanto concurſu ad Turnonium coacervata ſunt, ut ripas complerent, & opidani caſu inopinato territi, tanquam hoſtis adeſſet, ad arma conclamarent. mox horrore perculſi, & ſceleris auctores deteſtati, quamvis à Proteſtantium religione alieni eſſent, homines adhibuerunt, qui ad amovendum ſpectaculum rapido fluctu delata corpora contis à ripa averterent. tam horrendum ſpectaculum & homines averſati ſunt Viennæ, Valentiæ Cavarum, Burgi, Vivarii, ad Spiritus fanum; etiam Avenione, ubi majus Proteſtantium odium. Arelate verò, ubi puteorum & fontium penuriâ aquam è fluvio vicino hauſtam potant, ultra facinoris deteſtationem graviſſimo incommodo opidani conflictati ſunt, cùm eſu piſcium & aquâ, quæ ipſis è ſolo Rhodano ſuppetunt, uti nollent, & à conſpectu fluminis ipſius abhorrerent, &c.*

Cis Rhodanum equitantes II mill. habuimus ad rupem *Celeyn:* ubi Iſera fluvius, in monte *Cenis* oriens, per Sabaudiam in Delphinatum labens, Gratianopolim & Romanium lambens, in Rhodanum influit magno impetu. Locus dicitur *Conſoulant;* inſignis à victoria quam Q. Fab. Max. à Gallis reportavit. Heic pontone trajectus eſt; naulum ſingulis pro equis ſunt duo ſolidi Franc. A trajectu, amœna planities eſt, patens agris & vinetis; veſtita fructibus, ficubus, nucibus, amygdalis, &c. Ad urbem uſque *Valentiam* I mill., antequam hoſpitium *à la ville de Paris* pranſuri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſuri ingrederemur, longâ viâ per maximam civitatis partem equitare neceſſe habuimus.

VALENTIA. *Valence.*

URbi huic idem nomen eſt cum Roma; Græcis ſiquidem ῥώμη, dicitur apud Latinos *robur*. Inde hanc *Valentiam* antea *Romam* dictam à Romo Hiſpanorum quondam rege, ſcribit non ſolum *Annius* in Manethonem, ſed etiam *Beuterus* in ſuo Hiſpaniæ chronico. In Goltzii hiſtoria eſt numus æreus, cui inſcriptum: COL. IUL. VAL. ubi nonnulli legunt, *Colonia Iulia Valentia. Carol. Stephan. in Diction. Hiſtorico.* Alii volunt à Valentio ſeu Valente Imperatore tùm conditam, tùm denominatam. Verùm antiqua monumenta docent, urbem hanc ante Romi & Valentiniani tempora, utpote qui poſterioribus ſæculis vixerunt, conditam, & antiquorum Romanorum opus eſſe. Probemus hoc ex Hiſtoria Eccleſiaſtica; ubi Irenæus legitur Lugduno Valentiam ablegaſſe tres diſcipulos, Felicem, Fortunatum & Achillem; qui omnes ſub Aureliano Imperatore martyres facti Valentiæ; ita ut, hinc urbis nomen centum & ampliùs annis conſtitiſſe ante Valentinianum, & hunc Valentiæ autorem & fundatorem eſſe non poſſe, dixerim. Dicitur alio nomine etiam *Valentia Cavarum*, quod *Cavara* Galliæ Narbonenſis populi fuêre, ut volunt *Mela, Plinius, Ptolemæus, Strabo.*

Sita eſt urbs in ſuperiori Delphinatu, planitie ſummè amœnâ & fœcundâ vitibus frumentoque; *Rhodanus*, rapidiſſimus deſcenſu, alluit eam fluctibus adeò pernicibus, ut muros

impetu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

impetu ſuo olim dejecerit, non ita multis ab annis grandi civium ære reſtitutos.

Murus duplex, diverſis, æquali tamen diſtantiâ poſitis, turribus auctus, eam cingunt & defendunt. Immenſum quidem opus cœperat Franciſcus I rex, verùm ſine deformatione nudâ nihil ipſi formæ reſtat.

Portæ, ut alias prætercam, cùm ſint ſine magno præconio, quæ dicitur *Sauniere*, antiqua hæc monumenti inſcriptio ſupereſt:

D. M.
Vindauſcia E.
Petronia
I IVS. Æliam S.
Coniugi Sant.
ſi ma.

Aeſtimatur eſſe pars tumuli alicujus antiqui, huic ſtructuræ adplicata.

Aedificia plurimam partem antiquitarem ſapiunt. quod inter omnia caput erigit, eſt id, quod Præſes quondam Gratianopolitanæ Curiæ occupavit, cælaturâ & artificio conſpicuum.

Inter publica, & quidem *eccleſiaſtica*, *templum Apollinaris* palmarium eſt & cathedrale; opificium elegans, niſi bellorum civilium calamitatem expertum fuiſſet, tametſi nunc damnum grandi impensâ redemtum ſit.

Videas ei adſitam *aulam* epiſcopalem, & *ſacellum*, ſtructurâ lapidum & cælaturâ commendandum. Ab uno latere aulæ hæc antiqua inſcriptio eſt:

T. Pom-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

T. Pompeio Hilari Luerino
T. Pompeius Baſſus
Et patri ſibi.

In templo *B. Felicis*, videre habes tumulum equitis Romani & uxoris, cujus inſcriptio lapidi inciſa:

D. M.

Memoriæ æternæ. Petroni Caſtivet.
Miſſi honeſta
Miſſione ex leg. Princ.
Min. ex optione Procon.
Ducenar
Et Vitalinæ Florat. coniug. illius
Vivi ſibi ponend. curaver.
Et ſub aſſia dedicaverunt.

Cœnobium Dominicanorum habet ſepulchrum cujuſdam nobilis Germani Bertrami ab Horſt, anno ætat. XXII ibi defuncti, ſub ann. cIↃIↃ. LXXXV, M. O. In horti pariete obſervabis gigantis Buardi picturam, latit. VII, longitud. XV pedum. Oſſa in periſtyliis inventa dicuntur, poſteà juncta, menſurata & in hanc formam deformata. Inſuper duos fonticulos, in area unum, extra aream alterum; hyeme calidiores quàm æſtate.

Nec neglegas *abbatiam B. Ruffi*, ſuperbiſſimorum totius Delphinatûs ędificiorum unum, priuſquam à reformatis deformatum: columnæ in monaſterio è marmore figuratæ variegato, quibus hiſtoriæ V. & N. Teſtamenti inciſæ.

Tem-

Templum S. Iohannis rotundum, de la ronde, olim *Pantheon* dictum, antiquitatem oſtendit opere ſuo.

Templum *B. Petri* à Carolo Magno fundatum, habet antrum, quod ſubtus Rhodani flumen dicitur exiſſe in adverſam urbis partem.

Templis adponemus *academiam*, olim à Cujacio, modò à Pacio, tantum quantum eſt famæ, habentem. inviſentes excipiebat nos amicis & humanis geſtibus, quærens multa de Germania noſtra, de bellis & rebellibus Cæſaris; nec non privata quædam ſua miſcebat de ſtudiis ſuis, præſertim juridicis, monſtrans arborem conſanguinitatis & affinitatis, novâ formâ laminis æneis à ſe inciſam. pòſt, nomen ſuum philothecis noſtris inſcribebat, amicamque manum cum voto felicis itineris jungens nos dimittebat. Nullus hodiè nitor, nullus ſplendor ineſt auditoriis; ſtudioſorum numerus non venit in numerum, flore illo præteriti ſæculi jam deflorato. Vapulat verò plurimùm à vicinis ſcholis Turonenſibus & Avenionenſibus, quò Ieſuitæ, quidquid pubis literatæ eſt, ad ſe trahunt.

Publica ædificia vix calamum merentur. *Curia* ſine pompa IV conſulibus conſtat. *Fontes* extra portam oſtendunt incolæ magnorum fornicũ, à Iulio Cęſare ſtructorum, quorum ſcaturigines per aquæductus ultra milliare derivantur. Ædes *privatæ* Delphini civis, habent ex uno lapide tumulum, uſus fontanos exhibentem; qui olim dicitur fuiſſe ethnicæ cujuſdam Imperatricis. in eo præter ſequentia nihil leges:

D. IVSTINA. M.

forte, *Diva Iuſtina Mater.*

Tumba poſtquam aperta, oſtendit ſpecioſam fœminam, aures perforatas habentem, à ſingulis penſiles annulos, ornatos erano & ſmaragdo: ejus pedibus crater cryſtallinus, capiti lampas vitrea adſtitit: quamprimùm autem aër tumbam introivit, cadaver in pulverem abiit.

Ita urbs ſtat: ruinam verò ſæpius experta eſt per bella diverſa, famoſiſſimasque vaſtationes: altera accidit anno Chriſti Iↄ LXXVI, cùm à Gothis obſideretur & expugnaretur: altera cùm Burgundiones illam captam deprædarentur: accedunt infeſti Longobardorum conatus expugnationem molientium, ſed infectâ re rurſus ſecedentium. Videantur iſtius temporis hiſtoriæ.

Viennâ abeuntes divortium fecimus à Rhodano propter excurſiones ex opido *Poyſin*; cujus incolæ, omnes reformatæ religioni addicti, neſcio, quos ob motus, Rhodano naves hinc inde euntes detinebant, viatoribusque moleſti iter maximè intutum reddebant. Nos igitur à via regia ſiniſtrorſum deflectentes, per pagum *la Vache* & *Monthaiſon* arcem, circa veſperam devenimus ſalvi in opidum *Creſtum*, IV Viennâ mill.; ibique *ad* III *reges* pernoctavimus. Sequenti mane opidulo *Poyſin* propiores facti, dum id eminus colli impoſitum dextrorsùm cernebamus, majori cautione & circumſpectione opus erat. perreximus itaque, relinquentes ad dextram arces *Antichat, Chabreillan,*

breillan, Roche ſur grane pagum, *Roënac* ſiniſtrorſum, *Marſane, Savaſſe* vicos. ita v *ferè milliarib.* ad opidulum *Montelimart*, Thuano *Montelium Adæmari*, delati, prandium ſumſimus *au gryphon*. Via, quæ huc ducit, petroſa multùm eſt, frumenti tamen ferax. Opidulum alluit fluvius *Roubion;* caſtellum regit *Monſ. le Comte de Villeville*. Templa occupant reformati, cùm hic locus pro ſecuritate ſit à rege iis datus. Mercatores potiſſimùm heic Mercurio litant.

A prandio II *milliaribus* venimus ad opidum *Chaſteau neuf;* ubi roriſmarini magnum proventum vidimus è ſaxis vivis prorumpentis. Opidulo adjacent duo caſtella, jugis montium impoſita, *caſtelnau de Ratte* & *chaſteau de Rhoſne*. anguſtiæ ſunt viarum hîc, nec tranſitus obvius omnibus, antiquum Romanorum opus, maximam partem per Ligiſtas devaſtatum. Spicæ heic magnâ copiâ proveniunt. *Donzerra* opidulum I. mill. hinc abeſt, ſitum loco amœno & nemoroſo: adſitum ei caſtellum vetus in ſummo monte, ſummiſque ruinis: tellus heic frumento gravida eſt; oleis item, lavendulâ, ſpicâ & thymo agri pleni: Vina generoſiora heic magiſque calida occipiunt quàm in reliquo Delphinatu, ideoque non mera ſed diluta bibuntur.

Cœnę opidum *Pierre latte* deſtinatum erat, quò *uno & medio milliari* ſuperato, perventum & pernoctatum *au chariot*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

PETRA-LATA.

SItum eſt in finibus Delphinatûs, egregiâ planitie; ad fluvium *la Berre*. Caſtrum regio præſidio habet munitum editiore in rupe; cui præfectus *Monſ. de la Croix*. Thuanus lib. XXXI, ſub ann. cIↄ Iↄ LXII, hæc habet de hoc opido: *Petra-lata eſt opidum in planitie ſitum, diſſitis leucam ampliùs ab eo montibus. tantùm rupes opidi dorſo aſſurgit, cui arx inſidet, omni ex parte prærupta, ad quam ex opido admodum anguſtâ calle aditur. Factâ ruinâ primo impetu urbs capitur,* (ab Adretio) *ſubito adventu attonitis adeò præſidiariis, ut ruinam defendere non auſi, ſtatim in arcem ſe receperint. Potitus opido Adretius, cunctisq́ue, quos armatos nactus eſt, ad unum occiſis, rectà ad arcem progreditur, ne ſpatium militi animos ex pavore concepto colligendi daret; fortunâque uſus, ad portam vim facit; territisq́ue præſidiariis huc illuc palantibus, &, quid agerent, ignaris, colloquium poſcitur; ſed dum de conditionibus altercatur, Arauſionenſes, recenti ſuorum clade efferati, & ultione ardentes, irruunt, &, refractâ portâ, in confuſos rabiem effundunt, nulli parcentes, parte de rupe dejectâ, parte gladio trucidatâ, &c.*

Animus erat hinc *fanum S. Spiritûs* adire, quod ſequenti die, per amœniſſimam latamq́ue planitiem dextrorsùm divertentes etiam, attigimus, III milliaribus à nocturnâ quiete diſſiti. Eo itinere viſa nobis opidulum *la Palu*, & vicus *noſtre Dame des Plans*, in quod multum devotionis peregrinantes videntur conferre.

Pont S. ESPRIT.

HEic exiguum prandium ſumere, quod & fecimus, juſſit nos vigilia Paſchatos, in hoſpitio *à noſtre Dame*. *Fanum* hoc *Spiritus*, unde nomen ſumſerit, non ver èdixerim: Straboni *Planaſia* dicitur. Quod heic notes, eſt PONS à Romanis ſtructus; opus certè quod omnibus pontibus, non Rhodano ſolùm, ſed omnibus Europæ fluminibus, impoſitis, palmam facere poteſt ambiguam. Quamprimùm hanc ſupergreſſus es, Aquitania te recipit; diſtinguit enim pons hic Provinciam à Languedocio, eſtque limes tùm Delphinatûs, tùm Comitatûs Venuſini. Ipſum opidum ſitum eſt in provincia *Vivarais ſur la Rhoſne*.

Sed videamus nunc PONTEM; ejusque *quantitatem* & *ſtructuram* in partibus. *Quantitas* eſt in *longitudine* cIↃ XXX paſſuum, *latitudine* XII, ita ut curribus binis obviantibus ſat magnum, ut ſibi cedant, ſit ſpatium. *Structura* reſpicit *ſuperiorem* & *inferiorem*. *Illa* fornices complectitur, & majores numerat XIX, minores V; omnes uno eodemque lapide quadrato videntur ſecti. Singuli hi fornices, quaternis rurſus ſuis nituntur ſuſtentaculis inſtar feneſtrarum perforatis; uſibus ſordium à ponte defluentium & architecturæ pontis accommodatis. Singulis his fornicibus alius oblongus ſed minor ſubædificatus eſt, ita ut rarum hoc opus benè notes, dignum majeſtate Romanâ, & nomine. *Ipſa*, quæ præbet viam, ſub dio, ſine tecto, lapide cæruleo, ſed ſiliceo, ſtrata eſt tam eleganti & artificioſo poſitu, ut vel ad re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

gulam totum ædificium compoſitum eſſe videatur: omnes eâdem lineâ & ſerie ſinguli ſeſe excipiunt, formâ quadratâ, & latæ manûs menſurâ. Medium pontem duæ lineæ permeant junctim unitæ; unâ ad utrumque latus ductâ. Ita totus pons ex quadrato ſilice, ſed glabro, conſtat. unde vectori tuo ne multùm fidas; in proclivi ſiquidem caſus, & ab hoc tibi damnum. Dum hæc viſu obis, juxtà notabis ſacellum & præſidium ponti impoſitum.

Adverſa opidum habuit ſub Iohanne Gall. Rege, anno Chriſti, cIↃ ccc LX, cùm prædones id tenerent; nec non ſub Carolo VI, anno cIↃ cccc XVII, cùm Princeps Auriacus Iohannes id caperet & ſibi ſubjiceret.

Viſo heic ponte & Rhodano, qui periculosè heic navigatur, repedandum tibi eſt è Languedocio in Delphinatum, *Medio milliar.* iſthinc diſtat opidul. *Montdragon* prope montem; cujus ſummitas arcem antiquam oſtendit: opidulum ſine omni ornatu, amœno non tamen ſine ſitu ad fluv. *le laict de Montdragon*, Occidentem verſus influentem. Vicinus ager frumento, oleis, amygdalis & ficubus abundat. ad amuſſim quaſi videas intra elices & ſulcos poſitas arbores fructiferas. oleæ amplexantur vites; hæ botros ſuos illis ſuſpendunt. ad ſummam, ſingularis oblectamenti hoc iter eſt. quo notes terrarum diverſarum genios: quæ enim domi apud nos in hortis ſtudiosè & operosè colimus, ea heic ſponte ſuâ ſine cultu in campis proveniunt & neglectui habentur. morus, amygdalus, malus Punica heic non raræ; libanotis, ſpica, nardus, thymus, hyſſopus, peri-

periclymenum pro gramine campeſtri ſeſe gerunt.

Mournas opidulum 1 mill. inde ſitum, ad montis pedem. in cujus vortice antiqua arx eminet; pendula rupes & jam jam caſura comparet. ſubtus Rhodanus præterlabitur. via omnis oleis ſepta inſtar nemoris.

Hinc per *Piulone* opid. tranſitur, è quo magna planities, & eminùs caſtrum *Orenge* ſeſe oſtendit.

Non longè inde procedis in Principatum Arauſionem, per pontem fluvio *d'Egues* ſuperſtratum. à quo rectâ viâ *ſeſquimill.* tendes ad urbis portam. quæ non longè à ſe habet *rudera arcus Marii.* Ita in urbem ipſam & hoſpitium *à l'aigle d'or* venientes, communi calculo decrevimus, ut hunc & ſubſequentem diem & noſtræ & equorum quieti impenderemus, tum propter diei celebritatem, (erat enim ſacrum Paſchatos feſtum,) tum quòd itinere ſuperiore ita equos exagitaveramus, ut remiſſio laboris ad diem unum eis tacito quodam pacto permiſſa videretur. Hoſpitium amplum erat, ſed non mundum, non ad Belgicum nitorem, licet Auriaco, Belgarum præfecto, pareat hic Principatus; verùm ſub alio Iove aliud famulitium cogitandum, nec uſquam Gallia vel exquiſitiſſimâ operâ in mundum Belgicum transformabitur.

ARAVSIO, AVRENGE.

NObile hoc venerandæ antiquitatis ruinis opidum, olim dictum fuit *Secundanorum*

colonia, teſte Vadiano Pomponio, & antiquo lapide, qui habet;

COL. ARAUSIO. SECUNDANORUM
COH. XXXIII VOLUNT.

Ita Arelate Sextanorum, Septumanorum Bœterræ, Forum Iulii Octavianorum, Narbo Marcius Decumanorum adpellabantur, à legionum, quæ ibi erant in præſidio, ordine numeroque. Vrbs hodie principatûs ſupremi titulo cum ſua ditione inſignitur, in Provinciæ Comitatu ſita, cujus & partem facit. *Thuan. lib.* XXXI. Argente fluvius eam proximè allabitur, ſitam loco plano, amœno, vitifero, & frumentorum fructuumque, præſertim croci, feraciſſimo, aureis tamen malis deſtituto; unde diverbio locus: *A Aurenge il n'y a point d'orenges.* In gyrum ſe extendit. Olim multò amplior & in vicinos agros diducta fuit; rei indicem faciunt rudera murorum relicta, hinc inde adhuc conſpicua. Contra hoſtilem incurſum hodiè novos muros, profundas foſſas, oſtendit: præcipuè autem CASTRUM; quod *primum* erit *extra urbem* viſendum.

Hoc natura loci firmum eſt, ſitum in immenſa rupe, latiſſima quam cingit planities. nulli vicini ſunt montes, nec colles; ſolum hoc caſtrum eminet, natum è vivo lapide, & ſummo artificio ad perpetuitatem erectum. videas propugnacula cum ſuis munitionibus è vivo ſaxo poſita, altiſſimâ præcipitantiâ. accedit robur à præſidio benè multo; cui præfectus erat *Iohan d'Orsmael, Dominus de Falckenburg;* qui hoc anno cIↃ IↃc XXX, XIII junii periit; cauſa & commiſſa typis excuſa ſunt; quo lecto-

rem

rem remitto. Intùs præter munitionem & ſitum videas tres areas, *la vignaſſe, le donion, la cortaine*; cameram item, *(le beau regard,)* quæ proſpectum in VII circumſitas provincias largitur; Languedocium, Provinciam, Delphinatum, Vivareſium, Arverniam, Foreſtum & Arauſienſem principatum. inſuper *puteum*, qui reliquos Galliæ puteos profunditate & latitudine ſuperare dicitur: è ſummo per penetrale montis ad imum excavatus eſt lapis ad vivam uſque ſcaturiginem: unde civibus etiam non parum accedit emolumenti.

Alterum, quod extra urbem videas, nimirum extra portam quâ Lugdunum itur, eſt *arcus triumphalis C. Marii Coſ. Romani*, monumentum totius Galliæ antiquiſſimum. Hunc arcum dicitur poſuiſſe poſtquam in agro illo Cimbros deviciſſet, adjutus Catuli ſubſidio, ita ut uno die C XL CIↃ LX fuderit Totum hoc monumentum quadratâ formâ ſtat: cujus inferior pars & concava in formam arcûs eſt fornicata, tribusque portis & cameris diſcriminata, quarum lapides veteri artificio ſunt inciſi & exornati. Anticâ & *primâ* exterioris muri parte repræſentantur trophæa omnis generis terrâ facta, ut ſunt ſcuta, haſtæ, cuſpides, clypei, thoraces, parmæ, telorum faſciculi; lupi item, qui ſigna erant militaria. Superiori parte nautica extant trophæa, ſed vetuſtate exeſa vix lineamenta oſtendunt. nec dubium eſt quin verba quædam ſuperſcripta fuerint, teſtibus veſtigiis; ſed vetuſtate temporis abiêre. de his Auſonius verò:

Miramur periiſſe homines, monumenta fatiſcunt:
Mors etiam ſaxis nominibusq; venit.

Trophæis iſtis nauticis impoſita fuit imago ſculpta cujuſdam ſagæ, quæ digitum auri immittens, videtur eventus conſiliorum ſignare velle. Hæc ex Syria oriunda, aliquando in ſpectaculo gladiatorio uxori C. Marii prædicens quiſnam congredientium futurus eſſet victor, mox ab uxore ad maritum C. Marium miſſa eſt, qui eam honorare ſecumque in lectica circumducere voluit; ejusque ſuaſu & præmonſtratione prælia ſolùm inivit. ad hanc ſagam prælia ſculpta repræſentantur. *Altera* arcûs quadra, dextrorſum, habet & nautica & terreſtria trophæa; ibi tres thoraces grandiores, quibus ſingulis bina prępoſita ſunt ſemicomeſa capita. *Tertia*, grandiora habet & navalia & terreſtria trophæa; inter illa malus & vela adhuc conſpiciuntur, nec non litui, quorum uſus erat auguribus in captandis vaticiniis; Ibidem videre eſt pręlium inter Cimbros & Romanos. *Quarta* oſtendit triumphum, quo Cimbros captos vinctosque Romam duxerit.

Tertium extra urbem viſendum eſt *la torre ronde*. Vbi *duo* oſtenduntur; *balneæ* & *arenæ*. *Illæ* ſunt cavernæ quædam, olim ſcaturientes aquis calidis, & ideò *thermæ Marianæ* dictæ, quòd iis uſus Marius fuerit. *Iſtæ* binis in turribus oſtenduntur, *(les arenes,)* quarum rudera volunt eſſe amphitheatri veſtigia. Verùm anguſtia loci evincit, iſthic loci non potuiſſe fuiſſe molem amphitheatri, licet nomen remanſerit arenarum; quod & hodiè apud Italos & Gallos pro

pro amphitheatro in uſu eſt. Arenis ſiquidem antiquitùs inſternebatur area intra muros cõcluſa, cui inſiſtebant certantes; & hi ne ex lubricitate profuſi ſanguinis facilè caderent, per ſparſas arenas impediebantur. Ipſæ autem arenæ locum oſtendebant; quo feræ & gladiatores ſiſtebantur; quandoque etiam naves, quæ advectæ ſolvebantur, in arenis hinc inde veluti in mari fluctuantes; adductis inſuper monſtris marinis, ita ut pro terreſtri navale prælium oſtenderetur; teſte *Dione in Nerone*, dicente; *Aliquando beluis interfectis & venatione exhibitâ ſubito aquas in amphitheatrum eduxit, & navale certamen oſtendit, rurſumq; eâ eductâ gladiatores in loco præbuit*. In media arenarum area, ara erat lapidea Iovi Latiari dedicata, ad quam unum è pugnaturis mactabant. Hinc Prudentius de cruenta hac mactatione & gladiatorum oblectatione conqueritur:

Quid pulvis caveæ ſemper funebris, & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Hæ ſunt delitiæ Iovis infernalis: in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit averni.

Quartum extra urbem ad pedem rupis eſt *fons* verſus viam publicam, dictus *Lavecon*; è quo ſi lavent id quo audiunt fœminæ, ſterilitate abactâ concipere poſſe creduntur.

Hæc extra urbem. *Intra urbem* quæ videas ſunt; In *eccleſiaſticis templum* cathedrale, S. Andreæ dicatum; cui XLIIX epiſcopi præfuêre; hodiè reformati ei præſident. *Epiſcopi ſedes* tota, præter muros, dejecta eſt, ut locus inſerviret urbis munitioni.

Academia antiquiſſima eſt, nata fundatore

Carolo

Carolo Magno; cujus adhuc privilegium à Friderico renovatum aſſervatur: ſtudioſi verò ibi nulli; unde iocus ibi, Rectorem cum ſcriba & pedello academicum corpus repræſentare; juxta illud; *Tres faciunt collegium*. Commodè tamen ibi offendi Dn. Guilielmum Grajum, medicum, gente Scotum, olim in patria ſub B. Keckermano philoſophantem;è quo, quidquid raritatis academiæ ſupererat, cognovi. ut amicitiam renovatam arctiùs teſtaretur, litteras jungebat Nemauſum ad D. Abrenetheum Scotum, à quo non exigua humanitatis deinde mihi exhibita officia.

In *profanis* eſt *circus* ſive *theatrum*, magnificum olim, hodiè aliqua ex parte dirutu; , integrum ſatis, ut Romani ſplendoris majeſtatem teſtari poſſit. Videamus ejus *formam* & *partes*. Illa eſt in modum arcûs; cujus antica pars murum habet ſtupendi operis, longum c xxxvi, altum c pedes; area interior c pedum eſt, maximam partem ædificiis & habitationibus occupata. *Partes* ſunt: *ſuggeſtus*, *proceres* & *caveæ*. *Hæ*, penes muros conſpiciuntur, olim ferarum receptacula, è quibus ad pugnam educebantur. *Iſti*, ſunt è marmore præeminentiæ, quæ in ſuperiore muri illius quadrati parte extant perforatæ, quibus antennæ mali & trabes immittebantur; ab iis dependebant vela tanquam totius theatri tegmina, ne vel æſtu ſolis pluviâve ſpectacula impedirentur. *Ammianus lib.* xiv horum velorum inventorem facit Catulum, aut ab aliis populis ad Romanos derivatorem; inquiens: *Ex turba minimæ ſortis & paupertinæ in tabernis aliqui pernoctant: atris non-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nonnulli velabris umbraculorum theatralium latent: quæ Campanam imitatus laſciviam Catulus in ædilitate ſua ſuſpendit omnium primus. Vela iſta variegata coloribus & interſtincta ſolere eſſe, ait *Lucretius in princ. lib.* IV:

Et volgò faciunt id lutea ruſſaq; vela,
Et ferrugina, cùm magnis intenta theatris,
Per malos volgata, trabeisq;, trementia pendet.
Namq; ibi conſeſſum caveai. ſubter & omnem
Scenai ſpeciem, patrum, matrumq;, Deorumq;
Inficiunt, coguntq; ſuo fluitare colore.

Ille, ſuggeſtus nimirum, erat in muri quadrati inferiori parte ſive in podio locus elevatior, Romæ pro Cæſare; in provinciis verò pro Procoſs. & Prætore, qui ludis præſidebant.

Præter circum hinc videntur in civitate adhuc rudera *aquæductûs*, unâ & remotiori parte integri adhuc, alterâ verò collapſi.

Viſo ita Materiali urbis, ſequitur FORMALE; quod eſt in *Magiſtratu.* Qui vel *dependens*, & opidanus, quem conſtituunt IV conſules, & reliqui conſiliarii utriuſque religionis, ex placito Principis Philippi; (*Met. lib.* XX, *pag.* 898, *a*;) vel *abſolutus*, neminem præter DEUM recognoſcens ſuperiorem, eod. *Met. teſte ibidem*, dicente; Principatum Arauſionenſem abſolutum habere dominium & imperium, nec ullum agnoſcere ſuperiorem Magiſtratum, ſed immediatè à Deo & jure gladii dependere; unde Principi etiam titulus: *Princeps Dei gratiâ, par la grace de Dieu*; qui ademptus omnibus Galliæ Principibus. Obtinet inſuper *jus cudendi monetam.* quod præter hunc Principem,

ex-

excepto Rege Galliæ, nemo habet niſi Comitatus Avenionenſis. *Arniſæ. de jure Majeſt. p.* 434. ſiquidem omnibus Galliæ proceribus, (dicit *Bodinus lib.* 1 *de repub. c. ult.*) privilegium cudendi monetam, uno & eodem Franciſci I Regis edicto ablatum fuit.

Vt verò ſucceſſionem *auguſtæ gentis Naſſoviæ* ad Principatum hunc in fundamento videamus, altiùs repetemus hiſtoriam è *Thuani libro* XXXI, ad an. cIↃ IↃLXII. Ita ille: *Arauſio imperio Franco-Germanico olim ſubjecta fuit, ut ex bulla aurea academiæ ejus inſtitutionem complectente conſtat, aliáq; præterea, quæ privilegiorum eccleſiæ primariæ à Friderico II, anno* cIↃ CC XXV *conceſſorum confirmationem ſanxit; ex moneta item, quæ cum Imperii inſignibus cudebatur; & tabellionum privilegiis, qui auctoritate Imperiali inſtrumenta publica conficiebant. Poſtea Imperii per Galliam noſtram infracta potentia peculiares Principes provinciam tenuêre, & cum ea Arauſionenſem Principatum, qui tandem ad Bauſcorum regulorum familiam ſeu ſucceſſione ſive alio titulo devolutus eſt, eâdem prærogativâ ac immunitate, quibus hodiè Imperii Principes fruuntur. de quibus inſtrumentum fuit confectum à Bertrando Bauſco, anno* cIↃ CC XLII, *eid. decembr. In eo Principatu & partem habebant Hieroſolymitani equites, à Principibus, ut vero ſit ſimile, in ſocietatem aſciti ob virtutis famam & præcipuum belli adverſus Saracenos gerendi, cui illi deſtinati erant, ea ætate ſtudium; ut à Rigenſi epiſcopo in Livonia alibi factum memoravimus; idq; ex numis pleríſque patet, quibus in anticâ parte Arauſionenſis*

Prin-

Principis, in poſticâ Hieroſolymitani Ordinis inſignia viſuntur inſculpta. Et ita res in eo Principatu fuerunt uſque ad ann. cIↄ cc LVI. *quo Carolus Andinus Ludovici* IX *frater, qui Beatricem Raimondi Berengarii ultimi ex Barcinonenſium Comitum illuſtri familia provinciæ Comitis F. uxorem duxerat, eam ditionem crevit, & Gulielmum Bauſcum Arauſionis Principem tanquam beneficiarium in fidem accepit per Odonem Fortenarium magnum provinciæ Seneſchallum. Carolo Carolus II F. ſucceſſit; qui tot regulorum ſuſpectam potentiam habens, ab Hieroſolymitanis equitibus permutationis titulo partem, quam in Arauſionenſi Principatu habebant, comparavit, anno* cIↄ ccc VII, XI *kal. novembris; eamq́ mox Bertrando Bauſco attribuit, lege adjectâ, ut ipſe poſteriq́ ejus de Principatu univerſo tamquam beneficiarii, provinciæ Comitibus fidem deinceps præſtare tenerentur. Ea de re inſtrumentum confectum anno ſequenti* XI *kal. april. Secundum hæc Bertrandus Bauſcus à Roberto Caroli II F. ſacramento adactus eſt anno proximo; cumq́ biennio poſt idem Bertrandus cum Syndico Arauſionenſis civitatis nomine agente de privilegiis & immunitatibus tranſigeret, ſupremi imperii jus, quod Comitibus provinciæ competit, diſertè exceptum eſt. Bertrando mortuo Gulielmus fil. hæreditatem adivit; qui itidem à Roberto iiſdem conditionibus in fidem acceptus eſt. Gulielmo Raimondus filius ſucceſſit, & huic Raimondus II; qui ambo Ioannæ Neapolis & Siciliæ reginæ ſacramentum fidei dixerunt; & hic quidem de vi publica, ob quædam violenter perpetrata Corteſone, quod eſt*

Prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Principatûs municipium, à Fulcone Agutio magno Provinciæ Seneſcallo poſtulatus fuit, bonaq; ejus annotata, nec, priùs quam gratia delictorum à Ioanna impetrata, eorum plenam poſſeſſionem recuperavit. Ioanna cùm nullos liberos haberet, Ludovicum II Andinum Ioannis Franciæ regis fil. adoptavit & hæredem inſtituit, & poſt eum Ludovicum II ejus filium, eiq; Ludovicum III Calabriæ Ducem ſubſtituit: a quibus omnibus Principes Arauſionenſes in fidem accepti ſunt. Raimondi Bauſci ſine maſculis decedentis ditionem Maria filia crevit; quæ Ioanni Cabilono nupſit anno cIↃ CCCC X, cùm Bauſci eum principatum ab anno cIↃ CC XL tenuiſſent. Ex eo matrimonio genitus Ludovicus Cabilonus; qui à Renato Siciliæ rege in fidem acceptus eſt, eiq; XV cIↃ librarum commodavit ann. cIↃ CCCC-XXXVI, dum captivus Divione à Philippo Burgundione detineretur. viciſſim Renatus, ut ei de hujus ſummæ reſtitutione caveret, jus ſupremi imperii, quod ipſe in Principatu habebat, obligavit; cumq; carcere liberatus æs illud diſſolvere paratum ſe oſtenderet, Cabiloni tergiverſatione effectum eſt, ut negotium exitu caruerit. Ludovico Gulielmus Cabilonus ſucceſſit, qui cùm ſummo imperio illo licentiosè, atque adeò injuriosè, contra Arauſionenſes abuteretur, tandem vicinorum interventu inter partes transactum eſt, cautumq;, ut Arauſionenſibus à Principis magiſtratibus appellare jus eſſet. Id actum anno cIↃ-CCCC LXXI, menſe januario. Quo tempore rerum in Francia potiebatur Ludovicus XI; qui Renato & Carolo Andinis in Provinciæ Comitatu ſucceſſit, & cum Gulielmo Çabilono transegit,

his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

his conditionibus, ut Gulielmus acceptis à rege XL CIↃ *aureorum fidem in poſterum regi & Delphino Vienneſi tanquam beneficiarius obligaret, & ejus ſubditis ad Gratianopolitanum Senatum appellare jus eſſet: ceteroqui ipſe titulos ſupremi Principis, ſeq; gratiâ Dei Principem Arauſionenſem indigetare, monetam percutere, gratiam delictorum impertiri, aliaq; ejuſmodi, quæ ſummi imperii ſunt, facere poſſet. hisq; conditionibus in fidem acceptus eſt* VII *kal. jun. anno* CIↃ CCCC LXXV. *Ab eo tempore de Arauſionenſium appellationibus Delphinatûs curia cognovit uſque ad annum* CIↃ CCCC I C. *Quo Ludovicus XII, qui impensè Ioanni Cabilono Gulielmi fil. favebat, officiorum memor & egregiæ ab eo navatæ operæ in prælio ad Albini fanum in Armorica, ubi ambo capti fuerant, ſupremum jus illud bene merito amico remiſit, non tamen ſine contradictione. nam cognitor regius interceſſit, & ad Delphinum & Delphinatûs gubernatorem appellavit, proteſtatione factâ, & monumentis publicis eodem anno* IV *eid. ſeptembr. conſignatâ. verùm ſpretâ cognitoris regii proteſtatione, Ioannes ex eo ſupremum jus in eo Principatu uſurpavit, & curiam Parlamenti præſidemq; &* IV *conſiliarios inſtituit, qui jus cum ſuprema poteſtate dicerent; idq; uſque ad Ludovici XII exceſſum tenuit. nam eo defuncto, cùm Franciſcus gratiam à deceſſore ſuo factam revocaſſet, Philibertus Ioannis fil. in fidem ab eo acceptus eſt; rurſusq; Gratianopolitanus ſenatus de Arauſionenſium judicum appellationibus cognovit. Philibertus is ſine liberis deceſſit, & Renatum Naſſovium Claudiæ ſororis F. heredem inſtituit.*

ii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ii. quòd relictâ Galliâ Auſtriacis operam ſuam addixerant, eorum gratiâ contra beneficii collati auctores uſi ſunt; & poſt Ticinenſem cladem Madritianâ pacificatione cautum fuit, ut, nullâ habitâ juris, quod regibus competebat, ratione, Arauſionenſis Principatus cum ſummo imperio ipſis reſtitueretur. & quamquam bellis poſtea inter Carolum V & Henricum II ſubortis regii magiſtratus manum in Principatum injeciſſent, & Gratianopolitanus ſenatus per id tempus de appellationibus cognoviſſet; tandem pacificatione ultimâ anni CIↃIↃLIX, *rurſus ſupremum Arauſionenſis Principatûs imperium Naſſoviis juxta Madritiana pacta reſtitutum eſt: & Gulielmus Gulielmi F. Renati frater patruelis præfectum urbi impoſuit, & magiſtratus denuò inſtituit, qui citra provocationem cum ſumma poteſtate jus dicerent.* Hactenus Thuanus. Gulielmo Naſſovio Arauſionis Principi ſucceſſit primogenitus F. Philippus Gulielmus, anno CIↃIↃIC, XI mart., qui, Genuam cum Alberto Archiduce è Hiſpania veniens, mox Maſſiliam, & inde Arauſionem, ubi à clero & civibus acceptus, perrexit; eique hominium ſeu homagium præſtitum. actum lege apud *Meter. lib.* XX. Accedit inveſtitura & confirmatio Henrici IV Gall. regis, de qua *Thuan. lib.* CXXXVI *ſub fin.* Et *Meter. lib.* XXVII, ad annum CIↃIↃCVI, dicit: Philippus Arauſ. Princeps primogenitus, Gulielmi Arauſ. F. in uxorem ducens, Condæi ſororem Heleonoram, in Fonte-bellaqueo regis ſumtibus nuptias celebrat; cui inſuper rex Principatum Arauſionenſem, unà cum omnibus libertatibus, pręeminentiis & juribus, plenè, imò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

imò longè pleniùs quàm nulli anteceſſorum ejus, cum renunciatione omnium jurium, quæ regnum Galliæ in eum habere arbitratur, junctâ ampliſſimâ dote, donat. Philippo ſucceſſit frater *Mauritius*, plenariâ poteſtate per præfectum adminiſtrans Principatum. & huic denato invictus *Princeps Henricus-Fredericus*; quem glorioſum ſera videat poſteritas.

Ita Principatum & urbem vidimus in ſtatu pacato & flore: *Turbatum* talem deformat *Thuanus libro* XXXI, ad ann. cIↃ IↃ LXII: *Vrbs Arauſio unâ atque alterâ Synodo celebris, epiſcopali quoque dignitate ornata eſt; quam eo tempore (anno* cIↃ IↃ LXII) *tenebat Philippus Camerarius, ex illuſtri Cameræ marchionum familia, Proteſtantibus, qui jam in ea liberè conveniebant, valdè infeſtus. ii pacatè ſub Cauſano præfecto, & poſtea ſub Alexandro Turrio, à Gulielmo Naſſovio urbis Principe impoſito, vixerant, donec de Vaßiacena cæde rumore ſparſo territi opidani, eandemq́ fortunam veriti, arma capiunt, Turrio præfecto, tanquam ſibi ſuſpecto, ejecto, & acceptis* IↃ C *præſidiariis, ſe muniunt, miſſo etiam Lugdunum ad amicitiam firmandam, rem pecuniariam expediendam, & arma coëmenda, Perrino Parpalea loci præſide, qui in reditu juxta Burgum in Vivarienſi pago, cùm per Rhodanum cum armis deveheretur,* V *ab Arauſione leucis à nauclero proditus & interceptus eſt. quo cognito, opidani ſtatim militem Saulio Santandreano duce ad recipiendum, ſi fieri poſſet, Parpaleam emittunt, tam vicinum hoſtem minimè rati. jam antè, Philippo epiſcopo urgente, Fabritius Serbellonus, penes quem ſummum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mum armorum imperium ei à Pontifice cognato attributum in Venaſcinenſi Comitatu erat, Caralione loco condicto convenerat cum Honorato Sabaudo Sommarinio Claudii parentis Tendæ Comitis legato, Franciſco Balma Suzæ Comite, Pontenesio Carſio Flacceano ejus fratre Aquenſis civitatis præfecto, Gabriele Bollerio Centalio, G. Ventabreno Laverdeno, Mondragonio, Venterolio, aliisq; regiæ ditionis proceribus, & de Proteſtantibus Arauſione, ut nimiùm vicino, expellendis, conſilium inierat. Cùm, intellecto, præſidiarios urbe egreſſos, inopinatò ad portas cum XI muralibus tormentis & minoribus aliquot advolat non. junii, vix albeſcente die; opidani, caſu territi, mox ad revocandum Santandreanum mittunt; & eodem tempore, ut moram negotio interponerent, cum Serbellono colloquium poſcunt, & VI è ſuo numero ad eum legant. Tum perſcriptæ conditiones: ut externus miles ſtatim dimitteretur: arma omnia in templum majus comportarentur, clavibus ejus in Turrii præſidis manus traditis. Quibus conditionibus rejectis, continuo Serbellonus urbem ita cingit, ut Santandreanus, qui ad Serinianum remanſerat, ingreſſu prohiberetur. mox tormentis admotis ad eam partem, quæ Eutropii fanum ſpecta, arcem verſus pulſationem incipit. Verùm cùm ab arcis præſidiariis, quibus Coſta junior praerat, graviter infeſtaretur, tormenta inde deducit, & ad portam molatrinarum transfert; ubi poſt CLX circiter ictuum diſploſionem, editâ amplâ ruinâ, opidani, ſpe omni auxiliorum deſtituti, pars noctu cum conjugibus ac pueris diffugiunt, & ad ſocios, qui Seriniani erant, tendunt, pars ſe ad defen-

ſionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſionem comparant. verùm, cùm diverſis partibus hoſtem vim facere, & clatris revulſis ab adverſæ factionis civibus etiam pleriſq; locis admitti, fruſtraq; arma expediri cernerent, in arcem confugiunt. Victor hoſtis nullo non immanitatis genere in eos, qui in urbe remanſerant, ſæviit. nam, qui primum impetum effugêre, alii lentis ac minutis pugionum ictibus, ſic ut ſe mori ſentirent, occiſi, alii ſupra contos, ſariſſas ac ſtrictos enſes præcipitati; alii ad cremaſterum paxillos appenſi & combuſti; alii denique exſecti. nec decrepitis ſenibus, mutilatis & in lecto per valetudinaria decumbentibus ægris, miſeriſq; meſſoribus, ſubitâ obſeſſione in urbe oppreſſis, quibus nulla præter falces arma, parcitum. pleræque feminæ interſectæ, aliæ ad feneſtras & porticus ſuſpenſæ, &, avulſis ex eorum amplexibus parvulis infantibus, ſcloppetorum ictibus confoſſæ, multæ virgines per vim corruptæ. pueri multi item rapti, & ad nefandam libidinem ſatiandam in miſeram captivitatem, ex qua non niſi diu pòſt redierunt, abducti. auxerunt crudelitatem contumelioſa ſpectacula, productis mulierum cadaveribus, & in eorum pudenda boum cornibus & ſaxis ac ſtipitibus ad ludibrium injectis. Virorũ item interfectorum plagæ foliis ſacrorum librorum fartæ, qui, ut vernaculâ linguâ ſcripti ab illis, diſcerpti paſſim jacebãt. Nec adverſa factio, quæ hoſti ad opidum capiendum prodita concivium ſalute viam ſtraverat, furorẽ evaſit: nam, cùm ſe in platea armati cum uxoribus ac pueris conglobaſſent, hoſtes, eos ad defenſionem ſe parare rati, irruunt; & ad unum omnẽis trucidant; nec proinde illi civium ſuorum exitio diu lætati ſunt.

Inde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Inde ad arcem itum. cujus præſidiarii vitam pacti, ad unum omnes, qui CIX *numerati ſunt, aut præcipitati, aut gladio deleti ſunt, exundante paßim per urbem cruore. Poſt cædeis, in domos incendiis ſævitum. publicæ ædes, ſerpentibus flammis, etiam epiſcopi palatium, igni abſumtum eſt; &* CCC *ferè privatorum domus: in iisq; plerique, qui latebant, præfocati. vixq;, exortis poſt ingentia tonitrua inſolitis imbribus, incendium reſtingui potuit. quâ commoditate uſi plerique, qui à ſtrage ſuperabant, per noctem aufugiunt, & ad ſocios, qui Seriniani ſubſtiterant, ſe conferunt. Tum direptæ ædes quibus ignis pepercerat, ac poſtridie mœnia Serbelloni juſſu à fundamentis everſa. Capti Arauſione Coſta arcis præfectus, Cariteus & Ruiſius; & Taraſconem ſub cuſtodia ducti.*

Arauſione commorati ſacro paſchatos, ſequente die iter Avenionem inſtituimus. Duabus leucis *Sorga* fluvius obſtat transjiciendus; naulum pro ſingulis equis eſt 1 ſolidus. inde duę leucæ ad ipſam urbem Avenionem; quæ cuſtodias portis impoſitas habet. Ad ipſum ingreſſum quærebatur, num ſacræ Miſſæ intereſſe vellemus? negando reſponſum eſt. ubi diverteremur? *à la mule.* ita ſchedula ſignata nobis tradita pro tridui liberâ in urbe commoratione. ſed & è cuſtodia miles ad diverſorium nos ducebat, hoſpiti indicium facturus noſtro de adventu & commorationis tempore. Intromiſſi in urbem longo per ſtratas vias ductu ducimur ad dictum hoſpitium *à la mule*; commoda ubi & lauta habitatio.

AVE-

AVENIO,

URbs, ſecundum nonnullos, ſorte quadam & ad volatum accipitrum minorum fundata dicitur, quemadmodum Roma vulturum. quâ occaſione adhuc in urbe hac moris eſt, ut ii, qui tale avium genus in urbem vænum important, ab omni vectigali & portorio immunes ſint.

Sita eſt in Comitatu *Veniſſino*, *Rhodano*, *Durantio*, *Sorgâ* fluminibus irriguo. ad primum horum urbs ædificata loco amœniſſimo & fertiliſſimo: ſi *planitiem* videas, agri frugibus, prata hortenſibus herbis, vineæ botris, arbores malis citriis & aureis rident: ſi *fluvium*, piſcium natatu leniq́ue ſuſurro murmurat: Si *montes*, culti omnes ſunt, attolluntur, ſed remoti pluſculum ab ipſa urbe. Accedit oblectamentum *murorum*, eleganti turrium pari intervallo diſpoſitarum ordine conſpiciendorum. A parte quâ flumen præterlabitur, præcipiti rupi *fortalitium* eſt impoſitum exiguum, cum tormentis & milite præſidiario, tametſi à ſitu loci ingens ibi ſtrui poſſet caſtrum pro pontis & urbis defenſione. *Foſſæ* profundæ ſunt; *portæ* VII firmæ, excubiiſq́ue munitæ.

Pons (de cujus fabuloſa ſtructura vide *antiquitat. Galliæ pag.* 883, *& ſeq.*) ſi non circa finem obliquè incurvaretur, non multùm cederet ponti S. Spiritus. diminuit eidem multùm trium arcuum, qui multis jam abhinc annis concidêre, defectus, & quidem mediâ ferè in parte: rex eum ſumtibus ſuis, ſi fieri poſſet, reſtituturus dicitur. Arcuum eſt XXIII;

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

quorum duo, Avenioni vicini, cum ſacello, quod tertio eſt inædificatum, juriſdictioni Papali; reliqui regiæ ſubſunt. Latitudine anguſtus eſt, & vix v paſſuum; longitudine cIↄ ccc & plurium. Hic jungit *Neapolin* (*la ville neufve,*) Avenioni oppoſitum opidulum depreſſiori loco; ſupra ſe habens *S. Andreæ* fanum, editiori loco poſitum in excelſa rupe, munitum loci ingenio, firmiſſimis propugnaculis & præſidio regio.

Quoad *plateas*, eæ ſunt amplæ, præſertim eò loci ubi urbis pomœria producta. *ædificia* ſunt nitida & elegantia, nec non palatiis ſuperba; quæ ſi publica ſpectas, ſeptenario numero (ut perfectiſſimo, ex toto pari & toto impari conſtante) ſuperbiunt, VII *nim. palatiis, portis, templis parochialibus, canonicorum collegiis, xenodochiis, virginum monaſteriis & conventibus.*

Videamus ea nunc ſeparatim. Inter *templa* primum locum obtinet *D. Virgini* ſacratum, in area ſpatioſa ſitum, eminenti in ſaxo, cui multi gradus inciſi pro via ad ipſam ſumtuoſam ædem. Porta talem habet inſcriptionem:

Ludovico Iuſto, Gall. & Navar. regi Chriſtianiſſimo, avitæ virtutis æmulo, glorioſ. Caroli Martelli in Saracen. Aven. pellendis fortitudinem, & Divi Caroli Magni laureas jam adepto, in Albicenſibus, tota Septimania Galliaque fræn., S. Ludovici pietatem & magnitudinem aſſe-

aſſequuto, ob impiatum rebell. hæreticorum furorem triumphantibus armis expiatum, ob eccleſiam Romanâ pietate defenſam, ob Avenionem benignitate regiâ conſervatam, ſui clientes Præpoſitus & Canonici hujus Avenionenſis eccleſiæ per D. Martham primùm erectæ, mox D. Ruffi Chriſti diſcipuli epiſcopal. ſacris inauguratæ, & per Carol. Magn. Gothicâ impietate reſtauratæ, hunc ingentem & perennabilis gloriæ fornicem D D. C C. M DC XXII.

Interior ejus ſtructura ad ſtuporem dives eſt: altare grande auro & argento ſtringit oculos: lampades XI totæ argenteæ de funibus ſuſpenſæ lumen augent; non longè grandia candelabra itidem argentea. Ad latera vides *ſacella*, in quibus Pontificum aliquot magnificæ ſepulturæ, & capitum V tegmina, honorum inſignia. Canonici XX cum XIV capellanis ibi rem ſacram faciunt. illi, quòd ipſi Pontifices tempore quadrageſimali olim ibi miſſam fecerunt, *adhuc habitu & ornamentis Cardinalium utuntur*. Iſti Ordini addictus fuit *Franciſcus Petrarca*, Italorum Poëtarum princeps, de quo infrà. Eſt quoque, quod templum maximè decorat, videndum *S. Marthæ ſacellum*, quod olim ei pro domicilio ſerviit; deſcenditur aliquot gradibus ad illud: januæ ſuperſtat ipſius Marthæ effigies. Extra templum *area* eſt, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

qua puteus amplitudinis & profunditatis magnæ. In altiori area, cui templum iſtud inædificatum, videntur IV rotundæ turres, pulvere quæ tormentario dicuntur eſſe refertæ.

Inde non longâ viâ luſtrare potes in deſcenſu *palatium minus*. Archiepiſcopi manſio eſt. exigua comparet extùs, ſed interiori ſtructuræ nihil deeſt; cõclavia ad amuſſim exornata ſunt; adſtat turris elegans, hortus malis punicis & aliis abundat; proſpectus inde in urbẽ,in Rhodanum,imo in bonam territorii partẽ apertus.

His viſis ad *Franciſcanorum* (*les cordeliers*) mecum ito, viſurus *monumentum* LAURAE. Templum eſt ſpatioſum; in quo unum, quod me & alios affecit, eſt ſepulchrum illud modò dictum, quod Regum & Poëtarum meruit encomium. Inſcriptio recens talis eſt ei addita:

D. O. M.

Et memoriæ æternæ D. Lauræ
cum pudicitia tum forma fœm.
incomparabilis, quæ tam diu vixit
ut ejus memoria nunquam
extingui poſſit, R. R. veterum
monumentorum peregrin. in-
dagatores D. Chriſtophorus
De Allegre eques Luſitanus &
D. Antonius de Prat. Prætor
Pariſienſis, & Gabriel Simonius
Florentinus, εὐδοκίας χάριν
IV idus april 1558.

Sola manet virtus; cætera mortis erunt.

LAURA hæc à Franciſco Petrarca honeſto amore amata, & odis artificioſiſſimæ ſtructuræ decantata eſt. Sepulchrum multis retrò annis incognitum fuit; à Mauritio autem Scæva, viro literatiſſimo, in lucem protractum & mundo oſtenſum. Sacellum, in quo illud videtur, obſcurum eſt. ſiniſtra ingreſsûs habet altare muro adſtructum, ante quod ſub grandi ſaxo ſine omni ornatu & inſcriptione Laura cubat. Majores ejus id ſtruxerunt; teſtantur inſignia ſtellæ, lateribus appoſita. Franciſcus I Franc. rex Maſſiliam iturus, Avenionem tranſiit; ubi de Lauræ ſepulchro audiens, illud aperiri, & cadaver ſpectare voluit: ſaxo amoto, ſepulchroque aperto corpus præter oſſa in cineres abiiſſe viſum eſt. Pect ri impoſita fuit ſcatula plumbea operculo firmata, quâ apertâ *numus* & *carmen* incluſa reperta ſunt. Numus plumbeus unâ parte oſtendebat figuram femellæ, alterâ has litteras. M. L. M. I. id eſt, MADONNA LAURA MORTA IACE. Carmen, manu Petrarcæ membranæ pergamenæ inſcriptum, Italico idiomate, tale erat:

Qui riposan quei caste, & felici oſſa
Di quell' alma gentile, e ſola in terra,
Aſpro & dur ſaſſo hor ben teco hai ſotterra,
E'l vero honor, la fama, & belta ſcoſſa.
Morte ha del verde Lauro ſuelta & moſſa
Freſca radice, e il premio di mia guerra
Di quattro luſtri e più s'ancor non erra
Mio penſier triſto, e'l chiude in poca foſſa.
Felice pianta in borgo d' Avignone,
Nacque, & mori: & qui con ella giace
La penna, e'l ſtil, l'inchioſtro, & la ragione.

O delicati membri, ò viva face,
Ch'ancor mi cuoggi, & ſtruggi, in ginocchione
Ciaſcun preghi il Signor t'accetti in pace.

O SEXO.

Mortal bellezza indarno ſi ſuſpira,
Lalma beata in ciel vivra in eterno.
Pianga el pute e il futur ſecul priva
D'una tal luce: & io de gli occhi e il tempo.

His viſis & lectis, rex Franciſcus magnanimâ fronte ſententiam tulit, tumba honoratiori formâ dein ſtaret; ipſus præire viam ſcripto Gallico metro, quod tale eſt:

En petit lieu compris vous pouvez veoir
Ce, qui comprend beaucoup par renommee;
Plume, labeur, la langue & le devoir
Furent vaincuz par l'aymant de l'aymee.
O gentill' Ame, eſtant tant eſtimee,
Qui te pourra loüer, qu'en ſe taiſant?
Car la parole eſt tousjours reprimee,
Quand le ſujet ſurmonte le diſant.

Sequitur aliud Latino metro, auctore *Iulio Camillo;*

Laura ego quæ fueram Thuſci olim vita Poëtæ:
Laura ego, quã in vita Thuſcus alebat amor:
Heic ſine honore jacui non cognita, quamvis
Cognita carminibus culte Petrarca tuis.
Nullus purpureis ſpargebat floribus urnam,
Nullus odoratis ſerta dabat calathis.
Nunc quoq; Franciſci, ſed verſu & munere regis
Noteſco, officiis conſpicienda piis.

Aliud item Italico metro, auctore *Ludovico Alamano:*

Quì

Quì giace il tronco di quel ſacro Lauro
Che del Toſco miglior fu dal oggetto,
Ch'ouunque ſcalda il Sol n'ando l'odore:
Hor dal Gallico Re del ciel theſauro
(Sendo in poco terren vile, & negletto)
Et di marmi, & di ſtil riceve honore,
Et ſempre i rami haurà fioriti, & freſchi
Sotto l'ombra immortal de duo FRANCESCHI.

His ſubſcribo meum, cogitans vanitatem mundi, & perpetuitatem literarum, in Petrarcæ Lauram & metra:

Carmine laurum habui, LAURAE *ſtudioſus amator.*
Mors rapuit LAURAM: *carmina non potuit.*

Viſo hoc *Lauræ* monumento, ducam te ad *Caſimiri* Poloniæ regis monumentum; quod *in D. Martialis æde* tale extat:

B. C.

Poloniæ rex in Galliam ſecedens, Cluneatæ monaſticæ vitæ ſe addixit, & profeſſione amiſsâ frater Carolus vocatus, & Diaconi ordinem ſuſcepit. Anno ſui monachatus tertio à Polonis requiſitus, S. P. diſpenſatione à voto abſolutus, regno inaugurari meruit, his tamen conditionibus: I, ut Poloni ſingulis diebus Mercurii jejunent, unicâ tantùm refectione contenti. II, ut omnes ro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tundâ coronâ in morem monachorum utantur. III, ut nobiles ſedis ſolemnibus, dum ſacra peraguntur, ſtolam è collo ſuſpenſam ferant. IV, ut ſinguli è plebe perſolvant obolum in lucernam uſturam Romæ. Anno milleſimo quingenteſimo primo.

Præter hoc iſtius Martialis egregia ſepultura è lapide meretur videri.

Nec inſuper habeas *Cæleſtinorum ædem.* In qua duo Renati Siciliæ regis opera; altare & ſacellum. *Altare* è marmore nitidum, inſculptam habet hiſtoriam paſſionis Salvatoris, cum hac epigraphe:

Sicelidum regis ſunt hæc monumenta Renati.
Iuſſerat hæc quondam fieri quæ Carolus heros,
Rex pius abſolvi voluit quæ marmora cernis.
Triſtia cum gemitu Chriſti ſpectacula euntis
Ad mortem, liceat vobis ſpectare, fideles.
Cogitur ecce piis humeris caſuſq; cruentus
Ferre crucẽ laſſus, quâ crimina noſtra ferãtur,
Sacrilegaſq; manus Iudææ gentis iniquæ.
Diſcite Chriſticolæ; memores eſtote dolorum,
Quos Deus, ecce, tulit; ſic vos licet eſſe beatos.
Anno Dn. M CCCC LXXXI.

Sacellum habet ſceleton juſtæ magnitudinis, manu Renati regis elegantiſſimè pictum, quod olim matronis Avenionenſibus ſtrenæ loco ipſe rex donaſſe dicitur. In hac pictura commendatur & notatur tela aranea in feretro videnda, ita imponens oculis, ut naturale araneæ alicujus opus & texturam eſſe exiſtimes.

Tabula

Tabula iſta præter Gallicos verſus, hos habet Latinos:

Contemplare paucis qualis ſit imago ſubacta,
Corpore qui fulges; talis tibi morte paratur.

Præter hæc ſacella, alia adhuc ſuperſunt. Nimirum, *Clementis VII Pontificis*, in quo monumentum ejus ſepulchrale, non clericum, ſed regium, gratitudinis & memoriæ ergò ibi poſitum, quòd Avenio illum ſchiſmatis tempore octo annos in ſinu ſuo foverat. Aliud item pro Clementis VII P. *cubiculario*, è marmore exſtructum. Aliud, in quo Papæ miſſas celebrarunt, cùm heic eſſent. quorum etiam veſtimenta & ſacra pallia cum lituis in adyto adhuc ſervantur. Adſunt etiam aliæ tabulæ *de legenda Petri Luzeburgii*, qui puerum de ſumma in pontificii palatio turri delapſum & omnibus membris fractum precibus dicitur ita reſtituiſſe, ut fractæ & ſegregatæ partes ſuâ ſponte coaluerint, puerque priſtinæ valetudini & omnibus vitæ ſanæ functionibus reſtitutus fuerit. Sepulchrum hujus Petri eſt in crypta ſubterranea, cum fontis ſcaturigine. Non longè inde extat diſtichon in Ludovicum Valeſium ſcriptum:

Ille ego, qui gnatus, patruus ſum, frater, avusque
Regum: non habui regia ſceptra tamen.

Horti monaſterio adædificati amœni ſunt, conſiti è moris, ficubus, granatis, capparibus, aliisque boni ſaporis fructibus, ultra ferè monachorum ordinem.

Hinc ad *ædem Minimorum*; quæ tibi galeros Cardinalium plurimorum & ſub altari monumentum archiepiſcopi, cujus cadaver non-

dum conſumtum dicitur, cum hoc epitaphio oſtendet:

Hic jacet reverendus in Chriſto frater Vitalis, Ordinis Minorum bonæ memoriæ, Epiſcopus Albanenſis, S. R. E. Cardinalis; qui obiit die XII menſ. augusti, anno CIↃ CCCXXVI; cujus anima requieſcat in pace.

Si pluria templa luſtrare placet, ſunt ea non pauco numero; *D. Auguſtini*, ſacellis utrumque ad latus ſtructiſſimi; *D. Magdalenæ*; in quo Nothaffii Rhodano merſi monumentum: *Ieſuitarum* item, cum adjuncto collegio, Philoſophiæ officinâ.

Ab ædibus his ſacris dependet *inquiſitio* in hæreticos; ſatius eſſet, in Iudæos, imò in lupanaria, eſſent inſtituta; verùm utrique cùm fiſcum papalem augeant, feruntur: illi, mercium impoſturis; meretrices, lactis vectigali, (*milch-zins oder huren-zoll.*) Qui mos Romæ quoque obſervatur, ex antiquitate Romanâ originem trahens: ibi enim ſolebant mulieres, meretricium quæſtum capturæ, apud ædiles licentiam ſtupri vulgare, ut de Veſtilia, prætoriâ familiâ genitâ, Tacitus ſcribit lib. II, atque inſuper mutatum nomen Cellæ in lupanari, ubi proſtabant, inſcribere. *Alex. Sardus de morib. & ritib. lib. I, c. XV, ex Pancirollo in novis repertis, cap. X de horolog.* Verùm uti nullum tam eſt formoſum palatium quod non habeat cloacam; nec formoſa facies ſine aliquâ maculâ; ita egregia hæc urbs non caret hoc

fœtido

fœtido hominum genere. Meretrices Chriſtianorum templa, Iudæi ſuam *ſynagogam* frequentant; in hac tamen monachum ſingulis ſeptimanis concionantem ferre tenentur, ſi fortè quis eorum ad Chriſtianiſmum converteretur, repudiato Iudaiſmo.

Eccleſiaſticis ædificiis *academiam* adnumero, olim florentem & famâ magnorum Iuriſconſultorum celebrem; qui ſuæ cathedræ inſcriptum habent:

SESSIO AEMILII FERRETI:
PERITUM ORNO, IMPERITUM
DEDECORO.

Doctores in theologia ſunt III, in jure IV, in medicina III, in philoſophia cœtus Ieſuitarum eſt occupatus.

Sacra ædificia concludam cum *palatio Pontificis*, firmiſſimo ſaxo quod impoſitum. Notemus heic *aream*, *atria*, *ſacellum* & *armamentarium*. *Area* ad introitum præſidio Helvetio cuſtoditur. Mox aula; & *atrium* primum, amplum & longum, ſed non ornatum, niſi his, quæ parietibus inſcriptæ ſunt inſcriptiones:

CLEMENS V PONTIF. ABSENS ELECTUS ANNO M CCC V ROMANAM CURIAM LUGDUNUM TRANSTULIT.

Prope huic hæc:

IOHANNES XXII, LUGDUNI CREATUS, AVENIONEM PRIMUS SE CONTULIT.

(Hic mortuus, dictus eſt ditiſſimus, quòd auro poſt ſe relicto omnes per ſe ſuperarit pontifices.)

Sequitur hæc:

BENEDICTUS AVENIONE CREATUS CONSEDIT AC MORITUR PALATII HUIUS PRIMA AC MAIORI PARTE CONSTRUCTA.

Hic Benedictus, numero duodecimus, dicitur molitoris fuiſſe filius; ad quem cùm pater papalem ad dignitatem evectum inviſeret, ſericeis veſtibus ultra ordinem molitorum indutus, à filio non receptus fuit, priuſquam habitu hoc, molitores non decente, depoſito, veſte ſuâ molitoriâ compareret; ita benignè admiſſus, & interventu Cardinalium molendino à filio Papâ donatus, dimiſſusque eſt.

Alia inſcriptio ſequitur:

CLEMENS IN SUA OBEDIENTIA VI AVENIONE CONSEDIT QVO TEMPORE VRBANUS VI ROMAE APOST. SEDI PRAEERAT MAGNO TUNC ORTO SCHISMATE.

Item hæc:

BENEDICTUS IN SUA OBEDIENTIA XIII PRIMO PETRUS DE LUNA NUNCUPATUS IN LOCUM DEMORTUI CLEMENT. VI AVENIONE ELIGITUR UNDE POST IN HISPANIAM AUFUGIT AC IN CONSTANTIENSI CONCILIO CUM GREGORIO XII ET IOANNE XXIII DEPONITUR.

Vlti-

Vltima hæc eſt:

MARCELLUS II PONTIF. OPT. MAX.
QVI PIUS SECRETARIUS ALEXAND.
FARNESII R. E. C. VICECANCELLA-
RII AC LEGATI AVENIONENS.
FUERAT, MORITUR IN URBE
XX DIE PONTIFICATUS, AN. M D LV.

Ne hoc omittam; ſedes pontificia Româ Avenionem tranſlata eſt ſub Alberto Auſtriaco Imperatore per *Clementem V*, Papam, anno Chriſti cIↃ ccc v. ubi permanſit LXXII annos. Clementi ſucceſsêre *Iohannes XXII*, *Benedictus XII*, *Clemens VI*, *Innocent. VI*, *Vrbanus V*, *Gregorius XI. Pezel. in mellificio hiſtor. Helvicus in Chronolog.* Hic ſedem Avenione Romam rurſus tranſtulit hanc ob cauſam: Erat ei nepos, homo petulans, inſolens, virginum ſtuprator, matronarumq́ue impudicus ſectator. de qua vi & inſolentia nobiles cives apud Pontificem ſæpe conqueſti non audiebantur, nedum vindicabantur. Hinc de capite ſtupratoris alia ſententia lata eſt; junxerunt ſeſe multi, & noctu laſcivum hunc venatorem capiunt, moxq́ue ante Papę palatium penſilem faciunt. Papa ignominiâ affectus, de vindicta cogitans cœnam magnificam ſtruit, invitat primores civitatis; veniunt hoſpites, ſed cœnaculo, cui pulverem tormentarium ſubdiderat, incenſo in aërem exploduntur. Papa verò priùs de menſa ſurgens, reditumq́ue ſimulans navigia conſtituerat, quibus Arelatum, indeq́ue in Hiſpaniam aufugerat. *Platina* aliam adfert ratio-

rationem, inquiens: *Gregorius XI de profectione Italica cogitare cœpit, inflammatus præcipuè Epiſcopi verbis, qui ab eo reprehenſus, quòd non rediret ad Eccleſiam ſuam, tamdiu ſine paſtore nudam, reſpondit: Et cur neque tu, Pater ſancte, cæteris exemplum daturus, Epiſcopatum Romanum repetis. Ergo peractis in Rhodano una & viginti triremibus, (aliò ſe iturum ſimulans, ne à Gallis emolumenti causâ retineretur,) Genuam primò, inde Cornetum contendit: unde terreſtri itinere navigationem pertæſus, hyeme præſertim, Romam pervenit. Anno ſal.* CIↃ CCCLXXVI, *idib. januar., pontificatus ſui* VII, *migrationis verò Romanæ Curiæ in Gallias anno* LXX. Cœnaculum illud pulvere tormentario & igni ſublatum hodiè *atrium* eſt, inſerviens ſphæriſterii uſui. *Aliud* non longè inde, olim electioni Pontificum, modò pilæ majoris luſui deſtinatum.

Ab his te confer in *atrium* ſeu conclave deſtinatum publicis legatorum exceptionibus, ornatum his verſibus:

Qui varias operum moles, turritaq; paſſim
Mœnia dimenſæ ſuſpicis artis opus:
Ingreſſus noſtras humiles ne deſpice ſedes.
Quærimus ex ſola commoditate decus.

Turris hiſce atriis adſtat, cujus ſummum perforatum, olim per quod puer delapſus, fruſtillatim fractus, & à Petro Luzeburgio reſtitutus dicitur, ut habent tabulæ apud Cæleſtinos. Ibi *campana* in veteri palatio ſuſpenſa, quæ tota argentea fertur; indicit, mortuum pontificem, vel novum eſſe eligendum.

Hinc ad *ſacellum Pontificum*, exornatum ſcamnis

ſcamnis è ligno cupreſſi. ſtructura hæc pœnæ loco alicui à papa injuncta fuit. Nec negligas *Rotam audientiæ* Papalem: uti nec vicinum *armamentarium*, cui inſcriptum:

Dum parat Avinio Lutheris graſſantibus arma,
Dumq; movet gladios, hoc ſibi fecit opus.
Anno 1570. PIUS V, P. M.

Sequitur *officina monetaria*, cui inſcriptum:

PAULUS V, PONT. OPT. MAX., HAS AEDES AURO, ARGENTO, AERE FLANDO, FERIUNDO AD URBIS DECOREM EREXIT, ORNAVITQUE, CURANTE IO. FRANC. A BALNEO, ARCH. PATR. V. LEG.

ANNO SALUTIS CIↃIↃCXIX.

Hinc ad aream te confer, cui nomen eſt *la place pie;* domus ibi dejecta videtur, ſuperantibus adhuc XIV columnis rotundis & VIII quadratis. Olim habuit dominum nobilem quendam, qui ob civitatis proditionem rogo impoſitus & combuſtus eſt, ædibus dejectis præter has ruinas, quæ adhuc conſpiciuntur in facti exemplum & memoriam. Ita quoque ſupplicium ſumtum videas de *Cardinale aliquo, cujus caput* ſummitate domûs alicujus affixum eſt; magicis artibus dicitur Pontifici, cujus imaginem propè ſe habebat, toties dolores & puncturas exhibuiſſe, quoties aciculis eam pungeret.

Sufficiant hæc de *materiali urbis: Formale* videbimus in regimine *magiſtratûs inferioris & ſuperioris.* Illum conſtituunt Conſules & Senatores opidani, à quibus ad Legatum Pontificium, ordinariè in urbe reſidentem, provocare licet. Hic eſt ſuperior magiſtratus, ipſam Pontificis

tificis auctoritatem repræſentans, lectus à Purpuratorum conſiſtorio. Præter hunc habet *archiepiſcopum*, cui parent tres alii in Comitatu hoc ſiti; Carpentoractenſis, Caballionenſis & Vaſionenſis. Regimen verò hoc ſupremum Comitatûs, Clemens V, Papa, anno cIↃ CCC VI dicitur impetraſſe à Ioanna Siciliæ & Neapolis regina. quæ cùm maritum Andream laqueo ſericeo ſuſtuliſſet, è regno Neapolitano diverſis præliis victa fugere Avenionem coacta eſt; ibi Ludovico Tarentino conſobrino ſuo nubens, Pontifici ſupplex facta, ejus authoritate interpoſitâ regno ſuo rurſus potiretur, nec ignara Romanæ avaritiæ, promittit Pontifici ſe Eccleſiæ urbem patrimonii ſui Avenionem ultrò conceſſuram. Contractus hic ex compoſito factus ne innoteſceret, egit cum Pontifice, ac ſi urbem dono datam ei vendere vellet, modò Pontifex aliquantulum ex annuis reditibus pretii loco Ioannæ penderet. Hoc pacto inter ſe inito, Pontifex factus eſt Dominus Comitatûs Avenionenſis, & Ioanna, interceſſione pontificiâ, regnum Siciliæ adepta eſt. Nec deſunt qui aſſerant, Ioannam multo ære fuiſſe obſtrictam Pontifici, cui cùm non eſſet ſolvendo, patrimonii ſui urbem hanc pro ſolutione tradidit.

Subditi ſunt benignis moribus, dediti multùm negotiationibus, præſertim byſſi pannorumque tincturæ, cui ob loci commoditatem ſedulò operantur. Splendidi inter incolas conſpiciuntur *Itali*, divites numis & palatiis: contrà ſordidi ſunt *Iudæi* & multi, peculiari urbis loco poſiti, veluti cloaca in domo; operti pileis flavis,

flavis, ſequior verò ſexus faſciis flavis capite redimitus. adventantibus importuni ſunt mercibus ſuis; à quibus, uti & ab aliis venditoribus, qui ſe mox in hoſpitium ingerunt corruptis ſuis mercibus, caveas, niſi loculos tuos ab illis velis vapulare. dictum tibi ſit:

Hic, niger eſt intùs; quem tu Germane caveto.

Avenioni valedicentes, perreximus itinere exquiſitè amœno, accedente cœli ſerenitate. Solum plantis raris, amygdalis, oleis florens & granatis, mirè nos afficiebat, ad *Novocaſtrum* uſque, opidum Papale, 11 *milliar.*, ſitum in monte undiquaque ſuaviſſimo & fœcundiſſimo. Inde agro frumentis gravido, inter oleas & amygdalas 11 *mill.* itum eſt ad opidum Papæ *l'Iſle*, in plano conſtitutum, & à flumine Sorga, unde nomen traxit, inſulæ inſtar undique cinctum. opidum certè ſuave & ſitu tam commodo delectabile. Hinc *ſeſquimilliari* ad vicum *Vallis clauſæ (Vaucluſe)* deventum eſt, viâ non adeò rectâ, petroſâ ſatis & asperâ, inprimis quæ in vicum proximè ducit. Locus anguſtus eſt & ſolitudini proprius. eò ubi ventum, porrò ire haud licet, ſed pars viæ emenſæ reaſſumenda eſt in reditu. Vnica platea paucarum ædium vicum conſtituit: nullum in eo diverſorium eſt; recipiebamur à molitore, *ſub inſigni S. Vincent;* tenui ſed caro apparatu omnia erant, & vix quid pro equis pabuli. Sorga fluvius tanto ſtrepitu præterlabitur, ut alter alterum loquentem vix exaudire poſſit.

VAV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

VAVCLVSE.

LOcus nomen ſortitus eſt à valle & montibus, quibus undiq; circumclauditur; commendatus naturâ & decantatus PETRARCAE metris.

Natura ibi artificii quid operata conſpicitur. In ima valle vorago eſt ad ſaxi pedem, è qua nebula & aër frigidiſſimus exit non ſine infectione; unde adventantes monentur ne ad imam viam eant, neve diu ibi ſubſiſtant. Vorago hæc ſub altiſſimo ſaxo fontem ſcaturientem facit, qui in ipſo egreſſu inter duas ficus arbores, multorum paſſuum longitudine, jucundo oblectamento ſeſe extendens, per prægrandia ſaxa horrendo ſtrepitu & catarractâ ſeſe præcipitat, inque latitudinem magnam ſe exonerans, mox Sorgam fluvium navigabilem facit. Hic ſuaviſſimo decurſu irrigans agros circumſitos & piſcibus ditans, duobus ab Avenione lapidibus Rhodano ſeſe miſcet.

Loco verò huic potior fama eſt à PETRARCAE domicilio & poëſi, ut & ejus in LAURAM amore. Oſtenduntur ibi adhuc & Petrarcæ & Lauræ ædes. Illius licet ſint vaſtatæ, comparet tamen inter rudera adhuc ſubterraneum quoddam antrum, uſum ciſternæ quod dedit, modò ovibus paſcendis commodum; ex hoc, Petrarca ſubterraneo itu Lauræ in domum, è regione ſtructam, venire poterat. Superior ædium illarum pars adhuc conclavium veſtigia monſtrat. inter quæ unum, Petrarcæ fuit muſæum, dulciſſimarum cogitationum conceptaculum, è quo in Sorgam pręterlabentem, cir-

circumſita ſaxa, vineas & colles patet proſpectus jucundiſſimus, cujus hinc inde mentionẽ facit, præcipuè in *Oda* x, *part*. I; *Od*. CCLXIII *&* CC LXXXI, *part*. II; *& in triumpho amoris cap*. I.

Amor, gli ſdegni, e'l pianto, e la ſtagione
Ricondotto m'haveano al chiuſo loco.

Sorgæ fluminis, ad quam maximam poëmatum ſuorum partem ſcripſit, meminit *parte* II, *Od. ſive ſonetto* CCLXV:

Mira'l gran ſaſſo, donde Sorga naſce,
E vedravi un, che, ſol tra l'herbe, e l'acque
Di tua memoria, e di dolor ſi paſce.

Item *part*. I, *Canzon*. XXXI ſub fin.

Chi ſpiaſſe canzone
Quel ch'i ſo, tu poi dir; ſott' un gran ſaſſo
In una chiuſa valle, ond' eſce Sorga.

Item *part*. II, *Od*. CC LXVIII:

Quella, per cui con Sorga hò cangiat' Arno, &c.

E regione Petrarcæ domûs, habitabat Lauretta (*ma da lui poi per miglior ſuono del nome*, LAURA *ſempre chiamata*) Petrarcæ Laura; integra illa adhuc maximam partem, & habitationibus deſtinata. In memoriam duorum horum amantium paucis eorum vitam deformabimus. LAURA, uti cauſa amoris, primum locum habebit. Nata eſt anno CIↃ CCC XIV in loco Vallis clauſæ, è patre nobili Henrico Chabodio Avenionenſi, Domino de Cabrieres. Tredecim vel præterpropter annorum cùm eſſet, aliquando è Valle clauſa ad opidum Inſulæ exſpatiata, obvium habuit eâdem viâ Petrarcam XXIII annorum juvenem, eo ipſo occurſu inextinguibili in Lauram amore incenſum ob ſummam ejus pulchritudinis perfectionem, morumque

rumque ſuavitatem; factum hoc anno Chriſti cIↃcccxxvii, die vi aprilis, ut ipſe ſcribit *part.* i, *Sonet.* clxxvii:

Mille trecento venti ſette à punto
Su l'hora prima, il dì ſeſto d'Aprile
Nel laberintho intrai; ne veggio ond' eſca.

Hiſce amoribus Petrarca xxi annos dedit, dum viveret Laura. quibus x addidit adhuc, cùm jam mortua eſſet, uti ipſe dicit *par.* ii, *Sonet.* cccxiii.

Tennemi Amor' anni vent' uno ardendo
Lieto nel foco, & nel duol pien di ſpeme;
Poi che Madonna, e'l mio cor ſeco inſieme
Saliro al ciel, dicce altri anni piangendo.

Mortua verò Laura eſt anno ætatis xxxiv, non ſolùm eodem anni tempore, eodemque menſe, ſed etiam eâdem diei horâ, quâ eam amare occeperat, ut ipſe affirmat, cap. i in triumpho amoris, cantans:

l'Hora prim'era, e'l di ſeſto d'Aprile,
Che gia mi ſtrinſe, & hor laſſo mi ſciolſe,
Come Fortuna và cangiando ſtile.

Annus erat cIↃcccxlviii, ut ipſe dicit *par.* ii, *Sonet.* ccxci:

Sai che'n mille trecento quarant' otto
Il di ſeſto d'Aprile, in l'hora prima
Del corpo uſcio quell' Anima beata.

Petrarca autem natus eſt anno incarnationis cIↃccciv, die xx julii, Aretii in opido Thuſciæ, parentibus Florentinis; per exilium inde in Galliam delatus ad hunc locum, ubi poëmata ad murmura Sorgæ meditatus eſt ſua; ob quæ etiam anno cIↃcccxli, die reſurrect. Dominicæ, Lauream accepit Romæ ſummo

mo S. P. Q. R. applauſu, ætatis anno XXXVII. Mortuus eſt in Italia anno clↄ ccc LXXIV, die XVIII julii, anno ætatis LXX, in vico, literato Petrarcæ labore decantatiſſimo, qui dicitur ARQVATUM, decem leucis Patavio diſtante, verſus montes Euganeos, ubi ſtatim in principio pro templi foribus ejus ſepulchrum, IV columnis è rubro marmore ſuſtentatum, noſtris etiam oculis fuit obvium, cum hac Epigraphe:

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarcæ.
Suſcipe virgo parẽs animã, ſate virgine parce,
Feſſaq; jam terris, cœli requieſcat in arce.

VIRO INSIGNI FRANCISCO PETRARCAE
LAUREATO, FRANCISCOLUS
DE BORSANO, MEDIOLANENSIS,
GENER, INDIVIDUA CONVERSATIONE,
AMORE, PROPINQVITATE, ET SUCCESSIONE, MEMORIA. MORITUR
ANNO DOMINI M CCC LXXIIII,
DIE XVIII IULII.

Supra tumbam vultus Petrarcæ extat, ex orichalco fuſus, cum inſcriptione:

Fr. Petr. Paul. Valdezuccus, Pat: poëmatum ejus admirator, æd. agrique poſſeſſor, hanc Eff. P. anno M D XLVII, idib. ſeptembr. Manfredino Comite Vicario.

Ibidem exteriori templi muro lapidi inciſum vidimus:

Danti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Danti Aldigerio, Franciſco Petrarcæ, & Ioanni Bocatio, viris ingenio eloquentiaq́ue clariſſimis, Italicę linguæ parentibus, ut, quorum corpora mors & fortuna ſejunxerat, nomina ſaltem ſimul collecta permanerent, Iohan. Brevius Canonicus Cenetenſis, hujus Baſilicæ Rector in ſui erga eos amoris obſervantiæq́ue teſtimonium poſuit. M D XXIIII.

In editiore ARQVATI parte ejuſdem adhuc ſuperſunt ædes ſatis lautæ. quarũ inferior contignatio habet picturas de triumphis amorum à Petrarca compoſitis; ſuperiora conclavia oſtendunt metamorphoſes Lauræ parietibus adpictas, à Petrarca deſcriptas. Marcus Antonius Gabriel, nobilis Patavinus, ædium inhabitator, muſæum, abacum, ſellam & lectum, in quo fatis conceſſit Petrarca, imò quidquid antiquitatum reſtat, reſervat: vidimus bibliothecam cum impolitis quibuſdam ſedilibus, cumq́ue murilegæ oſſibus, ita compactis, ut ſpirare videatur, cum his verſibus:

Etruſcus gemino vates exarſit amore;
Maximus ignis ego, Laura ſecundus erat.
Quid rides? divinæ illam ſi gratia formæ,
Me dignam eximio fecit amante fides.
Si numeros geniumq́; ſacris dedit illa libellis,
Cauſa ego ne ſævus muribus eſca forem.

Aliud de eodem epigramma:

Arce.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Arcebam ſacro vivens à limine mures,
Ne Domini exitio ſcripta diſerta darent.
Incutio trepidis eadem defuncta pavorem,
Et viget exanimi in corpore priſca fides.

Præter hæc, pluria ibi adhuc Petrarcæ ſunt monumina, ut in atrio publico *(la loggia publica)* ad picturam Petrarcæ ſtudentis & Lauræ aſtantis:

Carmine Laura tuo facta eſt divine Petrarca
Notior Eois, notior Heſperiis.
Porrò illa eximiæ perfecit munere formæ,
Vt caneres ſanctis carmina digna Deis.
Ne ceſſate bonos pulchrè redamare Poëtas,
Damna etenim occidui nominis hi reparāt.

Ibidem Fons Petrarcæ limpidiſſimus habet:

Fonti numen ineſt. hoſpes venerare liquorem
Vnde bibens cecinit digna Petrarca Deis.

Magno cum affectu hæc omnia vidimus, legimus, & enotavimus in Petrarcæ memoriam, cumq́ue lectore communicare voluimus, ut ſciret pleniorem Petrarcæ hiſtoriam. Loco illo, ubi ultimùm vixit & exſpiravit, non extat ullibi clementius cœlum, nuſquam ſuaviora vina creſcunt.

Sufficiant hæc in Petrarcæ & Lauræ mentionem; Pergamus ex hac Valle in itinere noſtro, quod campo amœniſſimo, viridi planitie ſpatioſiſſimâ, frumentorumq́ue fertiliſſimâ, fecimus 11 *milliar.* ad opidum *Caballionem,* (incolis *Cavaillon,*) divertētes ad hoſpitium *ſub ſigno urbis Pariſienſis;* in quo pernoctavimus.

Opidum ſitu gaudet amœno & ad fertilitatem oportuno, muris ſatis munitis. Regio, in qua ſitum, dicitur Provincia, nomen retinens

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ab antiquitate Romana, in Narbonenſi Gallia. Romani ſiquidem, expugnaturi Galliam, primum hunc locum in ea occupâre, nomine nudo provinciæ indito, κατ' ἐξοχὴν. Feſtus Grammat. vult eam dici à *pro* & *vicit*, quaſi priùs oportuit eam eſſe victam, quàm Romano Imperio addictam. Provincia hæc habet tres Dominos, Papam, Principem Arauſionenſem, & Regem Galliæ. Præter ſegetes abundantes, feraciſſima eſt nobiliſſimorum fructuum, non exquiſitâ culturâ heic provenientium, uti malorum citriorum, aurantiorum, cydoniorum, granatorum: campi naturâ luxuriant roſmarino, myrto, tamariſco, ſabinâ, lentiſco, terebintho, croco, oryza & vino generoſiſſimo: nec deſunt cappares, ficus, uvæ paſſæ; quæ tantâ abundantiâ heic creſcunt ut vix alibi in quodam Europæ, cui vel hæ etiam quâ potiſſimam partem ſufficere poſſint, angulo. cœlum maximè benignum in cauſa eſt. Aeſtas verò peregrinantibus multùm moleſta, præcipuè non aſſuetis Germanis, ſomnum etiam equo inſidentibus conciliare viſa eſt. Erat quidem vernum tempus & menſis aprilis, cùm tædium hoc aliqui noſtrûm experirentur; quid futurum cogitas ipſa æſtate?

Sequenti die 11 *mill.* progreſſi ſumus per frutices roſmarini ad rapidiſſimum & ſordidiſſimum fluvium *Durantium*; cujus origo eſt in montibus Genevenſibus; ubi duo fontes duo flumina dant; alter Turinum Dovere, Durantiam alter egerit; hæc, Delphinatum à Provincia diſcriminans, vehementiſſimo progreſſu uno Caballione milliari in Rhodanum ſe mergit.

git. Trajectus heic fit pontone, ſed periculoſo modo; Ad utramque fluminis ripam arborum trunci, inſtar haſtarum, terræ ſunt infixi transverſim, quibus funis incumbit ductarius, ripam utramque jungens. huic funi trochlea appenſa verſatilis, à qua funis alia minor dependens navigium trans Duranciam vehit. Naulum venit pro ſingulo vectore III ſolidi Francici, ſed non ſine multo litigio, quod cum portitoribus inſolentibus, plus juſto à peregrinis poſcentibus, habuimus. caveas itaque naulum ſolvas ante trajectum.

Superato flumine per odoriferas herbas & frutices perreximus, ad ſiniſtram relinquentes opida *Malamore* & *Ourgon*, in colle ſita, muris rupibusque firma, ſub dominio Guiſiano. Inde itinere montoſo & plano inter roſmarinum, thymum, &c. delati ſumus III *milliar.* ad opidulum *Lambec*, Duci parens Guiſiano. commodè heic prandebamus & lautè *au chapeau rouge;* nuptiis enim diverſorium occupabatur, menſæ eduliis lautis ornatæ ſtabant. non nidore ſed hoſpitis humanitate attrahebamur, participes facti ciborum & vini generoſiſſimi, omniumque æquiſſimo pretio. Opido egreſſi, ſumto nuptiali prandio, II *milliar.* perreximus ad aliud, dictum *Cinquerat du roy;* quod ruinas oſtendit bellorum civilium. Iſthinc elegantiſſimâ valle, amœniſſimâ & fructuoſiſſimâ terrâ, proſpectu eminùs jucundiſſimo, mari etiam de colle primitùs conſpecto, deſcenditur *ſeſquimill.* in urbem *Aquas Sextias.* heic moroſo cum hoſpite, duriter operas ſuas tractante, viximus unam noctem *à la ville de Paris.*

AQVÆ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

AQVÆ SEXTIÆ. *Aix.*

PRovincia licet gaudeat pluribus civitatibus, tamen hæc dignitate, licet non antiquitate, reliquas ſuperat. *Aquæ Sextiæ Salyum* dicitur urbs; eſtque Galliæ Narbonenſis; eam Cajus Sextius, dux & conſul Romanus, redactis in poteſtatem Salyis, ædificaſſe dicitur Straboni, thermarum causâ, cùm hîc cum exercitu ſuo hybernaret, anno ante natum Chriſtum c x x. Plutarchus in vita C. Marii habet *Sextilia*. In theatro Goltzii ex antiqua deſcriptione dicitur *Colonia Iulia Aquæ*. In Scaligeri Auſonio vetus inſcriptio eſt: *Colonia Iulia Auguſta Aquæ Sextiæ.*

SITUS urbis eſt in planitie amœniſſimâ, amplâ, & fertiliſſimâ, quam montium non longè diſſitorum juga cingunt. Agro famam faciunt hiſtorici. *Ad Sextias Aquas à Caio Mario Ambronum & Teutonum ad decem myriades, id eſt, ſupra* c *millia hoſtium, aut cæſa aut capta dicuntur.* Livius, *ducenta millia cæſa, & nonaginta capta, auctor eſt, & in his Theutobochum eorum regem, hominem eximiâ magnitudine, & qui quaternos ſenosq́ equos ſolitus erat tranſcendere. Maſſilienſes, quod ad magnitudinem cædis attinet, procedente tempore, humanorum oſſium congerie vineas muniviſſe dicuntur, terraq́, dilutis crebro imbrium caſu cadaveribus, humano cruore & adipe macerata, in ubertatem & frugum copiam incredibilem reſoluta eſt. Supra ſexaginta millia, bis totidem & amplius cæſa, nec multò poſt propè Vercellas Cimbri à Mario & Catulo victi.* Sabellicus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Plateæ & *urbis vici* eleganti ordine, ſtructurâ amplâ & ſpatioſâ, nec non munditie, nitent. Aedificia ſuperba & magnifica, palatiorum inſtar, conſpiciuntur.

Si *ſacra* cogitas, templum *S. Salvatoris* primum eſt, anticâ facie Viennenſi Petrino & Avenionenſi non abſimile. In eo duo viſenda; *cenotaphium* & *baptiſterium*. illud VIII columnis, immenſi pretii, lapideis, (ſunt qui volunt, Baali olim ſuper illas fuiſſe immolatum,) circumdatum eſt: ipſum è marmore ſplendidum, ſepultum habet Carolum Comitem Andegavenſem; regem Siciliæ & Neapolis; Comitem item Provinciæ, fratrem Ludovici XII Gall. R. cui hæc diſticha adſcripta:

Lilia Francorum, cœleſtia munera Regum,
Relliquias veteris Andegavaq́ domus,
Occulit iſte lapis, cælataq́ marmora claudunt.
Obruta ſic fatis Regia ſceptra jacent.
Hieruſalem & Siculos & (ſi per fata liceret)
Arragones poterat noſtra tenere manus.
Sed fortuna, diu noſtros ne ferret honores,
Accelerat mortis tempora dicta mihi.
Qui legis hoc triſti conſcriptũ marmore nomẽ,
Dic, Tibi ſit requies, Carole, paxq́ tibi.

Templum & *Commendataria D. Iohannis*, Ordinis Melitenſis, non exiguæ eſt ſtructuræ. Apud *Carmelitas* ſacellum & ſepultura Renati regis Siciliæ eſt; in quo tabula altaris magno in æſtimio & fabricâ ponitur.

Politicis uſibus deſtinatum eſt *palatium regium*, à Franciſco I cœptum, illuſtratum ad perpetuitatem præſide eloquentiſſimo (qui Petro Matthæo *l'Aigle de l'eloquence de France*

 dicitur)

dicitur) *Monſ. du Vair*. Inferior hujus ædificii ſtructura tabernas habet & cameras mercatoribus elocatas: Superior conclavia diverſa, in quibus juſtitia adminiſtratur. Centrum & fons quaſi videtur eſſe Provinciæ, è quo circumjacentes omnes veniunt haurire quod deſiderant. Præter Cancellariam habet Cameram Rationum, in qua Provinciæ examinantur rationes regiæ. Inter omnia conclavia videatur Camera Comitum, throni inſtar glorioſi, picturis exornatiſſima, auroque coruſcans. Omnibus verò, diverſis tamen in functionibus, IV Præſides præfecti ſunt; quos ſi in loco hoc videre vel audire voles, calcaria deme ocreis, ne in pœnam curiæ incurras; togæ ſiquidem formidant ſonantia iſta & ſuccincta equeſtria, pannisque inimica pretioſis. Circumfertur verſus notabilis vulgari linguâ, quem defendant incolæ, à quibus habeo;

La Cour de Parlement, le myſtral, & la Durance,
Ces trois ſont la ruine de Provence.

Senatus hujus regii ut auctoritatem videas etiam in clerum, imò in archiepiſcopum, exemplum dabo, quod Thuanus libro C XXV I his verbis ſignat: *Ioannes Imbertus, ſacerdos Arelati, puerum ſexennem raptu & ſtupro contaminaverat. quâ de re cùm quereretur, Officialis archiepiſcopi urbis ſententiâ ſuâ decreverat, ut partes coram ſe ſiſterentur. à qua cùm parens pueri appellaſſet ab abuſu, Senatus malè & abuſivè ab eo decretum pronuntiavit, tantiq; criminis cognitionem ad regium judicem pertinere declaravit. id actum* XI *kal. april. Secundũ hæc reus* cri-

criminis convictus & ad mortē à Senatu damnatus eſt. Antequam ad ſupplicium duceretur, interpellatur Paulus Huraltus Hoſpitalius archiepiſcopus, ut ſacerdotem deteſtandi criminis reum peractum exautoraret. ſemel atq; iterum à cognitore regio rogatus cùm recuſaſſet, reus ad ſupplicium ductus eſt, v eid. april. id inferias Paſchaleis eo anno incidebat. Quarto pòſt die archiepiſcopus ſacrum urbis ordinem cogit; & regios judices, qui in Imberti cauſſa ſederant, cenſuræ eccleſiaſticæ pœnas incurriſſe pronuntiat; ac proinde diœceſanos monet, ne quem illorum ad pœnitentiæ aut aliorum ſacramentorum participationem admittant; breviculum etiam iis datum, quo judicum nomina edebantur. Re cognitâ Senatus pro gravitate facti ultra modum commotus eſt; & regius cognitor fuiſſe tempus dicit, cùm Pontifices in reges & eorum magiſtratus ſpiritualem gladium ſtrinxerint, quibus ſe ſemper regni proceres & ordines generosè oppoſuerint; nuſquam viſum, ut epiſcopus, qui regi ſubditus eſt, & fidei ſacramento regi obligatur, in eum aut magiſtratus publico munere fungentes idem juris ſibi ſumpſerit. pernicioſi rem exempli & quæ ad auctoritatem regis & publicam tranquillitatem labefactandam ſpectet, minimè negligi debere. Itaque citatus archiepiſcopus ſemel atque iterum, cùm non compareret; eremodicium contractum pronuntiatur; etiam libellus, quo primarius præſes & præcipui judices, & triumviri regii, tanquam ſuſpecti, ab eo rejiciebantur, à Curia tanquam calumnioſus exploſus eſt. Ipſe, quem ſerò erroris pœniteret, de injuria expoſtulare; libertati eccleſiaſticæ vim afferri, clamitare; deniq; omnia

 facere,

facere, ut, quod temeritate peccaverat, obfirmato animo tueretur. Tandem ſenatusconſultum factum, quo archiepiſcopi cenſura tanquam abuſiva reſcindebatur: & ipſe jubebatur, coram iiſdem ſacerdotibus, quibus eam fecerat, revocare, & ea de re inſtrumentum intra triduum apud acta Curiæ deponere; ni faceret, X aureorum CIↃ *multam contraxiſſe declaratur; ſanctione adjunctâ, quâ quicquam tale deinceps admittere vetabatur, alioqui in ſacri ipſius patrimonii poſſeſſionem rex mitteretur. Miſſi interim à Senatu (ſic enim decretum erat) Gulielmus Aemarus & Claudius Arnoldus, Senatores, qui archiepiſcopum erroris admonerent, &, cenſuram ut coram iiſdem, quibus facta erat, revocaret, inſtarent. alioqui Senatum ſeveritate in re tali uſurpari ſolita uſurum. Cùm ille tergiverſaretur, & Avenionem, ut ea revocaretur, miſiſſe diceret; eâ re magis exaſperatus Senatus, quòd ad exteros, quod intra parietes tegi oportuit, culpâ ejus emanaſſet; denuò inſtare, ut ſine conditione excommunicationem revocaret. Initio cùm exitum rei non videret, verbo declaravit, ſe cenſuram revocare; proteſtatione adjunctâ, quâ de Senatus decreto, ut nullo & injurioſo, conteſtabatur. Cùm ne ſic ſatisfieret Senatui, & cognitor regius decreti contra eum lati executionem urgeret, tandem extremâ neceſſitate victus, archiepiſcopus manus dedit,* VIII *eid. majas, inſtrumento manu ſuâ ſubſcripto apud acta Curiæ depoſito; quo ſine conditione excommunicatio abrogabatur; & ſacerdotibus mandatur, ut breviculo ab ſe iis tradito comprehenſi ad eccleſiæ ſacramenta ab ipſis admittantur.*

tur. Quo facto & populi offenſio & tumultus ex hac occaſione per totam Provinciam exortus conquievit.

Sufficiant hæc de Parlamento. THERMAS, quæ urbi nomen fecerunt, offendes, non procul à pomœriis in ædibus privatis, tepidas magis quàm calidas, mixtas è ſulphure & alumine. locus ſubobſcurus eſt ubi aquæ ſcaturiunt. Quod Romanam ſtruat magnificentiam, heic nihil eſt præter naturalis fontis reliquias. Alio item urbis loco ſcaturiens fons eſt aquæ calidiſſimæ; iſque, digreſſus paululùm à ſua origine, mox frigidæ, uſibus publicis inhabitantium inſerviens, vimque purgandi habens.

Publicis his expeditis, privatæ ſuperſunt ædes, nimirum *Guiſianæ*, à republ. proregi oblatæ: & *Berieræ*, antiquitatum theſaurum in iconibus, ſtatuis, numiſmatis & aliis habentes. His addo in defuncti cujuſdam Præſidis ædibus antiquam inſcriptionem in lapide, pro memoria Nemauſenſis baſilicæ:

Plotina. Trajani. uxor. ſumma. honeſtate. integritate. fulgens. ſterilitatis. defectu. ſine. prole. fecit. conjugem. qui. ejus. opera. Hadrianum. adoptavit, in. imperio. ſucceſſorem. habuit. a. quo. in. beneficiis. memoria. Nemauſi. æde. ſacra. maximo. ſumptu. ſublimique. ſtructura. ac. hymnorum. cantu. decorata. poſt. mortem. donata. eſt.

Ita urbs in pace habet: In bello longè alia facies ei; quod Eſpernonius molitus, ſed fruſtrà: Incolæ tibi locum monſtrabunt caſtrorum; ego verò ipſum factum & hiſtoriam obſidionis è *Thuano*, lib. c VIII, & *Botereo*, lib. III commentarior., dabo. Ita hic: *Eſpernonius Aquas-Sextias, indigenarum tacitis conſiliis & artibus, recipere moliebatur: ſed re detectâ proditores capite plectuntur. Vt dolos ex voto non cecidiſſe videt Eſpernonius, jam non arte, ſed marte, urbem premendam putat, obſidione cingit; dumq; diuturniùs protrahitur, ut fame & rerum inediâ ad deditionem cogat, arcem ad portam munitiſſimam tumultuario opere ædificat. Aquenſes non ferentes tam vicinam ſervitutem, ab opere foſſores & artifices eruptionibus, machinis ſclopisq; prohibent, memorabili ejaculatione, quâ, in carbaſcis tentoriis Eſpernonio aſſidente, ſex ex delectu ſuorum nobilium toto corpore disrrupti necantur, illo ſalvo & illæſo. vultum & veſtes tantùm fœdatus eliſi cerebri minutiis, ſanguine & fragmentis cadaverum, pro exanimi creditus eſt Eſpernonius, ut re verâ non longè à morte abſuit, quæ inter eam ſtragem aſſidentium uni vi arcanâ numinis pepercit; tam certo rumore, ut, re ad conjugem perlatâ, acerbitate doloris expiraverit; qui tam altè pectori ſemel conceptus inſedit, ut nullo alio prior falſus nec privata ſcriptione mariti eradi potuerit. Aquenſes implacabiliter averſati imperium Eſpernonii, ut vicinâ arce ſe liberarent, Deſdiguerium in auxilium vocant. Adeſt ille; & dicto ocius minax urbi & libertati propugnaculum evertitur. Eſpernonius, nihil fractus de-*

jectione

jectione arcis, novas anguſtias & molimina parat Aquenſibus; qui illius in caput jurant, latenti exitio, & propter inſolentiam facinoris memorabili. Brugnolii agebat Eſpernonius. molitor quidam, inſidiarum neſcius, mulo ſarcinario pro trito farre ingentem ſaccum, pulvere catapultario plenum, in hoſpitium devehit, reponitq́; cœnaculo quod ſubjacebat cameræ Eſpernonii. ille ratus eſſe triticum, ut de more panifici modio metiretur; dum reſolvit funes, quæ latebat machina ferrea, tritura ſilicis, ſcintillas excitat in pulverem; qui concepto igne tantâ vi, fragore, & ſtrepitu intonuit, ſæviitq́;, ut dirutæ ædes funditùs, ac convulſum ſit tabulatum, uno Eſpernonio incolumi redacto in angulum qui ex chaſmate ſuperfuit. Vt autem Provinciâ cederet, ſineretq́; Guiſium vicarium regis agere, per Freſneium à ſacris juſsionibus amanuenſem monetur. ægrè morem gerit; quòd fraternâ virtute ſuiq́; armis victas urbes, domitamq́; gentem, Guiſio recens miſſo dedi non æquum ſit; eas eſſe belli leges, ut victori manubiæ exuviæq́; victorum maneant; ſi auferantur, ingratam eſſe militiam; quam deinceps fortiſsimi meritò detrectarint, quibus vulnera & ſtigmata maneant in trunco corpore, trophæa & res partæ ſint apud tirones & novellos: parœmiam Gallicam hinc opportunè ſumi; Non gaudere fructu aucupii, qui aves dumetis excutiunt, quique feras agunt in retia, ſed qui otioſus aucupii & venationis prædam aufert. *Guiſius verò nec indiligens, nec inermis & imparatus, præfecturam adiit, tantò cautior in præſidiis, quod ibi gentium omnia diſsitis animis factionibusq́; turbari audie-*

bat, &c. Ita obſidione ſolutâ urbs regi reſtitura eſt.

Abivimus *Aquis Maſsiliam*, viâ lapidosâ, à pluvia multùm lutosâ & anguſtâ. in parte ſurgunt montes, viâ, quæ ad ûrbem ducit, proximâ diſcriminati. omni ex parte horti, numero cIↃ IↃ ccc, ædibus decorati conſpiciuntur, muroque longo ultrò citroque ſepti, luxuriantes oleis, amygdalis, ficubus, malis aurantiis & citriis, vitibus item ad maris uſque ſinum, v ferè milliar.

Ad urbem ubi ventum, excubiæ ad portam nos morabantur ſine cauſa, &, quod moleſtum, tandem non ſine pluvia admittebamur, divertentes ad nobile illud hoſpitium *au faucon royal*.

MASSILIA.

URbis *nomen* quidam derivant à *Mars* & *ville:* quò alludunt Poëtæ verſus: *Antiquit. Franc. p.* 862:

En faveur de ce jour nous baſtirons un mur
Contre le pied marin de l'importun murmur
Du ſein Mediterrain: ce ſera une ville
Aux Meridionaux & commode & fertille:
Tout y abordera, ce lieu ſera, dit Mars,
Pour marque de ce jour à nos François ſoldats.
Là depuis on a fait une ville impareille
Qu'on a depuis nommé la cité de Marſeille,
Comme diſant, de Marc celle ville a le nom.

Primi ejus ſtructores dicuntur Medi, ab Aſtyage tyranno natali ſolo expulſi; inſtauratores verò Phocenſes, regnum Rom. obtinente Tarquinio priſco. *Agell. lib.* x, *c.* xvi. Occaſionem

ſionem condendæ hujus urbis deſcribit Iuſtinus lib. XLIII: *Temporibus Tarquinii regis ex Aſia Phocenſium juventus oſtio Tyberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit: inde in ultimos Galliæ ſinus navibus profecta, Maſſiliam inter Ligures & feras gentes Gallorum condidit, magnasq́; res, ſive dum laceſſunt à quibus fuerant ultro laceſsiti, geſſerunt. Namque Phocenſes ex ignavitate ac macie terræ coacti ſtudioſiùs mare quàm terras exercuerunt; piſcando, mercando, plerunque etiam latrocinio maris, (quod illis temporibus gloria habebatur,) vitam tolerabant. Itaque in ultimam Oceani oram procedere auſi, in ſinum Gallicum oſtio Rhodani amnis devenêre. Cujus loci amœnitate capti, reverſi domum, referentes quæ viderant, plures ſolicitavêre. Duces claſſi Furius & Peranus fuêre. Itaque ad regem Segoriorum, Senanum nomine, in cujus finibus urbem condere geſtiebant, amicitiam petentes, conveniunt. Fortè eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat: quam more gentis electo inter epulas genero nuptum tradere illi parabat. Itaque cùm ad nuptias invitati omnes proceſſiſſent, rogantur & Græci hoſpites ad convivium. Introducta deinde virgo cùm juberetur à patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret; tunc omiſſis omnibus, ad Græcos converſa, aquam Perano porrigit: qui factus ex hoſpite gener, locum condendæ urbis à ſocero accepit. Condita igitur Maſſilia eſt prope oſtia Rhodani amnis, in remoto ſinu veluti in angulo maris.*

Sita urbs eſt loco cultiſſimo ad *mare mediterraneum*: quod intra duos ſaxoſos montes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ngreditur, *portumq́;* ovali figurâ format. Mercibus verò uti portus hic invehendis è diverſis mundi plagis & rurſus avehendis valdè commodus eſt; ita non minus periculoſus ob Turcarum & piratarum in vicino mari crebras excurſiones. Igitur ut ſit in tuto, catenis ferreis eſt clauſus, munitusq́ue caſtello, quod dicitur *le fort de noſtre Dame de la garde.* Quod de portu notes, ſunt triremes & numeroſa ſtatio navium.

Non longè abeſt templum *D. Iohannis;* ſecundum quod collis adſcenditur, è quo mare circumcirca ſpectari poteſt, & tantùm non Africanum cœlum.

Nobis jucundum erat caſtella tria in marinis inſulis ædificata luſtrare. Navigium ſuum concedebant Domini *Solighofferi;* benevolè à quibus & lautè ſumus excepti, dum heic commoraremur. Primum, *cui nomen d'If,* merum ſaxum eſt & ſcopulus, cui munitio, ex arte inciſa, caſtellum claudit. ſubtus cuniculorum ſunt latibula, quæ canibus venaticis Præfecti excuti ſolent. Vna porta, unusq́ue pons ſublicius, aditum dant. Intus duæ ſunt apothecæ ſive armamentaria pro penu & milite. altior turricula ferrum protenſum, cui vexillum, ubi naves adventant, ſuſpenditur, oſtendit. duo ſunt fontes dulcis aquæ; ad ſuperiorem vinum cum pane oblatum eſt. Præfecto nomen erat Pelio, ſub quo præſidium LX milit. erat; ſtipendia menſtrua ſingulis IV floreni ſolvebantur, cum pane & vino ſufficienti in quemque diem. Majora tormenta XXIV à nobis numerata. Quod de hoc caſtello eſt notandum, aſy-

aſylum eſt, ad quod alterum in urbe occídens ſi fugit, liber eſt ab apprehenſione judicis urbani. Reliqua *duo caſtella, Sancti Iohannis & Ronneau*, longùs ab urbe in mari protenſa hinc ſatis conſpici poſſunt, ita ut eò navigio ire inſuper habere poſſis, cùm nec ita præſidio ſint firmata numeroſo.

Præter hæc caſtella, urbs turribus, mœnibus ac propugnaculis, nec non portis munita eſt. Illa, quæ regalis dicitur, liberatoris patriæ Libertæ hoc poſitum habet elogium:

Hic cecidit juſtis Libertæ *Caſalus armis.*
Redditur urbs Regi, libertas redditur urbi.

Plateæ anguſtæ ſunt & ſordidæ potiores; palatia tamen ſpatioſa iis inædificata prævalent, & ornamento ſunt.

Aedificia ſacra duo videbimus, *S. Lazari, & Victoris. Illud* eſt cathedrale, dictum *la majeur;* in quo caput Lazari aſſervari dicunt, à Salvatore ſuſcitati. Hic exul cum Maria & Martha ſororibus factus, huc veniſſe, & primi epiſcopi munus obiiſſe fertur. *Hoc* ultra portum eſt duplicis ædificii. *Superius* habet columnam, cui *labrum lapideum* inſiſtit, quod lotioni pedum deſtinatum fuit à Servatore diſcipulis exhibitæ. Periſtylia habent *puteum*, & *columnam* lapideam; de coquo perſonato ſacrificulus tibi narrabit, in eo ſuffocato. *Inferius* habet *ſacellum Mariæ Magdalenæ*, pœnitentiâ ſeptennali clarum: Crucem item apoſtoli Andreæ, & alias reliquias.

Academia olim celebris hic fuit; ſtudia ſiquidem ingenuarum doctrinarum adeò Maſſiliæ floruerunt, ut Romani pro Attica peregrinatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

natione Maſſilioticum peterent gymnaſium ad diſciplinas capeſſendas. Inde boni mores exière, quos *Plautus in Caſina* probat:

Vbi tu es qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?

Hodiè verò nullæ ibi ſunt Muſæ, ſed domicilia Mercurio ſua reliquerunt inhabitanda, qui ſtrenuè etiam ea exercet.

Aedibus politicis famam & nomen faciunt *Guiſianæ*, reginæ exceptrices. (hiſtoria plenè apud P. Matthæum videatur.) ſed & nos ibi, interpretibus *Solighofferis*, benè excepti, hortenſique donario aucti fuimus.

FORMALE reipubl. nunc videamus. Ariſtocratiæ olim heic erat locus. Populus gubernatur à IↃC Senatoribus, quos Timuchos appellabant. ex iis XV erant viri principes, & III præſides, autoritate & opibus præ cæteris pollentes. ſi liberis carebant, carebant etiam officio Senatorio. Legem ſtrictè ſervabant, ne minorennes intereſſent ſpectaculis publicis, ut juventus moribus incorrupta maneret. hinc mimis præcludebatur aditus ad ſcenam, ne geſticulationum imitatione ſeduceretur populus. quod Ciceroni fuit pro argumento in orat. pro Flacco, ut putarit, hujus civitatis diſciplinam gravitatemque non ſolùm Græciæ ſed cunctis gentibus anteponendam. omnibus ſiquidem, qui per aliquam religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærerent, portas clauſas habebant, mendacem & fucoſam ſuperſtitionem ſubmovendam è republica exiſtimantes. Hodiè rex Galliæ, ſummus uti magiſtratus, præfectum ſui loco habet DUCEM GUISIUM, à quo

à quo conſulum & ſenatorum ordo dependet. Olim *gladius* juſtitiæ ibi ſervabatur, rubigine ita exeſus ut noxiis jugulandis vix ſufficere potuerit; ſervabatur ille, inquam, à condita urbe, & uſurpabatur, quòd putabant, etiam in minimis omnia antiquæ conſuetudinis monumenta eſſe ſervanda. rex tamen mutavit illa antiqua, &, ſublato ethniciſmo, Chiſtianiſmum introduxit, conſtitutâ novâ Camerâ, cui Iuſtitiæ titulus eſt.

Civium ordo ſplendet à mercatura & opificiis. illa ob loci ſitum & commoditatem exteros advocat ex Oriente, ut diteſcant. iſta occupata ſunt in corallinis globis, in cochlearibus & marſupiis è concharum domiciliis conficiundis. æquo pretio rara illa addicuntur, nec in reliqua Gallia invenienda.

Ex his urbs habet famam & decus; *damnum* verò & dedecus experta eſt à diverſis hoſtibus, nimirum Viſigothis, Burgundionibus, Provinciæ Comitibus, & Alphonſo Arragonum rege; inprimis verò à duobus proditoribus, quos *Meteran. & Thuanus libro* CXVI fusè deformat: illos ſic *Botereus lib.* 3, *p.* 239, ad ann. CIↃIↃXCVI: *Maſſilia Francici regni clauſtrum eſt maritimum, quæ Italiam, Siciliam, Mauritaniam reſpicit, ab omni ævo populoſa & pugnax tenaxq; libertatis ſuæ, adeò ut Iulius, domitor noſtrarum gentium, cum Maſſilienſibus de ſumma fortuna Romani nominis ancipiti exitu certaverit. At oſtento ſimile erit poſteris, audire, Maſſiliam pugnacem, invictam, neſciamq; cedere Iulio Cæſari, duobus gregariis, fungorum more, & inſtar Cadmeorum militum ex gleba*

repentè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

repentè exortis, ceſsiſſe, hi ſunt, nequitia magis quàm alio nomine memorabiles, Ludovicus Aquenſis Vicarius urbis, vulgo Viguier, *& Carolus Caſallus primus Aedilis. Duum-viri illi, conſortes dominationis, in quinquennium prorogatâ ſibi dictaturâ, tantum ſibi perditorum hominum, clientum, ambactorum, virium & opum, ex tyrannide & latrociniis acciverant, ut divulſam ab imperio Gallico Maßiliam pluris licitanti addicere cogitarent. Intus & foris duo illi Catilinæ imperabant, turres ſeu propugnacula ſancti Iohannis, Virginis quæ de cuſtodia dicitur, & ſuburbanum divi Victoris occupabant; in acta & litore novam arcem, non modò ad recipiendas depellendasq́; triremes & naves conſtruxerant, ſed quæ editiori loco poſita urbi declivi imperaret. Stabant ſemper ad motum & omnem auram expeditæ illis in litore duæ triremes, in quas æmulos adverſantesq́; ſibi ad ſubitum tumultum, ad vincula & compedes remigum deducturos minabantur, quibus illi, ſi quando rebus deſperatis urgerentur, pelago ſe committerent. Præibant in publicum progredientibus quinquaginta catapultarii, mercede conducti, minaces in vulgus, lychno ardenti; ſubſequebantur equeſtres turmæ domeſticum & quotidianum ſatellitium utriusque nebulonis, qui vitio temporum tanta auſi ſunt. At diffidentes rebus ſuis, patriam gentilitiamq́; urbem Hiſpano venalem habuerant, accito in portum Carolo Doriâ, Genuenſi maris Liguſtici archithalaſſo, cum VII triremibus, Italo & Hiſpano milite, remigibus omniq́; apparatu bellico egregiè munitis. Maſsilia, cùm tribus partibus mari alluatur, toti illi tractui Doria foris impe-*

imperitabat, intus duo illi cum affinibus & ſatellitio tam metuendo, ut contra hiſcere nulli impunè eſſet: Guiſius, (quod olim Cæſar de ipſa Maſſilia prævidit,) quæ longam & difficilem haberet oppugnationem, loci naturâ & altiſsimâ valle munita, ab ea non eſſe incipiendum ratus, proxima opida, Graſſam, Draguignanum, Hieram, Sanctum Eutropium, dedentibus ſe non anxiè opidanis, occupat; exinde Gardiam opidum, quod validiſsimo præſidio Eſpernonii tenebatur, obſidione cingit. Dum ibi caſtra habet, urgetq́; opus, monetur, eſſe centurionem urbanum Maſſiliæ, cui portæ regalis ceſſerat cuſtodia, nomine Libertam, *qui de libertate urbi reſtituendâ, exigendisq́; tyrannis, cum conſciis aliquot gentilibus amicisq́; tacitè iniiſſet conſilium, portâ illâ, quos quantosq́; velit Guiſius, admiſſurum. Audit ille percupidè, ſed ancipiti animo nutat, veritus, quod plerumque fit, ad ſe ſuosq́; intercipiendos militarem eſſe aſtum. Dum ita hæret dubius, fit certior à Bernardo, qui, pro fœderatis olim acerrimus, juridici ſupremum munus obibat, quiq́; depoſito veterno cum rege tacita conſilia inibat, nullis pollicitationibus præmiorumq́; incredibili magnitudine Tribunitios illos Cethegos ad ſanitatem reduci potuiſſe; exuiſſe penitus mentem Gallicam; abdicaſſe patriam, agnatos & gentiles; qui lenibus pharmacis curari nolint, ferro & igne eſſe tollendos:* Libertæ *molimina ſine fraude; hominem eſſe à quo uno nominis omen & memorabile facinus exſpectari poſsit; ſi foris oportunè juvetur, Maſſiliam tyrannide liberaturum.* Guiſius *ut rem ſeriò & ſine noxa tractari videt, hinc inde fide*

datâ

datâ urbi recipiendæ, diem XIII *kal. mart. præſtituit, egreſſusq́; caſtris Gardiæ, Maſſiliam ex improviſo appetit.* Caſalus *&* Aquenſis *tanto ſecuriùs liberiusq́; ab omni metu agebant, quòd non niſi expugnatâ Gardiâ Principem excelſi animi caſtris diſceſſurum crederent; ſed ille, quod ajunt, muſcam reliquit, ut aquilam aucuparetur, muſculum, ut ingentem cetum expiſcaretur.* XVI *febr. Albibagno ſerotinus & inexpectatus adeſt; nocte, quæ nimboſa & auſtris perflantibus ſonora fuit, quantumvis repugnante cælo, tenebrisq́; iter invidentibus, equeſtres turmas propius Maſſiliæ ſuccedere jubet.* Liberta, *dubius, ne tempeſtate noctis Guiſius ſerior, nec oportunè, &, ut pactum erat, ſub crepuſculum, cùm portæ recluduntur, adeſſet, ſpeculatorem emittit ad explorandum; qui cùm in vigilias & ſtativa Guiſii incidiſſet, re omni perſpectâ regreditur, jubetq́;* Libertam *bono eſſe animo, quod ſui auxiliatores in proximo eſſent.* Aquenſis *&* Caſalus *de more habebant, ortâ luce, portâ regali extra pomerium egredi.* Libertæ *erat animus, egreſsis portam occludere, ut illi foris ejecti, à Guiſianis non longè excubantibus mactarentur; duobus illis ſublatis urbis recuperationem non multùm arduam fore. Ex conſuetudine prior ſe dat foras* Aquenſis; *quem Franciſcanus fortè ex ſuburbano cœnobio urbem adveniens admonet, ad tertium ab urbe lapidem nonnullos eſſe equites, quos hoſtes ſuſpicaretur. dicto ocius* Aquenſis *illuc fervidus ad exitium cum viginti ſclopetariis præceps feſtinat. è veſtigio* Liberta *ſublicium pontem erigit. Vt ſe* Aquenſis *foras ejectum videt, & in eum Guiſianos laxis habenis effundi;*

ad

ad ſuos, qui in pinnis ſpeculiſq; murorum ſtabant, ſe proditum inclamat, jubetq; ut glandibus hoſtem inſequentem depellant. nec mora; tantâ grandine impetunt, ut Aquenſis *cum ſuis ad eam partem urbis, quæ mari alluitur, dilapſus, ſcaphâ in urbem redierit. Guiſiani, præcluſâ illâ portâ, quâ aditum à* Liberta *ſibi ſpondebant, quod antè veriti erant, meram eſſe fallaciam, & ad ſuum exitium paratas inſidias, credunt.* Libertę *tamen alia mens; qui, ejecto foràs* Aquenſi, Caſalum *ſtricto mucrone medium trajicit, hac voce morituro inſultans:* Sceleſtiſſime proditor, patriam urbemque Hiſpano auctionanti tradere molitus es; ſed te occiſo infectum ſcelus efficiam. Caſalus *vaginâ enſem diripit; ſed* Libertâ *geminato vulnere, Bartholomæo fratre longâ cuſpide rurſus medium fodiente,* Caſalus *mortuus ſternitur. Ex ſatellitio omnibus dilapſis quatuor fidentiores ſclopetarii diſploſis catapultis* Libertam *opprimere, & anteſignanum ulciſci conantur. uſtulatus thorax* Libertæ *ab igneſcenti pulvere, glandibus in auras innoxiè dilabentibus. ille cum agnatis gentilitiiſq; omnes fugat, & viciniam omnem in partes regias pellicit, emittitq; poſtico qui Guiſium de felicibus initiis admoneat.* Aquenſis *in urbem regreſſus, gentiles ambactos ſuoſq; ſtipatores cogit. Fabius Caſalus interempti filius dat ſe ſocium. Omnes illi in* Libertam *ſuoſq; irrumpunt, ut portâ deturbarent; ſed, jam recluſâ Guiſianis ſuccedentibus, numero & viribus impares loco cedunt. Aquenſis & Fabius, ut res ſuas in ſummam deſperationem adductas vident, egreſſi urbe ad triremes fugiunt, ut ſuburbanis propugnaculis proſpicerent.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſpicerent. Invaleſcente Guiſianorum numero, totâ urbe inclamatur, VIVAT REX. *Princeps d'Auria rei novitate perculſus, ut regio milite fultam firmatamq; urbem, Guiſiumq; ad navalia ingenti agmine armatorum progredi audit; tumultuariò vix commilitonibus ad triremes convocatis anchoras ſolvi, rudentes ſecari, remis altum peti jubet vix fugienti ſatis latum pelagus; adeò turbatis animis convaſavit. ex Hiſpanis plurimi, qui diſpalati & ſparſi, propter ſubitum & inopinum digreſſum triremium, cùm ſalo ſalutem quærere ſibi haud potuerint, ſolo intercepti mactantur; armamenta, caſtrenſes exuviæ, & ditiſſima ſpolia Hiſpanorum, in prædam venêre; Aquenſis & Caſali domus expilata; ſuarum triremium remiges ruptis compedibus & catenis ſeſe in libertatem vendicant. Propugnaculum, quod velut frenum populo coercendo urbiq; privato imperio opprimendæ poſuerant, à plebe vel ipſo die dominico funditus evertitur: ſic ira nec moras nec ferias, ubi juſta eſt, admittit; evellendæ enim tyrannidi omnis oportuna dies digna faſtis & kalendario. Habita ſolemnis & publica ſupplicatio, quâ numini pro recepta urbe gratiæ referantur. Aquenſis rebus deploratis in ſuburbanum D. Victoris, Fabius in divæ virginis propugnaculum, quod de cuſtodia dicitur, profugerant: ſed conſcientiâ ſcelerum, Guiſii rebus ſecundis, Hiſpanorum fugâ, tam adverſâ rerum commutatione, territi, pelago ſe credunt, mitius rati naufragium quàm crucem vel acerbius ſupplicium; Genuamq; ſe recipiunt. Guiſius tantâ celeritate & felicitate omnia iſta confecit, ut de ſe meritò Cæſareum illud fari potuerit.*

VENI,

VENI, VIDI, VICI. *Gloria & felicitati acceſſit, ut, paullo poſt bis inito prælio cum Eſpernonianis, victor extiterit, & exhinc longè lateq; campis patentibus ſine æmulo dominaretur, &c. Rupelaureus ex aulicis primoribus tandem mittitur; quo monitore Eſpernonius Provinciâ ceſſit, & Guiſio in poſterum pacatè & ſine æmulo regendam reliquit.*

Ita viximus Maſſiliæ cum amicis; quibus non ſufficiebat ut nos ædibus ſuis lautè exciperent in urbe; verùm intimioris adfectûs teſtandi ergò in ſuburbana invitare; ubi Gratię *Straſſianæ* pleno apparatu nobis oſtenſæ: ultimùm, abitum oſtreæ marinæ & vinum Hiſpanicum coronare apud Dnn. *Solighofferos.*

Ita dimiſſi per portam Francicam ſiniſtrorsùm offendimus aquæductuum rudera, genere modoque ædificandi adhuc conſpicua. iſti verò aquæductus ad propugnaculum, quod dicitur magnum, extenduntur inter Francicam & Aquenſem portam.

Iter hinc III *milliarium* habuimus clivoſum & ſaxoſum ad opid. *Eſpere:* ubi ad dextram arx antiqua conſulis Maſſilienſis. Porrò planities longa lataque eſt, quæ viam per *milliare* ferè oſtendit juxta *lacum Marignanum.* hic nomen habet ab arce & pago *Marignanâ*, cis pagum ſitâ Baronis *de Cauvet;* alioquin lacus magnus eſt, Lemano non abſimilis, diciturque *l'eſtang de Berre*, ab opido adſito. Pergitur hinc III *milliar.* ſolo herbarum, minùs frumentorum fertili, ad opid. *Cabanes;* quod paret domino *Rovignaco*, conſiliario Aquenſi. ubi amnis trajiciendus, ſingulis pro equis med. ſolido

ſoluto.

ſoluto. Poſt 1 *mill.* itur ad opid. *Berre*, ſalis coctura celebre; ubi cœnatum *à la fleur de Lys;* dextrorsùm conſpectâ arce *Vellaus* monti impoſitâ, ſubjectâ Baroni *Dulierio*.

Altero mane in viâ, quæ ducit ad opid. *S. Chamas*, occurrit rivulus per vicina prata & agros ſe extendens: cui pons ſuperſtructus, antiquus Romani ædificii index, latus VI, longus XXX paſſus; duobus fornicibus affabrè ſtructis ſubſiſtens, inſcriptioneque antiquâ inſignitus. Siniſtrorſum mons eſt, oſtendens duas columnas lapideas, à Romanis ruderibus ſuperſtites: idem teſtantur in agris rudera murorum & ædificiorum, paſſim hinc inde extantia, olim Romanę magnificentię haut dubiè domicilia; jam præteritorum vanitates. Ipſum opidum *S. Chamas* exiguum & ſine nomine eſt, monti plurimam partem impoſitum, cui tanta mollicies, ut citra adjumen aliorum lapidum vel materiei, videas ædes ex eo cavatas & ſtructas; quæ dum numero & opere per concamerationes excreſcerent, collapſu diminutæ ſunt. Ad pedem montis hujus *antrum* conſpicitur, quod pervium facit montem, latitudine V paſſuum, longitud. LVI; ita ut ſubterraneo ductu ad Rhodanum pertingere poſſis ulteriore montis latere. Illinc ad ſiniſtram, lacus & opidulum *Miramas* in monte relinquitur, ſub dominio abbatis de Monte majore. Via heic ob florentes campos & fragrantiſſimum odorem eſt amœniſſima II *mill.*, ad locum *tous Saincts*. Arx eſt multangularis loco plano ſita, ac munita, olim Romanorum caſtrum, modò turris & taberna, ubi vectigal de invectis & evectis mer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mercibus exigitur. loci herus eſt nobilis quidam, *Monſ. de Meignan*. Iam 11 milliarib. ibis ad diverſorium amplum *S. Martini de Crau:* ubi prandium à moleſtiſſimâ viâ habebis apud *S. Antonium*. Heic eſt CAMPUS LAPIDEUS, centenûm ferè ſtadiorum diametrum habens, lapidibus, qui ſinguli manum impleant, pleniſſimus, ſub quibus gramen exoritur, à quo pecoribus pabuli ſuppeditatur ubertas. In medio ſalſæ ſcatent aquæ, ſalisque vis magna. Iſte *Campus ſaxoſus Plinio* dicitur: *Strabo* ipſum inter Maſſiliam & Rhodani conſtituit oſtium. *Campum lapidarium* habent *Solinus* & *Marcianus*, ſed eum in Liguria ponunt. *Litus lapideum* à *Mela* dicitur. Liguriæ fines olim Maſſiliam uſque extenſos fuiſſe, è *Trogo Pomp.* liquet; ubi ſcribit, Maſſiliam inter Ligures & Gallos conditam. Maſſilienſes etiam in Liguria *Sempronius* locat, huncque campum *Lamonem* à Lamone Herculis filio vocat: hodiè *la Crau* & *Melamborium* vocari ſcribit *Marius Niger*; ſed ventum pro campo accipit. Univerſa circumadjacens ora ventis expoſita eſt. Validiſſimè autem Melamborii venti procellis infeſtatur, quo ſaxa ipſa volvi traduntur, hominesque ex curribus excuti, & vi ventorum armis veſtibusque nudari. Hujus rei originem ad hujuſmodi referunt fabulam: Herculem, cum Alcione & Bergione Neptuni filiis, qui Herculi Rhodani oſtia trajicere paranti vi obſtiterunt, pugnantem, cùm deficientibus telis in vitæ diſcrimen veniſſet, Iovem patrem oraſſe, ut ſibi tela miniſtraret; ſtatimque imbrem lapideum in ea loca deci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

decidiſſe, quo gigantes fuerunt interempti. *Strab. lib.* IV.

Hoſpitio hoc *S. Martini*, quod ad ſilvam oleis plenam ſitum, egreſſi, perreximus lapidoſo majori ex parte itinere, donec tandem IV *mill.* ſuperatis Arelatem intraremus, ſub veſperam, ad diverſorium *à la ville de Marſeille.*

ARELATE. *Arles.*

ARelatum, urbs Ptolomæo. *Arelate, Sextanorum* Plinio *Colonia* dicta, quòd è ſexta legione milites coloni eo deducti ſint. Galliæ Narbonenſis nobilis urbs, quam *Strabo* ad Rhodanum ſitam ampliſſimo emporio inſignem eſſe ſcribit. Multarum civitatum decus vocat *Marcellinus.* Gallulam Romam nominat *Auſonius*. Conſtantinam appellari ſanxit *Fl. Conſtantinus Imperator*, ut docet in Auſonio ſuo *Scaliger*, qui antiquam etiam inſcriptionem profert, in qua Arelate *Mamillaria* vocatur. Antiqua inſcriptio eſt in Goltzii Theſauro, quæ habet; *Col. Iulia Pia Arelate. Aram latam* olim dictam à duabus columnis (quæ etiam hodiè extant in Muſarum ſacro) quibus ara impoſita erat, ſcribit ex Gervaſio Guagninus. Hodiè *Arles.* Vrbs Provinciæ, provinciarum lumen non ultimum; in eo loco ſita, ubi à mari recipitur Rhodanus fluvius: quam *Henricus IV* rex optimus, Chriſtianiſſimus, potentiſſimus, rerum geſtarum magnitudine ter maximus, monte ab Oriente, in quo piſtrina ventilata, amplificandam, vallis imis & antemurali vallandam, muriſque circum-

cumcingendam curavit; unde eam civitatis partem antiquiſſimi cives & viri Arelatani *Henryopyrgum* nominatam voluerunt. Vrbs ſanè ædificiorum, amphitheatri, ſive arenarum, Dianæ delubri, Rolandææ turris, nunc armamentarii, pyramidum, Elyſii campi, nunc divi Honorati; Flaminiæ, montis majoris abbatiæ opulentiſſimæ, ſed inprimis antiquiſſimæ regum Baſilicæ antiquitate, longè nobiliſſima, à qua urbe totum *Arelatenſe regnum* nomen habuit. Omnia hæc poſteà videbimus tam extra quàm intra urbem.

Vrbs ſita eſt ad collem, ſolo plurimi frumenti ferace; unde incolæ non parum diteſcunt; ex eo enim adnavigant Genuenſes ex Italia atque Hiſpania ab occaſu, & avehunt frumentum, atque ob id ibi annonæ non rara caritas.

Rhodanus ab *occidente* eſt, urbem in ulteriorem & citeriorem ſecans. *Auſonius* ait:

Prode duplex Arelas, quam Narbo Martius & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani ſic interciſa fluentis,
Vt mediam facias navali ponte plateam,
Per quam Romani cõmercia ſuſcipis orbis, &c.

Rhodanus verò in duos ramos diviſus ad *auſtrum* facit inſulam, quam CAMARGUES vocant, (voce corruptâ à Caio Mario, quòd Marius, *Cimbros* debellans, inſulam illam deducto hoc alveo effeciſſe creditur,) quæ quatuor ferè milliaribus Germanicis patet in longum & latum, ferens frumentum & vinum, atque paſcua copioſa. Pagus in hac inſula eſt *Trinquetaille,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

taille, bis centeſimo lare celebris; ubi ad litus Rhodani rudera conſpiciuntur, urbi oppoſita, è quibus non raró antiquæ monetæ & alia eruuntur vetuſtatem docentia.

Ad *orientem* urbis palús magna eſt, & ſine uſu, niſi quòd hoſtem arcere poſſit.

Viſo fluvio, videamus nunc *portum*, qui inſignis heic, & *urbis portas*, quàm urbem ipſam ingrediamur.

Portus habet inſcriptionem:

D. O. M.

& Divis Principibus Franc. & Nav. Regibus Chriſtianiſſimis, Magno Henrico IV & Ludovico XIII, quod eorum auſpiciis & liberalitate urbis muri antiquitate collabentes refecti & pomærio hoc ad navalis emporii ſecuritatem & commoditatem nobilitati ſunt, grata Arelas Coss.

Porta ad portum & pontem hanc habet epigraphen:

D. O. M. S.

bello, peſte, fame, Rhodani XXVI Auguſti repentina ex defectu inundatione abrepto ex areis tritico, ſedatione prohibita, vvidis vvis, & ubique corruptis ſingulis poſt hominum memoriam graviſſimis, civitas oppreſſa, re comminuta, proditione petita,

tita & à ſuis contagionis ergò penè deſerta muros refecit, CL. GRILLEO, AI. USANFO LUBORELLO ET MAT. VIGNONEO CONS. ANNO DOM. cIↄIↄLXXX.

Porta fori novi (la porte du marche neuf, ou Marcanau) tale lemna habet ſuperſcriptum:

Henrico III Galliarum Poloniæque rege regnante univerſa Gallia inteſtinis bellis in ſua velut viſcera deſæviente hoſtibus huic urbi ferro flammaque minitantibus conſules ſacræ religionis obſequentiſſimi, ΕΥΠΑΤΡΙΔΕΣ quidem, Io. de Boche, Lu. de Viguier: ΠΟΛΙΤΑΙ VERO Io. Eſpinaud Li. Taulemeſſe avertendi hoſtilis impetus ergo percuſſa foſſa & exciſa rupe antemurali propugnaculi ad inſtar de integro conſtructo ponteque verſatili portam fori novi præmuniri ærarii ſumtibus curarunt. Non. mart. cIↄIↄXIC.

Porta S. Laurentii ita habet:

D. O. M.

Henrici Magni munificentia & Ludovici XIII Chriſtianiſſimorum Gall. & Nav. Regum juſſu conſulens urbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ornamento civium commoditati & emporii tutæ ſtationi hoc Propylęum exſtruendum curavit. Coss. &c. cIↃ IↃ cXI.

Porta S. Crucis ita habet:

D. O. M.

Ludovico Regi, urbis ornamento, civium utilitati, adeuntium commodo, quod ex dono Henrici Magni non ultra poſſent à porta Stæ Virginis hoc uſque modo nova mœnia conſtrui, moleque continuâ præmuniri, nova porta Cruci dicata feliciter Coss. &c. cIↃ IↃ cXVI. menſ. decembr.

Videamus nunc urbẽ in ſuis *eccleſiaſticis* & *civilibus* ædibus: Illis non tantus ſplẽdor, ut alibi.

Templum *Trophimi* oſtendit Ferreti Iurisconſulti ſepulchrum.

Templi *Antonii*, oſtendit divi illius caput argenteâ capsâ incluſum, cum aliis reliquiis.

Supra Rhodanum *domus Commendatorum S. Iohannis eſt*, quæ meretur ut adeas.

Ab his ad *xenodochium*, quod ſub Carolo IX natum, elegantiſſimè exſtructum eſt, & in pauperum uſus opulentis annuatim reditibus auctum.

Inter *civilia* & *politica* caput extollit *Baſilica* ſive *Curia;* cujus lemmata dabimus. Exticâ portæ parte LEO, inſigne urbis, depictus, cum hoc diſticho:

Stratos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Stratos non aſt ille ſuperbos conterit hoſtes,
Sic Arelas hoſtes pacis amica terit.

Paulò inferius hæc: SALE RATA REFERAT ARELAS. cancrina hæc verba ſunt; retrolegi poſſunt. Ibidem talis inſcriptio:

Civili undique ſæviente bello Arelate ſeditionibus agitata, patriciis vitis Senatoribusque proſcriptis, conſulatu invaſo, ærario expilato, foris repetito militum incurſu, gregibus & armentis abactis expopulata, Duce Allobrogum cum copiis introducto pene ſubacta, civiumque probrorum virtute expulſis Allobrogibus perduellibusque profligatis fortiter liberata: His ſeptennio confectis cladibus, extorribus revocatis, Gallico Imperio conſervato, poſtmodum horrida biennii fame ferè conſternata, pace denique inter Gallos, Iberos Allobrogesque conſtituta ob Rempubl. civesque ſervatos C. M. H. IIII. ID. IUL. C. FR. DAN. TONELLO. CAP. LAVABRE. ET GV. MONFORT. P. M. I. C. D. SEN. CAR. F. decrevit.

Interior curia habet conclave quoddam, in quo trophæum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

CAROL. LOTHARENUS, GUISIAE
DUX, CAROLO LOTHARINO
GUISIAE DUCI
EX ANAGRAMMATE
TRIUMPHUS

AVE DVX, VIRTVS chara, honos Galliæ.

Inferiùs iſta ſequuntur:

Henrico Imperante
virtute floreſcente
honore confluente
pietate approbante
amicitia invitante.

Aſſervantur in eadem curia canales plumbei è Rhodani imo olim extracti, quibus aqua in ulteriorem urbis partem deducta fuit.

Palatium de Froilla, olim regum Arelatenſium, nunc multâ parte dirutum, invitabit propter antiquitates ut videas. Idem faciet *amphitheatrum*, quod *les arenes* vocant, formâ ovali, ad formam amphitheatri Titi Veſpaſiani, quod Romæ vidimus, ſtructum. *Lipſius* de hoc inquit: *Arelate etiam eſſe ajunt amphitheatrum, ſed parum integrum.* Veniâ verò ipſius ſit dictum; integrum ſatis eſt, nec collapſum niſi aliquâ ſubſelliorum parte. Mihi opinio eſt, illum nec hoc, nec Nemauſenſe vidiſſe; unde utrique ſuum detrectat encomium, ſententiam ferens ſine prætore, ſine arbitris. Arelatenſe hoc, uti & Nemauſenſe, LX eſt arcuum, quorum ſinguli XV pedes longi, è vaſto & uniformi

formi lapide egregii operis adhuc conſpiciuntur. Area olim viris & feris pugnantibus dicata, modò incolarum domiciliis accommodata eſt. Inde in ſubterraneas magnæ capacitatis ſpecus deſcenſus fit; ferarum creduntur fuiſſe latibula, priuſquam ad certamen educebantur; hodiè textorum officinæ,& vini repoſitoria, frigiditate gratiſſimi. Porticus laterales oſtendunt caveas & antra, è quibus per minores in arenam portulas feræ ad certamen emiſſæ ſunt. Videantur *Pompon. Lætus* & *Ammian.* quibus opinio eſt, Imperatorem Gallum Hoſtilianum anno Chriſti CCLV, in hoc ædificio ludos ſuos amphitheatrales, poſtquam Europam à tyrannis vindicaſſet, populo exhibuiſſe. Ab hoc itio fit ad *cellam vinariam publicam;* ubi ductus oſtenditur, olim ſub Rhodano, quo ibatur Nemauſum uſque.

Plures antiquitates ſi luſtrare placet, inviſe ad *collegium* prope ſedem archiepiſcopalem. area oſtendit II columnas è marmore fuſili, longas LX pedum, craſſas XIV ſpithamarum, quas in Dianæ templo, quod propè abeſt, ſtetiſſe volunt. ab hoc templo præter II arcus nihil ſupereſt.

Inde *turris Rolandi,* & V *portæ triumphales Romanorum.*

Publicis ita datis, dabo duo etiam privata. Alterum eſt Domini Agathi, viri promtiſſimi, *conclavium;* in quo, quæ peregrina, quæ rara, à natura, ab arte ficta & excogitata ſunt, pertinaci ſtudio conquiſita, curioſis oſtenduntur. Alterum eſt PORCELLETORUM domus, non à multis viſa; ante fores devoluta adhuc ſtat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

pars pyramidis grandioris; cujus pars infima & baſis extra portam in agro quodam conſpicitur jacens. Ex Belleforeſto, Gaulartio & aliis, talis de illis narratur hiſtoria: Mulier quædam, pluribus onuſta puerulis, ſtipem à matrona domûs hujus, cui adhuc IX in lapide ſunt inciſi pueruli, petens, non exaudiebatur, additâ exprobratione laſciviæ & nimii viri concubitus. mulier iſta miſera, aliàs proba, rogat Deum, ut matrona imprægnata tot liberos pareat uno partu, quot ſcropha edere ſolet porcellos. Quid fit? mulier exauditur, matrona novem enititur puerulos; è quibus unum reſervat, reliquis per ancillam ſuffocandis. Iſti obviam factus herus, puerperæ maritus, interrogat quid oneris portaret. cui illa: Scropha enixa eſt porcellos,quos, cùm non ſit nutriendo, in Rhodanum portabo ſubmergendos. At fortè fortuna pueruli manus propendet, quam maritus videns, ſarcinas detegit, ac fraudem ſub ſilentii fide & ſecuritate ex ancilla cognoſcit. liberi clam matre in villam ablegantur, educantur; poſteà grandiuſculi jam, eodem genere veſtitûs, quo reſervatus ille domi à matre erat indutus, veſtiuntur, inq; urbem& domum parentum reducti coram matre ſiſtuntur. Vbi pater ſive maritus ab uxore pœnam facinore perpetrando dignam ſciſcitans,ex ſententia, quam ipſa ſibi tulerat, perpetuo carceri ipſam mancipavit. Patavini ſimilem ferè habent hiſtoriam de ampla *Scropharum* familiâ. Et *Picus Mirandula* tradit, fœminam quandam Germanam in Italia duabus vicibus enixam eſſe XX puerulos, ita ut prima ingravidatio XII, altera

altera VIII fuerit infantum: onus tantoperè mulierem pondere ſuo afflixit, ut mantili ſuſtinere cogeretur. Nil dixerim de alia Germana quadam, à Lupis nomen adepta.

Sufficiant hæc in urbe viſa; *Extra urbem*, ſi placet, vide locum *la Roquette;* item *abbatiam montis majoris*, in paludibus ſitam; & prope portam fori novi, *cœmeterium & templum Honorati.*

Cœmeterium habet pluſquam IↃC ethnicorum tumulos lapideos; ſepulchra certè uti longè elegantiſſima, ita Romanæ magnificentiæ admiranda monumenta: Inſcriptionibus aucta ſunt, ſed vix legibilibus: dabimus pauculas:

T. VALERI DIONYSIUS
D. VALERIA CHARIS, UXOR ET VALER.
MARCELLUS ET FELICIO PATRI FILS.

Ad dextram in ſacello aliquo alia eſt:

IULIA SOSYME
CIONION IO POLY
CARPO MARITO PIEN
TISSIMO
ET SIBI VIVA POSUIT.

Non procul à Sabaudiæ Ducis monumento, in marmore hæc eſt:

VIII KL. OCTOBRIS OBI
IT PORCIA. DE AQVE-
RIA. ANNO DOMINICE
INCARNATIONIS M. C. L.
XXIII. ORATE PRO EA.

Ipſum *Sabaud. Ducis monumentum* catenâ ferreâ transverſim fuit obductum: quod Carolus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Emanuel, nuperè denatus Sab. Dux, cùm cognoviſſet, gentis ſuæ inſignia ibi inſculpta, præſens, remotâ ferreâ iſtâ catenâ, aperiri petiit; verùm præter oſſa nihil in eo invênit, nec ex litteris ſepulchro inſcriptis oratio aliqua certa poteſt elici, ita omnia vetuſtate ſunt exeſa. Alia præter hæc ſunt ex marmore, cum hiſtoriis è Vet. Teſt. inſculptis. comparent fuiſſe *epiſcoporum* ſepulchra. Eſt etiam heic loci monumentum *Guiſianum*, ſed antiquum, ut inſignia inciſa docent. Ad januam templi oſtenditur *monumentum marmoreum*, ſed crudelis memoriæ, quo conditur quidam, qui adverſarium certamine devictum, in fruſta ſecuit, eaque canibus devoranda objecit. Sunt & III prægrandia ſaxa ibi, XL paſſibus à ſeſe invicem diſtantia; menſuræ dicuntur eſſe ſaltuum Rolandi.

In ipſo *templo*, quod rabie Hiſpanicâ deſtructum, jam valdè exiguum, oſtenduntur II columnæ prægrandes, ædificii fulcra; fuerunt IV aliæ è jaſpide, ſed Pariſios dicuntur avectæ. Cavea ſubterranea prope chorum habet tria marmorea ſepulchra; ex iis *medium*, quod præter hominis ingentem calvariam nihil habet, *Rolando* aſſcribitur, Caroli M. ex ſorore nepoti; qui cùm anno Chriſti IↃCCCIIX, Dux proceri corporis & magni animi, contra Saracenos in Hiſpaniam iret militatum, ibidemque Maſurium Saracenorum ſummum ducem ſuâ manu jugulaſſet, ſiti extinctus obiit. Ipſe Carolus M., ut erat in Latino & patrio ſermone promptus, ei hoc epitaphium poſuit:

Tu patriam repetis, triſti nos orbe relinquis.
Te tenet aula nitens; nos lacrimoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo & binos ſuper annos,
Ereptus terris juſtus ad aſtra redis.

Ibidem aliud eſt ſepulchrum, & ſuperius, *oſſa Hilarii* continens: aliud inferius. Vtrique aqua perpetua ineſt tali modo, ut quantitas eadem ſemper ei ſit, nihilq́ue vel decreſcat, accreſcatve. Ad altare magnum *lignum crucis* oſtenditur; quod voces edidiſſe narrant. alia præter hæc ſacrificulus repetet, uti de ara S. Honorati, de monumento Ducis cujuſdam Bavariæ, de XII item Franciæ Parium ſepultura. ſed hæc, ne nimius ſim, inſuper habeo.

Regimen in eccleſiaſticis obtinet *archiepiſcopus;* cui IV epiſcopi ſubſunt, Maſſilienſis, Arauſionenſis, Tolonenſis & S. Pauli. Olim epiſcopus in cauſa fuiſſe dicitur tranſlati regni Arelatenſis ad German. Imperium: *Denunciarat rex Boſo epiſcopo Arelatenſi in vigilia natalis Chriſti, ne matutinum officium in eccleſia celebraret, niſi ipſo præſente. Epiſcopus autem cùm aliquandiu cum clericis adventum regis exſpectaſſet ultra horam conſuetam, nec ille veniret, ſacra eſt perſecutus. Et ſuperveniens rex, expoſtulare cœpit cum Epiſcopo cur non exſpectaſſet: commotusq́; dedit in medio populi & clericorum alapam epiſcopo. quam injuriam populus ægrè ferens, in tumultum eſt verſus. Deinde verò factum eſt, cùm Epiſcopus adiiſſet Imperatorem, eſſetq́; conqueſtus, quali contumeliâ rex ipſum coram populo affeciſſet: Cæſar iratus, per barbam ſuam juravit, ſe hanc ulturum contumeliam, morteq́; puniturum. unde collecto ſine*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ulla cunctatione magno exercitu, ingreſſus eſt Galliam, obſedit & expugnavit Arelatum: cepit regem & aulicos ejus, mandavitq; ipſum regem decollari. Archiepiſcopus verò una cum reliquis epiſcopis, abbatibus & Principibus, mitigans Imperatoris furorem, ſuâ obtinuit interceſſione, ut hoc judicium ſanguinis ſuſpenderetur. Tunc ait rex; Non eſt æquum, ut rectum Imperatoris judicium executioni non mandetur: cùm non conveniat, vel ullum verbum ex Principis ore egredi fruſtrà. Cumq; de hac ſententia multa utrimque fierent verba, tandem decretum eſt, ut rex tonſus, ac regio titulo ſpoliatus, truderetur in cœnobium. Quo facto, Imperator Otto I Arelatenſe regnum Romano adjunxit imperio. Hæc Munſter. lib. 11 Coſmogr. Verum hæc hiſtoria, ad alios hiſtoricos relata, non ſibi conſtat: novimus enim, Ottonem I, ſive Magnum, anno Chriſti IↃ CCCC LXXIV defunctum, & Conradum II Salicum, cui obvenit teſtamento Arelatenſe regnum, anno CIↃ XL mortuum. Illud, inquam Arelatenſe regnum, (quod complectitur Delphinatum, Sabaudiæ Comitatum à Sigiſmundo in Ducatum erectum, tractum Sequanenſem, ſive Burgundiæ Comitatum, & tractum Helvetiorum) Rudolphus rex Burgund. Conrado II, qui Salicus nominatus fuit, (à gente Francica, quæ Salica appellatur; & Franci ipſi Salii, à flumine Sala, cujus accolæ aliquot è Francis fuerunt, dicuntur, ut *habet Mellef. Pezel. part. 3, p. 135, ex Ammian. lib.* XII,) teſtamento tradit; quod is, ejecto inde Odone, Celticæ Comite, Germaniæ adjecit. *Mellef. Pezel. ſub*

Con-

Conrad. II. Peucerus lib. IV *Chron. Arniſæ. de jur. maj. lib.* 2, *c.* 1, *n.* 5. *Wilhel. Paradin. Annal. Burgund. c. ult.* Ita Burgundia cum Arelate urbe, quæ Burgundiæ regia fuit, teſte *Gunthero,*

Quodq; caput regni ſedesq; fuiſſe vetuſti
Fertur Arelatum, priſcorum Curia regum,

in provinciæ formam redacta, cum Germania conjuncta fuit; teſte *Thuano lib.* 11: *Regnum Arelatenſe, antequam in poteſtatem regum noſtrorum veniret, ſub Imperio fuit.* Hinc Impp. jura & titulum regni Arelatis uſurparunt; hinc Trevirenſis archiepiſcopus ornatur adhuc hodiè archicancellarii titulo per Galliam & Arelatenſe regnum; non, ut explicat *Marq. Freherus ad Petr. de Andlo lib.* 2, *cap.* 1, per eam tantùm Galliæ partem, quæ regno Arelatenſi continetur, olim Imperium Roman. recognoſcens; ſed per omnem Galliam,& regnum Arelatenſe,& verſâ vice: pertinuit enim olim Gallia tota ad Imperii corpus; à quo tamen poſtea ſeceſſionem fecit; ut habet *Gunther. in Ligurino lib.* 1:

At ſimul à noſtro ſeceſſit Gallia regno,
Nos priſcum regni morem ſervamus; at illa
Iure ſuo gaudet, noſtræ jam neſcia legis.

Hujus ergò juris antiqui reſpectu potiùs, quàm moderni ſtatus ratione,ubi nec Gallia,nec Arelatenſe regnum,quicquam noſtro defert Imperio, cancellarius dici poterit, æquè ut alii veterum dignitatum retinent emblemata, re licet mutatâ ut plurimùm. *Limn. lib.* III *de jur. publ. c.* 5, *num.* 4. Carolus verò IV Imperator, hirudo Imperii, (*Alphonſ. del bene in Burgund.*

videa-

videatur,) Arelatenſe regnum, unius prandii gratiâ, in Villa nova, propè Avignonem, Galliæ regi tradidit. *Cruſ.lib.5, part. 3, annal. Sueviæ.* Idemque poſtea Sigiſmundus, hujus filius, approbavit. *Diploma in bibliotheca Pariſiorum, quæ in templo ſuburbano, D. Victori dedicato, ſe legiſſe affirmat Aventinus lib.* VII, *annal. Bojor. p.* 491. Invalidam verò hanc eſſe tranſlationem, dicit *Limn. lib.*1 *de jur. P. cap.*IX, *num.*12: quòd imperium non ſit in marſupio aut ſacciperio Principis, *Bl. in c. intellecto. de jurejurand.* Imperatorque eligatur, ut imperio præſit ac conſulat, *l.*2, §. 11. *ff. de O. I.* ut ſit ejuſdem adminiſtrator, *R. abſch. de anno*1559, *in pr.* ut ſit *alle Zeit mehrer des reichs,* & reipubl. (quæ pupilla vocatur, *l.*3. *C. de I. reip. lib.* 11) commoda, tanquam tutor, quærat, &, quantum ad providentiam quidem, dominus ſit, *l.*27. *ff. de admin. tutor. l.* 56, §. 4. *ff. de furt.* abſque tamen licentia donandi & diminuendi, *l.* 46, §. *ult. ff. de admin. & peric. tut. c. monemus* 12, *q.* 2. Iura enim proprietatis ad ipſum Imperii corpus pertinent. *Peregr. de jure fiſci, lib.* 1, *t.*23, *num.* 74. *Vult.* 1 *de feud. c.* 5, *n.* 15. *Paurmeiſt. de jurisd. lib.* 1, *c.* 21, *n.* 19. Quod ipſum probè perpendens Carol. V, Paulo III Pontifici ingenuè reſpondit, de Parma & Placentia: Eas civitates, ſi ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis Imperialis præjudicium alienare. *Thuan. lib.*IV *hiſtor.* Hujus regulæ cùm ingens ſit utilitas; *Antimachiav. theor.* 1, *p.* 66. & non ſolùm in aliis regnis, ſed & in ipſa Gallia frequentetur: (ut patet exemplo, tùm Franciſci I, qui ex eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

eâdem cauſa recuſavit, quæ Carolo V promiſerat; *Bellai lib.* 3 *Com. Guicc. lib.* 16; tum Caroli VI, revocantis quod Anglo conceſſerat; *Froſſard. lib.* 3:) certè reges Galliæ non aſpernabuntur idem jus ſibi dici, quod aliis dixerunt; &, quod in alterius perſona æquum eſſe crediderunt, in ſua propria iniquum haut arbitrabuntur, *l.* 3. *ff. quod quiſque juris*, &c. Hujus tituli nullitatem, aut, ut mitiùs dicam, imbecillitatem, cùm vidiſſet *Choppinus, de domanio Franciæ lib.* 2, *tit.* 1, *n.* 14, aliundè jus regis ſui in Arelatenſe regnum deducere maluit, Gallos ſcribens antiquiſſimos Comitum Provinciæ patronos fuiſſe: Horum vero ſubditos, etiam ante tempora Caroli IV, extitiſſe Arelatenſes. Sed cùm aliud conſtet ex hactenus dictis; & auctor libelli Gallici, qui inſcribitur *Entreveue de Charle IV, de ſon fils Wenceſlaus, roys des Romains, & Charle V roy de France, p.* 15, conceptis verbis teſtetur, quòd Imperator Carolus IV motu proprio in favorem regis, & ejuſdem primogeniti, Delphinum Franciæ fecerit locumtenentem & Vicarium Generalem in regno Arelatenſi: facilè apparet, quid *Choppino* reponendum ſit; ut & *Bodino lib.* 1 *de republ. c.* 9; qui venditum hoc regnum ſcribit Philippo Valeſio ab Henrico V Imperatore. Verùm narrantur hæc, ſed non probantur.

Sufficiant hæc etiam de regimine politico, quod immediatè rex Galliæ heic habet & in flore & quiete. Accingamus nos ad iter. quod amœniſſimum fuit 111 milliar. cis Rhodanum, relicto pago *Lanſac* dextrorsùm, ad opidum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

TARASCON.

UBi, hoſpitium commodum nacti *au cheval blanc*, etiam pernoctavimus. Duo ſunt, quæ heic notes; *arx* & *templum*. Opidum ædificiis non adeò ſplendidis ſed nobilibus tamen incolis ſuperbit à loci amœnitate & fertilitate.

ARX pro fundamento habet ingens ſaxum, è quo nata caput erigit ad præterlabentem Rhodanum. Interior ſtructura *aream* habet & *conclavia*. Porta areæ in lapide oſtendit exciſa verba: *René Duc d'Anjou, Comte de Provence.* Hic filio deſtitutus, & genero Antonio Lotharingio invidus, Provinciam Ludovico XI Gallorum regi donavit. Ipſius cum uxore ibi effigies & inſcriptiones intuêre. impluvium eſt, peramœnum, longum LXIV paſſus, latum XLVIII, muris aliquot paſſ. craſſum; unde proſpectus patet in urbem Arelatem, Taraſconem, & agrum circumcirca patentem longè amœniſſimum & fœcundiſſimum. Inter conclavia illud ne neglegas, quod ſecretius eſt ipſius Mareſchalli Dornani. res in eo pulchræ, raræ & magni pretii: libri item variarum linguarum, tabulæ picturis exquiſitiſſimis, vaſa diverſa, armariola è gemmis; imago Chriſti palmę magnitudine de cruce pendentis è marmore pellucido, adeò ut candela lumen ſuum transverberet. Ianuæ ſuperſtat tabula picta, Mariam & Ioſephum repræſentans, æſtimio aliquot C aureorum.

TEMPLUM *D. Marthæ* dicatum propè arcem, adhuc reliquias ejus conſervat, (*faciem* nimirum & *brachium*,) opulento theſauro veſti-

veſtitas. Sacello, in quo cubare dicitur, hoc adſcriptum eſt diſtichon:

Quæ Chriſtum hoſpitio excepiſti, Martha, precare,
Hoſpes ſit nobis hoſpes ut ille tuus.

In introitu Eccleſiæ ad dextram, ubi Martha & Draco ſextipes, quem vocant Taraſconem, ad organum hæc leges:

Viginti novies ſeptem cum mille relapſis
Anno poſtremo nobis patet hoſpita Chriſti.
Mille ducẽtis tranſactis minus, at tribus annis,
Imbertus præſul Roſtagno Præſule ſecum
In prima junii conſecrat eccleſiam.

In introitu ſepulturæ D. Marthæ ad dextram eſt ſepulchrum duorum diſcipulorum Emauntem euntium, *Soſthenis* & *Lyſippi*. ad ſiniſtram, ſepulchrum *mulieris*, quæ exclamavit de Chriſto: *Beatus venter, qui te portavit.* Præter hæc, in columna templi conſpicitur *animal illud ſextipes*, quod à Martha funiculo ductum dicitur interfectum. diſticha adpoſita adponere heic ſuperſedeo. Non procul ab hac pictura, depicta eſt navis pro monumento aliquorum qui ante aliquot annos naufragio in Rhodano periiſſe dicuntur.

Taraſcone relicto relinquitur juxtà Provincia. nam trajectus heic fit fune ducto ſuper Rhodanum, ſolutis pro equo quolibet 4 ſolidis, in Languedocium ad opidulum *Beaucaire*, Taraſconi rectà oppoſitum.

BEAVCAIRE.

QVod nonnulli *Bellum pulchrum* appellant, à ſitu fortè, quod in planitie longè amœniſſima,

niſſima, viniq́ue boni feraciſſima, ſitum eſt. *Thuanus* appellat *Belloquadrum*, *libro nonageſimo ſeptimo.*

Caſtellum ad Rhodanum præterfluentem firmiſſimo ſaxo ſuperſtructum eſt. Præter nundinas annuas, beneficio Rhodani tantò ſplendidiores, & commodiores, vix eſt quod heic videas. Solemnis dies illis inſcriptus eſt XXII auguſt. Mariæ Magdalenæ ſacer, quo ejus neſcio quas reliquias per opidum magnâ pompâ inuſitatâq́ue ſuperſtitione circumferunt. in campo publico, quod mercatum reddit celebriorem, laſciviæ ſuæ ſequior ſexus dicitur reddidiſſe pœnam, ſed nimis laſcivam. Sequenti die Chriſtophori ſtatua non minori feſtivitate circumgeritur: preſbyteri & monachi cum frequenti militum & plebis copiâ comitantur. Ipſe mercatus XIV dies celebratur, famam primam habens à generoſis equis: advolant ex Italiæ & Hiſpaniæ confinibus locis emtores & venditores, ut ſeſe circumveniant. Ita illic nundinæ habent totâ Galliâ celeberrimæ.

Belloquadro pontem Gardi verſus itio ſequitur amœna, partim ad Rhodani, partim ad Gardonis litus. Opida ultrò citroq́ue relinquuntur multa. *la Roche* ſitum inſulæ in Rhodano oſtendit. *Monfront* ad dext. colli adædificatum eſt opidum cum veteri arce, loco oleis conſito; Rhodanus heic loci eſt vadoſus, ita ut ſine navigio tranſire poſſis. Vltra flumen turris cum æde telonio deſtinata videtur. Regio frumenti ferax, oleis & moris abundans; via montoſa & lapidoſa, præſertim ubi propè abes à ponte, qui, Belloquadro III milliar. diſtans, cele-

celeberrimus nobiliſſimusque ubique audit, & Poldo dicitur miraculum mundi.

PONS GARDIVS.

GAll. *le pont du Gar*. Nomen à ſubterlabente fluvio *Gardo* ſeu *Gardone* habet. Quem vadoſum habuimus ocreis ſiccis; nec alioquin per ſe fluvius iſte aliquo nomine famam meretur. in ſuperiori Occitania ortus, Vzezas, (Vticam,) allabitur, & poſtea hunc pontem, à quo prope Belloquadrum ſeſe in Rhodanum mergit. Quicquid verò famæ flumini abeſt, id pons hic triplici ſerie artificioſiſſimè ſtructus ei commodat. quem aliqui fabuloſè appellant etiam *pont du chat*, à catto, per diabolum deſuper ibi in fundum dejecto; unde prope molem adhuc antrum in monte monſtratur magnæ capacitatis, quod neſcio quibus fabulis, cùm hiſtoriam neſciamus, velint reddere celebre. Autorem pontis quidam ſtatuunt Antoninum Imperatorem; cujus auſpiciis fontes circa Vticam, elegantem urbem, antiquitatibus inſignem, collecti, & per aquæductum hujus tergemini pontis Nemauſum dicuntur deducti. Sed hæc ſine auctore. Vnde Bezæ, in omni genere metri poëtæ argutiſſimi, tantò elegantius epigramma in pontis hujus triplicis aquæductum, Gardo flumini inter duos montes, nullâ tanti artificis additâ inſcriptione, impoſitum, tertio à Nemauſo milliari:

Montibus impoſitos cantavit Græcia montes,
Pyramidum oſtentat barbara Memphis opus.
Plus eſt quod cernis, triplices conjungere pontes
Fornicibus, montes ſic poſuiſſe duos.

Et

Et plus eſt, victam quo ſe natura fatetur,
Impoſuiſſe ipſis flumina fluminibus.
Et rurſum hoc plus eſt, contemto laudis honore,
Artificem nomen non poſuiſſe ſuum.
Mire opifex, quod tu feciſti, ſit licet ingens,
Quod non feciſti, plus ego miror opus.

Videamus nunc ſtructuram pontis hujus à multa antiquitate firmiſſimi & fortiſſimi. Is triplici arcuum ſeu fornicum ordine, ita ut infimus medium & ſupremum ſuſtentet, eſt diſcriminatus, nec tamen ullo uſpiam cæmento, quoad lapidum commiſſuras, conjunctus. *Infimus* fornicum ordo, Gardoni tranſitum concedens, VI arcus habet, & longus CCCC XXXVIII, altus LXXXIII pedes: ſinguli verò arcus LVIII pedes ſunt longi; arcuum columnæ ſingulæ XVIII pedum longitudinem habent. Spacium, quod inter primum & ſecundum arcuum ordinem intercedit, conſtituit VII pedes & XIII digitos. *Medius* ordo XI arcus habet, & longus eſt IↃ CC XLVI, altus XXI pedes: ſinguli arcus LVI pedibus à ſeſe invicem diſtant. Columnæ XI hos arcus ſuſtinent, quarum ſingulæ XIII pedum ſunt latæ. Arcus verò ex uno eodemque lapide dextrè & artificiosè videntur conſtructi; inter lapides inveniuntur XXII ſpithamas lõgi. Inter hunc arcuum ordinem & ſupremũ intercedit ſpatium VI pedum, VIII digitorum. Vſus viæ hic eſt communis pro hominibus & onuſtis jumentis; non tamen amplus, ita ut præter unum equum via non capiat. *Tertius* arcuum ordo ſive ſummus, è cocto latere ſtructus eſt, indies per tempeſtates ruinam faciens, operto aëri expoſitus; extrema utraque, montes verſus,

ſunt

ſunt ab iis abjuncta; ita ut nulli iſthàc aſcenſus, via, nedum tranſitus pateat. Hujus ſummi ordinis fornices numerantur XXXV; ſinguli XVII pedum habent longitudinem: ipſe verò tertius hic ordo longitudinem habet IↃIV pedum, altitudinem VI: columnæ fornicum ſingulæ V cum medio pede habent longitudinem. His ſupremis arcubus aquæductus excavatus olim fuit impoſitus, III pedes altus, ob quem immenſum hoc ædificium ſtructum antiquitùs creditur; nam veſtigia adhuc deprehenſa fuerunt, per quæ ex opido Vzenſi, aqua Nemauſum uſque deducta fuiſſe dicitur, licet hodiè montes utrimque à ponte ſupremo & ita ab iſto antiquo aquæductu ſint abſciſſi, ita ut in montibus, quos pons hic mirandus olim conjunxit, hodiè nulla appareat vel ſcaturigo, aquarúmve per ſubordinatos canales derivatio.

Inde nos via duxit non longa ad cultiſſimum hortum cum arce adſitâ *illuſtris Baronis de S. Privato*, quem non ſolùm benevolentiſſimo ejus permiſſu ingreſſi ſumus & contemplati, ſed nec inde dimiſſi niſi vino generoſo rubro & albo donati, argenteis lagenis nobis oblato; adſitus pagus alioquin tenue prandium ovis & lactucis parabat, condimentum verò erant donaria hæc improvisò immeritis oblata à tanto Hero.

Ex hoc loco mons lapideus, buxo denſo veſtitus, ſuperandus uno cum medio milliari, ad pagum *S. Gervaſii;* à quo amœna per frumentum, vineta, oleas via ſeſe aperit uno & med. mill. ad quietem uſque nocturnam, quam *aux arenes* ſumſimus in antiqua urbe *Nemauſo.*

NE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

NEMAVSVS.

GAllis *Niſmes*. Opidum ædificatum fertur à *Nemauſo Herculis Aegyptii* (cùm alioquin VI ſint Hercules) filio. Idque probatur teſtimonio & conjecturis. Teſtimonium ſumit *Iohan. Poldus de antiquit. Nemauſ.* è Stephano de urbibus: Νεμαῦσος, πόλις τῆς Ἰταλίας, ἀπὸ τοῦ Νεμαύσου Ἡρακλείδου. *Nemauſus, civitas Italiæ, a Nemauſo Herculis filio.* Civitas Italiæ dicitur, quia Imperatores ex Italia coloniam eò deduxerunt. Auguſtus victor ex Aegypto redux Nemauſum coloniâ illuſtravit. unde frequens numus cum crocodilo palmæ alligato, & litteris: COL. NEM. Conjecturæ ſumuntur ab Heraclea, à Hercule ſic dictâ, ad quoddam Rhodani oſtium exſtructâ, quam in honorem patris Herculis filium Nemauſum exſtruxiſſe referunt hiſtorici, poſtea à conditore ipſo Nemauſo denominatam. Augent conjecturam inſignia Herculis gentilitia, duo dimidiata boum corpora, quæ ad introitum amphitheatri Nemauſenſis, uti & alibi in urbe, conſpiciuntur. Tempus primæ fundationis ſecundum Euſebii & Proſperi in vita Herculis ſupputationem ponitur annus M. III CIↃ IↃ CCCC L. & ita mille centum quinquaginta novem annis ante Chriſtum natum, IↃ XC item ante Romam ædificatam. Sub Pompeio ad Romanos devenêre; etiam ad Imperatorum uſque monarchias perſeverâre, teſte Sueton. in vita Neronis; cujus ſtatuas tanquam urbe ſua indignas dejecêre Nemauſenſes.

Hodiè

Hodiè Nemauſus Narbonenſis Galliæ præcipua civitas eſt, præter opes & alia hujus ævi decora ſupra omneis, quæ toto orbe Romano fuerunt, ſi Romam unam excipias, antiquitatis veneranda monumentis ſpectanda, amphitheatro, palatio, delubro Veſtæ extra urbem, & admirandæ paſſim pulcritudinis ruderibus ac fragmentis, quæ cum recentibus regum noſtratium ædificiis integris etiam hodiè certant, ac poſtremo ſonte cognomine, veterum teſtimoniis famoſo, & urbi fatali, (de quo infrà.) Thuanus lib. XLVI *hiſt.*

Paucula *de ſitu*, priuſquam urbem intùs & extùs inſpiciamus. Loco amœno ſita eſt, olim ad montes uſque exporrecta, quorum VII ſunt; unde Septicollis, velut altera Roma; cum qua & antiquitatibus certat; teſtantur antiquitatem muri tum in montibus, tum in planitie adhuc hodiè ſuperantes. Circa urbem ager fertilis fructibus, horti ficubus & oleis, per quos cuivis licet exſpatiari, amœnitateque frui. Ambitus olim dicitur fuiſſe XI cIↃ IↃ CCC LIIX paſſuum, ita ut Roma Nemauſum II cIↃ paſſibus non ſuperarit tempore Veſpaſiani. *Plinius l.* 3, *c.* 5; *& Fl. Vopiſc. in Aurel.* Hodiè amplitudinis & ordinis multum amiſit, uti & antiquitatis, non ſolùm per bella, ſed & tempeſtates, teſtante *Thuano lib.* XVIII, *ſub fin. hiſt. Anno (dicente)* cIↃ IↃ LVII, V *eid. ſeptembris, in Septimania Nemauſi ingentia tonitrua & coruſcationes exarsêre, quas ſubſequuti imbres inſoliti, antiqui operis monumenta, ſtatuas ac moles, quæ inibi ad ſtuporem viſuntur, penè merſerunt, & urbem fœdis ruinis deformarunt.*

Videamus nunc *ædificia intra* & *extra* urbẽ.

Intra.

Intra, ut religioſa præcedant, quędam *reformatis*, quædam *pontificiis* patent. Hi occupant templum *cathedrale*, magnificum monumẽtis antiquis & operibus raris, inprimis autẽ illuſtre pavimento vermiculati operis, quod appellant mechanici Moſaicum. Præterea *S. Laurentii*; nec non monaſteria diverſa. Reformati, ſive Proteſtantes, aliis frequentiores ſunt; *Thuan. lib.* LXXXVI. Qui & tenore edicti Synodos heic ſuas celebrant, uti factum anno CIↃIↃLXXII, menſe majo, magno Paſtorum concurſu, cui Theodorus Beza, facto per Valentiam Cavarum itinere, interfuit & præfuit. *Thuan. lib.* LI *hiſt.* Ab his etiam urbs miro aſtu intercepta eſt. pace lectoris adjiciam hiſtoriam tam notabilem, è *Thuano lib.* XLVI. *Proteſtantes, qui nimium quàm multi illis locis (Nemauſi) ſunt, partim inde exacti, partim in dignitatibus ac fortunis malè habiti, à Santandreano urbis præfecto jam ſeniore, ſed ſupra ætatem ferociter iracundo*, ut ſunt Septimanorum ingenia, aut in amorem aut in odium nimia, *cùm & ultionis & patriæ repetendæ deſiderio æquè arderent, nihil non agebant occultis cum amicis, qui in urbe remanſerant, conſiliis, hortatibus, vi, dolis, ut bona ſua ac libertatem priſtinam recuperarent. magna exſulum pars ad Geneſii fanum haut procul profugerant, locumq; ante mœnibus à regiis nudatum rurſus vallo & foſſa muniverant. Vbi, dum in commune conſultant, lignarius quidam faber ex Calviſſone municipio, nomine Madaro, ſpe præmii invitatus, viam ſe reperiſſe dicit, quâ civeis Nemauſenſeis in patriam reduceret. Fons ille (quem dixi fatalem urbi ſupra)*

prâ) tantâ aquarum copiâ fluit, ut molatrinis compluribus extra & intra urbem ſerviat, inter arcem & Carmelitanam portam decurrens, in quam per canalem admittitur, portâ humili clatris ferreis obſcratâ; ſupra quam haut longè ab arce, quam Aſtulius cum præſidio ſervabat, ſpecula collocata erat, quæ ſingulis horis noctu permutabatur; isq; qui in ſtatione erat, cùm ex ea diſcederet, pulſato arcis tintinnabulo, commilitoni ad id deſtinato ut in vicem ſuccederet, ſignificabat. id aliquo temporis ſpatio interjecto fiebat. Quo obſervato, Madaro, re cum amico, qui haut procul ab urbis foſſa juxta arcem humileis ædeis habebat, communicatâ, cancellos illos ferreos limâ ſecandos aggreſſus fuerat. Id autem eâ ratione peractum ferunt: Cùm Madaro in foſſam exſcendebat, fune à ſocio, qui in urbe erat, accepto ſe cingebat, & cùm ſpeculæ permutabantur, prout ſocius ducebat aut laxabat funem, nam ita inter eos convenerat, per intervalla illa monebatur aut opus urgere aut intermittere. tum antequam illuceſceret, cera & luto deſuper ſecturas oblinebat, & quam minimo cum ſtrepitu diſcedebat. Opus per XV circiter noctes, non continuas, ſed ut maximè illunes ac nimboſæ erant, ſumma conſtantiâ conſummatum, cùm Madaro toto eo tempore in luto genuum tenus hæreret, & pluviam ac cœli injurias patientiſſimè ferret. Adjuvabat hominis induſtriam tempeſtas autumni, quæ maximè iis regionibus ventoſa eſſe ſolet, & aquæ ſubterlabentis murmur, ne fragor exaudiretur; qui ſi quando exaudiebatur, cuivis cauſſæ potiùs tribuebatur, & aut fontis collidentia ſaxa ſecum volventis, aut canum erro-

erronum ſemeſa oſſa rodentium, eum ſonitum ſtationarii ſuſpicabantur. Non priùs quàm perfecto ſummo ſilentio opere, ne interim res emanaret, Madaro exules XVII kalend. decembr. adit. Res periculi ſummè plena initio videbatur: ſed, cùm univerſorum ſalus in illa verteretur, eam tentari placuit; negotiumq; à Salvatio, qui P. P. nomine vicinæ regioni imperabat, datum Sancoſmo, ſtrenuo ordinum ductori, ut cum CCC delectis, tàm equitibus quam peditibus, rem ſuſciperet. Is igitur magno ſilentio profectus, ſuos in olivetis, quibus urbs circumdata eſt, in inſidiis collocat. dumq; paſtor, quem ille ſecum duxerat, precibus de more conceptis ſocios ad rem fortiter capeſſendam, efficacibus & ex religione ipſa petitis argumentis, hortatur; res incidit, quæ animos alioqui periculi magnitudine perculſos ferè conſternavit. nam repentina & novembri menſe inſolita coruſcatio emicuit, tam crebro ac longo fulgore, ut plerique ſe à ſtationariis detectos arbitrarentur; & alioqui pavidi homines, occaſionem diſcedendi quærentes, caſum illum, tanquam averſantis rem Dei ſignum, ſuperſtitioſè interpretabantur. Contrà cùm Sancoſmus, ſuffragante paſtore, tanquam proſperum rei feliciter ſucceſſuræ augurium à Deo acciperet, qui luce ſuâ fidis gloriæ ſuæ aſſertoribus in tenebris contra veritatis hoſteis præiret, ſic ille partibus ſuis blandiens loquebatur; tandem ipſe in foſſam exſcendit, & cancellis facilè revulſis, cum XXX, quibus magis fidebat, per canalis portam in urbem ingreditur; dato negotio lixis ac caculis, ut cùm primùm ingreſſus eſſet, ipſi cum equis circa muros magno cum ſtrepitu diſcurſantes nu-

meroſi

meroſi equitatûs advenientis opinionem opidanis injicerent; tum ſe ad portam Coronalem, quâ admitti debebant, ſiſterent, & per eam ingreſſi, per vicos itidem eâdem ſpecie diſcurſantes, opinionem jam conceptam magis ac magis confirmarent. adjuncti eis inſuper tubicines aliquot, qui per urbem quaſi captam perſonarent. Ad ſtrepitum ſtationarii, qui ſupra Canalem excubabant, in arcem confugiunt, & pulſato tintinnabulo ad arma conclamant.

Paſſanus cum XX C Sancoſmum ſequutus juxta arcem conſedit, ut præſidiariis egreſſum & opidanis ad illam acceſſum intercluderet. Sancoſmus ad Carmelitarum profectus, ſtationem obviam trucidat, quæ fere ſacerdotibus conſtabat, qui de ſalute ſua anxii contra infenſos aſſiduè excubabant. Iis cæſis ad Coronalem portam tendit. ubi centurionem nactus, pugione ad os adacto teſſeram ab eo expoſcit. quâ intellectâ & inter ſuos diſtributâ, jam liberè per urbem divagari cœpit, & Coranali portâ refractâ cacularem equitatum admittit, qui, ut juſſus erat, majore, quàm bellatores feciſſent, ſtrepitu vicos implevit; tanto terrore præſidiariis ac opidanis, qui in IV ſigna diſtributi continuò in armis erant, injecto, ut multi pedem domo efferre vix auderent; alii palantes & trepidi ſine ducibus à conſciis, & iis qui in urbe erant, capti & armis ſpoliati ſunt. Santandreanus cum armatis aliquot ſubito caſu oppreſſus, fruſtra diſperſos colligere conatus, cùm receptum ad arcem ſibi perclſum videret, gratiâ à Proteſtantibus deſperatâ, temerario conſilio ſe ex mœnibus in foſſam ſaltu demiſit, lapſuq; illo cùm homo jam ſenio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

gravis ſibi crus fregiſſet, in foſſa à ſuis relictus ad lucem uſque jacuit. multi, qui in amphitheatrum, vulgò arenas vocant, trepidè confugerant, portasq́ lapidum fortuito objectu obſerarant; mane loco deſerto per Santandreanam portam emiſſi ſunt. Aſtulius, arcis dux, qui in urbe hoſpitium habebat, cum XXV, *quos penes ſe habebat, Dominicanam portam occupat; eamq́, fortiter reſiſtens, ad medium uſque diem inſequentem contra victores defendit. quo tempore urbe excedens, per poſticum rurſum in arcem ingreſſus eſt. Captâ citra magnum certamen urbe, tamen, ut ab infenſis & recenti injuriâ irritatis, vario inſolentiæ & crudelitatis genere etiam extra belli jura à victoribus in victos ſævitum eſt,* CL *ampliùs ex opidanis occiſis. Santandreanus in urbem & hoſpitium ſuum relatus mox à furente plebe, cùm in lecto decumberet, ſclopeti ictu confoſſus eſt. Sævientium indies opidanorum furorem compreſſit Santomani adventus à P. P. miſſi, ut cum ſummo imperio Septimaniæ praeeſſet. quem Fulcus cum iis, quas ſecum adduxerat, copiis ſecutus eſt. Reſtabat* ARX; *quam Aſtulius cum* L *armatis totum trimeſtre obſtinatè defendit, accepto à Margaritani caſtri, quod* III *leucis abeſt, præſidiariis auxilio; ſed poſtea cuneis actis, cùm aliqua pars turrium concidiſſet, neque magno præterea profectu, tandem præſidiarii omnis auxilii ſpe deſtituti deditionem fecêre.*

COLLEGIUM, in quo olim docuêre *Pacius* & *Piſtorius*, (quorum ille apud Valentienſes, iſte apud ſuperos vivit,) hodiè celebre eſt à clariſſimo viro dn. Abrenetheo philoſopho & medico,

medico, qui clavum tenet. Vir à me compellatus ſupraibat tantùm non omnia humanitatis genera, quæ meminiſſe dulce, recompenſaſſe dulcius foret.

ARX, ut ad politica eamus ædificia & antiquitates, præſidiarium habet militem. quî ea expugnata & à quibus, habet *Thuan. lib.* XLII.

AMPHITHEATRUM, quod *Rodericus Toletanus in rebus Hiſpan. lib.* III, *c.* VII, appellat *præſidium arenarum*, videamus. Quo autore & tempore ſtructum, variæ ſed lubricæ ſunt conjecturæ, ut certi quid ſtatuere nequeamus. *Partes* ejus *externæ* ſunt & *internæ*.

Externæ conſpiciuntur in pariete exteriore, nim. *lupa* lapidi inciſa. ejus ab uberibus pendent duo pueruli, quæ hiſtoria fortè Romuli & Remi ſit. *lucta* item inciſa, duorum pugnantium. *vultures*, Romæ urbis ædificandæ nuntii. *triplex* item *penis* in lapide, vetuſtate multùm abiens. regina quædam Galliæ fertur aulicorum quendam ſuorum, Nemauſo & illis è locis redeuntem, rogitaſſe, num arenas Nemauſenſes, & quid ſummè notatu dignum in iis, vidiſſet. cui ille, quæ viderat, omnia expoſuit, inſcius triplicis hujus penis. objurgatus verò eſt à regina, dicente; Hunc qui non vidit, præſtantiſſimam amphitheatri partem non vidit.

Internæ partes ovalis amphithearri ſunt *arcus*, *muri*, *ſubſellia*, *area*, *caverna*, *podium*. *Arcus* numerantur LX; craſſitie ſinguli X pedum invicem diſtant, ob interpoſitum *murum* XII pedum. Totum ædificium integrum adhuc eſt maximam partem, tum quoad cir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

cuitûs murum, tum quoad *ſubſellia.* Horum, ut & arcuum, lapides ſunt grandes & unius ejusdemque magnitudinis,ſed ſine ullo cemento vel calce artificioſè conjuncti. *Area* ædibus eſt adeò oppleta & inhabitata ut vicum referre videatur. *Caverna,* quæ feras in pugnam producendas continebant, adhuc comparent; nec non *muri*, qui arenæ cingendæ ſerviebant & *podium* anterius conſtituebant. Podium locus erat digniſſimus, ad arenam proximus,pro Senatoribus. *Suetonius in Auguſto, Factum decretum,* inquit, *patrum, ut,quoties quid uſpiam publicè ſpectandum proponeretur, primus ſubſelliorum ordo ſenatoribus vacaret.* Ibi in orcheſtra locus erat pro Principe & honoratioribus ſpectatoribus, prætore item; utque is tutior eſſet à beſtiis infeſtis,muro arenę cinctæ erant, cui retia benè nexa ac denſa, verſatilia item ligna, cancelli ferreíve ſuperſternebantur. Fiſtularum & tuborum diductio, per quos in ſpectatores ſuavis ejiciebatur odoratus, heic nulla habet veſtigia. Odoratus iſte è liquido conſtabat, mixto è vino & croci floribus, ut refert *Plinius*, dicens: *Crocum vino mirificè congruit, præcipuè dulci, tritum, ad theatra replenda.* Ita *Ovidius:*

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Croci hanc ſparſionem, quam *Lipſius* è ſtatuis manaſſe ſuſpicatur, *Seneca* ſæpe tangit in *epiſtolis* & *quæſt. natural. Vtrum,* inquiens, *tandem ſapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immenſam altitudinem crocum latentibus fiſtulis exprimat?* Item: *Numquid dubitas, quin ſparſio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

arenæ creſcens in ſummam altitudinem amphitheatri pervenit, cum intentione aquæ fiat? Vt-ut deſit operta & cæca hæc tubulorum diductio, cætera tamen, quæ amphitheatrum hoc ad miraculum uſque evehere poſſunt, non deſunt. Si lapidum molem & ſtructuram ſpectes, Veronenſe poſt ſe relinquit, etiamſi hoc, quâ parte corruerat, à civitate Verona ſit reſtitutum, ut ipſi vidimus ex inſcriptionibus ibi enotatis. Non itaque ſatis mirari queo *Lipſium*, præter nomen vix reliqui quid facientem huic amphitheatro, *cap.* V *de amphith.* ita verò ille: *Credunt multi, eximium etiam olim opus fuiſſe: non ego, qui ſcio majora multò & operoſa magis habuiſſe Lugdunum & Viennam, & nobiles illas Galliæ urbes. præ quibus quid Nemauſus? Nomen tamen non injuriâ retinet, quia & pulchrum eſt, quod ſatis ſit, & integrum magnâ parte.* Itane verò *Lipſi?* Conceſſerim, Lugduni & Viennæ fuiſſe amphitheatra, ex Euſebio in hiſt. eccleſiaſt. at verò, an nobiliora & operoſiora fuerint, quo auctore quóve argumento mihi perſuaderi patiar, non video. Et dicis; *Præ quibus quid Nemauſus?* Imò Nemauſus, cum paullò anguſtior fuerit ipſa auguſtâ Româ ſuo ambitu, etiam Lugduno & Viennâ, quæ tunc temporis non ita amplæ erant, quin auguſtior fuerit, & ob id utrique præferenda, non vereor dicere. Demus hoc ſine affectu ex vero majeſtati hujus amphitheatri, quod nec furor Gothorum, nec Saracenorum indigni conatus, nec flammæ Attilæ, nec ruinæ Martelli, deſtruere potuêre.

Ante hoc amphitheatrum *Campus Martius*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

olim fuit, nunc ad alios uſus locus commodatus.

CAPITOLIUM, *cap-dueil*, quod hodiè vocant *la maiſon Carré*, quadratum quidem ædificium eſt, ſed in longitudinem tendens: frontiſpicium cum oppoſito, ſex columnas habet; latera ſingula decem; totum quadratis ſaxis coopertum in deambulationum uſus. Trajani volunt eſſe opus in honorem uxoris Plotinæ ſtructum; verùm dubito, cùm heic nec ſpatioſa illa ambulacra, porticus, periſtylia, pergulæ, ſedes, nec alia reperiantur, quæ Vitruvius & alii magiſtri in baſilicis requirebant.

Non procul ab hac *domo quadrata* abeſt *tabula*, cui inciſus *Pegaſus*, cum inſcriptione:

PROCUL ESTE PROPHANI.

Haut dubiè locus Muſis olim ſacratus fuit; nam, illas poſt Maſſiliam heic in cultu fuiſſe, teſtatur apud Euſebium Domitius Afer Nemauſenſis. Ibidem epigramma hoc inventum dicitur:

—— Atroni. famam. barba-
cujus. Roma. libris. adſerit-
amiſſos. ornat. titulis. en aſpice-
quos. habet. incolumes. fovit. amore-
ſupremas. error. ne. poſſit. rumpere.
cer-
arte. ſua. cavit. clauſit. operta. fide.
Excipiet. manet. ſua. qui. ſine. lite.
reliquit.
laudabit. ſtudium. cui. ſua. cura. cau.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

PORTA CORONAE inſignem ſubſtitutionis formulam habet & teſtamentum, quod Sincerus notavit. Ad propugnaculum hujus portæ *ſtatua* videtur *hominis* juſtâ magnitudine manum capiti imponentis, denotans mimum ſeu hiſtrionem, varios hominum geſtus in ſpectaculis edere ſolitum.

Publicis his locis adnumeremus etiam *columnam cum ſalamandra*, Franciſco I, cùm urbem ingrederetur, erectam. *triſte* item *lignum* in angulo vicus alicujus: arbor eſt à qua penſiles fiunt laqueo ſuffocandi.

Intra privatas ædes ad angulum aliquem videbis ſtatuam Geryonis, hac figurâ; unum eſt caput, duo corpora, IV pedes, brachia nulla. hieroglyphicum amicitiæ ſymbolum eſt, denotans tres aut plures amicitiâ junctos unum tantum conſtituere hominem. Geryon vero hic unum tantùm cur caput habeat, cùm aliàs ex Luciano & Plutarcho conſtet, eum tricipitem fingi; cauſa eſt è Iuſtino petenda, lib. XLIV; qui narrat, tres Hiſpaniæ reges fuiſſe, & vixiſſe adeò concordes, ut regnum, quod aliàs ſocium non admittit, non benè niſi ab uno gubernari exiſtimarint. In alia quadam domo inſcriptio eſt:

CINTIAE. HONORAT.
FIDELIS. TABULA.

Facies eſt affabrè facta, cum capillitio elatiore, quali hodiè nobiles fœminæ turritam Cybelem referunt. *Graſſer.* dicit: *Solebant antiquitùs lautiores dominæ crinem faſtigiare, & in ſummum verticem adſtringere, in modum turris.* *unde Iuvenal. ſatyr.* VI:

——— Tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Inſuebant etiam adſcitos crines, quibus promiſſi non erant. *Apulejus lib.* XI *Mil. Adtextis capite crinibus fœminam mentiebatur.* Habebant inſuper adulterinorum crinium ſutiles quaſdam formas, quas capiti ut veras adponebant. *Firm. Aſtr. l.* 8, *c.* 7: *Appoſitis alienis crinibus fictam pulchritudinem mentiantur. Tertul. de cult. fem. Adſigitis neſcio quas enormitates ſutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum.* Iuvenalis *crinem ſuppoſititium appellat.* Vide *Hieron. Epiſt. ad Demetri, ad. Man. Artemidorum lib.* 1. *Clem. Alex. Xiphil.* Num autem viris hoc in uſu quoque fuerit, relinquo. hodiè inveniri qui turpiſſimis his nugis delectantur, ridiculum eſt.

Plures antiquæ inſcriptiones non rarò videntur in ædibus, quæ dum ædificantur, aut terra aliqua foditur, à foſſoribus inveniuntur. earum en aliquot:

Q. Q. N.
Trophimus. Ser.

G. L. N.
C. Valerius Germanus amicus.

D.
Pompejo Homuncioni Patri C.

T. Claudii Abaſcantiani vix. an. XXII *obitus eſt Narbonæ. Privin. T. Flavius Abaſcantius & Claudia Stratia* PARAE.

Q. Mo-

Q. Monejo Verecundo Narbonenſi. tribuni militum Leg. VIII *Gemel. Aelia Valentina marito B. M.*

Luciliæ L. filia Secundillæ P. Attejus Saturninus uxori rariſſimæ quæ ſecum vixit ann. XX. *H. M. H. S.*

Sattiæ Myrtallis Maximia Calvina marito.

D. M.

Vmmidiæ Cale Felicio pater Cale mater Myrtilus Tata, & Eros conjunx fecer. Vix. an. XVI, *m.* VIII, *d.* VIII.

D. M.

Pompejo Pannychi d. l. Ivirius Eutyches & Iunius Triphon T. Geminii F. T. Geminius Titullus patri.

Flaminica Viennæ ſtatuas aneas, auratas, cum corpuſculis & veſtituris baſium, & ſigna Herculis & Mercurii & Caſtoris & Pollucis, cum equis. D. S. D.

D. M.

Baro Mansvetiſ. Quarta Ariam matern. fil. Auncio piiſſimo Deo Nemau. X. *Titullus Perſeus Horologium & cerulas II argenteas.*

D. M.

Primniæ Comitillæ, quæ vixit an. XX, *cives, Mediomatrica, maternus, Nemauſus, arator Cos. & Lucius Lucinus, menſor frumenti numer.*

Cæſaris miniſter. Cæſaris corpore cuſtos, ab epiſtolis, à ciatho, caſtellarius aquæ, Claudia Verna à veſte regia, à ſuppellectili diſpenſator, Aug. N.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

D. M.

Livii Lucrini L. Iulius pecuriaris. liberto optimo & pientiſſimo.

Et quieti æternæ Eutichia in filii dulciſſimi.

Beryllus. Eſſe. lib. XX *Nat. Grecus An.* XXV *Nomas. conjunx vir. B. mer.*

ISIS

SARAPIS. *Vaſtæ Dianæ Somni H N S. N.* VI. *Et Phalas* II *Chryſen. C. H. B. G N A. deorum argentea caſtrenſia domo habebat. item dedicatione templi* ISIS *& Serapis Deo domibus Nemauſenſium & ornamentor. ſingulis* XV. *ita ut in publico verſentur diſtribui juſſit. inq; ejus domus Talen. H S. N. x. reliquit. Item imaginem Martis argenteam ex Amnagenſib. dedit C. ordo, Bitur.*

Si plures ſtatuas videre cupis, cum Abrenetheo Rectore canonicum quendam inviſe, antiquarium & collectorem raritatum. Præter hæc in urbe notabis *turrim (la tour Vinatiere)* ex vini vectigalibus ſtructam; *turrim* item *horologii.*

Sed recipiamus nos extra urbem ad monaſterium & abbatiam *Bauſille;* ubi monticulus argilloſus, incolis *Montjouzieu*, olim Iudæorum cœmeterium. pro quolibet ibi cadavere ſepeliendo numerabant monachis Iudæi certam piperis quantitatem.

Inde ad *templum Dianæ*, quod appellant *de la Fontaine*. hodiè monaſterium religioſarum eſt. Quòd penes fontem exſtructum eſt, videtur nomen ſortitum. Hoc dignum viſu eſt. Oſten-

Oſtentat rudera è magnis lapidibus ejuſdem quantitatis, ſed ſine cæmento interjecto ſtantibus. Adſunt columnæ, excavata armaria pro poſitu deorum; foramina item è quibus fumus in ſacrificiis excitatus exiit; loca item victimis mactandis, ubi cruore parietes tingebantur. Sunt qui hoc templum Veſtæ faciunt. ſed negamus hoc cum *Poldo*, tùm quia Romani templum Veſtæ in meditullio urbis, ut Veſtales virgines in medio populi à maleficiendo abſterrerentur, locâre, non ad muros urbis, qui huic templo vicini adhuc conſpiciuntur: tùm quòd forma Veſtæ templi erat rotunda & circularis, uti Pantheon Romanum à M. Agrippa excitatum; *Polyd. Virgil. lib.* IV *de invent. rer. c.* 14. hoc verò templum fuit quadrangulare.

Propè abeſt FONS DIANAE, ob luciditatem & ſalubritatem celebris, cui tamen Burdigalenſem præpoſuit *Auſonius:*

Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu,
DIVONA, *Celtarum lingua fons addite divis.*
Non Aponus potu, vitreâ non luce Nemauſus
Purior; æquoreo non purior amne Timavus.

Fons hic lacui ſimilior eſt. in medio ejus vortex eſt, ſive vorago, in quam ſi homo vel beſtia incidat, periit, quia fundum non habere ajunt. Ex hoc fonte aqua per canalem in urbem ducitur pro uſu incolarum, ferramentis ferreis firmatum. per hunc Proteſtantes ingreſſi ſunt, ut ſuprà retuli, & noctu urbem occuparunt.

Porrò paullulum eundum eſt, & ab incolis quærendus locus, ubi *echo* ſuaviſſimam reſonat diſtinctamq́ue vocem. foramen exiguum eſt, parum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

parumque excavatum, ſine ulla profunditate, in pede montis; cui ſi pronus adponis os, cantans vel clamans, poſticâ montis parte ſingulas à te editas voces, repetitas audient comites tibi præſentes.

In ſummitate montis proximi *turris* extat; ſub qua templum & fons Dianæ ſubſunt, adpellata *la Tourre-magne*, quòd magna fuerit & pro propugnaculo uſurpata: aliis *Turris Romana*, quòd à Romanis dicitur ædificata. elegantia non mentitur artifices; optica artificia ad ſituationem urbis facientia notantur, non cuivis obvia. lapidum tanta eſt durities, ut robuſtiſſimus, etiamſi diligentiſſimè operetur, vix totum diem mediæ ulnæ quantitatem de turri hac dejicere poſſit. Ita de hujus turris robore dici poteſt, quod legitur apud Herodian. lib. III de Byzantio, qui dicit, eos qui urbis deſtructionis erant ſpectatores, æquè fundatoris & architecti admiratos fuiſſe. Hoc in jugo ubi ſtas, urbs cum circumſitis agris egregio proſpectu tibi oſtenditur.

Quo facto dimitto te rurſus in urbem; & inde in viam primò ſalebroſam, mox frumento & vino abundantem, ad *pontem* uſque *Codonianum (le pont de Codonian)* III *mill*. Inde, ad opidum *Lunellum, medio mill.* eſt; ubi divertimus *à l'eſcu de France*. Quod hic videas, *fortalitium* eſt, non ita multis ab annis à rege erectum. ingreſſi hoc ſumus, & propugnacula, quæ IV ſunt, permiſſu gubernatoris luſtravimus. Ab hoc opido propè abeſt in campo aperto ſitum diverſorium *pont Lunelle*, totius Galliæ celeberrimum, per bella verò multùm hodiè devaſta-

devaſtatum. Pagi *Valergues, S. Breſt, Caſtelnau* interveniunt quàm v *milliarib.* ad urbem *Monſpelium* venis. Ad portam regiæ erant excubiæ, quærentes de ſtatu noſtro; quo intellecto, ſclopetisque ibi noſtris in cuſtodiam ad exitum uſque depoſitis, intromiſſi deductique ſumus in hoſpitium *au cheval blanc*. ubi

——— Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners pauperque voluntas.

ædium hera licet exquiſito apparatu nos exciperet, frequenter tamen,

Et veniam dapibus nullisque paratibus orans,

ſe excuſabat.

MONSPELIVM.

Varia huic urbi affinguntur nomina & derivationes. Alii à monte vicino, olim qui dictus *Pelius;* alii à moribus puellarum, quæ heic forma interiore & exteriore ſelectæ ſunt, derivant: veſtimento indutæ ſerico albo; nobiliores manicis longioribus à plebeis diſcriminantur. *Agathopolin* etiam ſunt qui volunt dictam, quaſi urbem bonorum hominum, ſive bonorum è terra provenientium; quo nomine hic locus dignus. Sita verò eſt civitas in provincia *Languedoc;* quæ differt ab illa, quæ dicitur *Languedouy.* ut olim Francia in duo regimina fuit diviſa: in linguam *ouy;* cujus caput Lutetiæ; & linguam *oc.* ſed de his *Paſquier in memor. Franc. lib.* 1, *c.* 13. Provincia hæc ad occid. reſpicit montes Pyrenæos, ad merid. mare mediterraneum, ad ſeptentr. provincias Quercy & Averniam, ad orient. partem Delphinatus, partem maris mediterranei. Aër hic purus,

calidus

calidus & ſalubris, præſertim iis locis, ubi è mari adſcendentes vapores eum non alterant. Proveniunt heic generoſiora totius Galliæ vina. in copia ſunt perdices & coturnices; triticum optimum cum frugibus, quotidianis apponitur menſis; nec deſunt piſces & alia tabulæ condimenta, deliciæque, tam vili pretio vix alibi coëmendæ. Ipſa urbs monticulo pluſculum elato inædificata eſt, formâ ovali, muris & foſſis munita, quæ tamen deformata noviſſimâ expugnatione maximam partem jacent dejecta. Quæ in urbe ſunt, primùm videamus, pòſt quæ extra eam.

IN URBE *plateas* videbis anguſtas, ſed *ædes* auguſtas & elegantes è quadrato lapide, excelſaſque, ut arceant intenſum radiorum ſolarium calorem.

Templum inter reliqua, quorum LXXX numerarunt olim in urbe, ſupereſt *D. Petri*. cujus vaſtæ moles, columnæ, muri, duæque turres arguunt quid ſtructuræ olim fuerit. Hujus, ut & D. Victoris, apud Maſſilienſes ſtructor dicitur pontifex Vrbanus V, huic urbi faventiſſimus; quod academia teſtatur.

Templum D. Virginis conſcenſum, totius urbis & conterminorum ad Pyrenæos uſque largitur proſpectum.

Academia anno CIↃCLXXXXVI fundata ab Vrbano V, multum incrementi ſumſit à Saracenis hùc migrantibus; qui dum eſſent Arabes, Avicennæ, Averrois & aliorum diſcipuli, medicum ſtudium heic florere fecerunt; quod apud Hiſpanos, Italos, Anglos, Scotos, Germanos ubi innotuit, confluxerunt illi ob loci

amœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

amœnitatem, aëris ſalubritatem, victûs commoditatem, herbarum multitudinem, doctorumq́ue experientiam; quorum catalogum adjicere nimis longum eſſet. Sunt IV ex recta linea *Saportæ*; quorum in ultimò denati domo uni eidemq́ue tabulæ ſingulorum vultus ad picti conſpiciuntur:

SACRIS SAPORTARVM MANIBVS.

Ludovico Saportæ abavo, acad. Monsp. Doctor. & Profeſſ. regio, Caroli VIII Francor. Regis Conſil. & Medico, poſtquam vixit Arelatis an. ætatis CXX.

Lud. Sap. Lud. filio, avo, academ. Monspel. Doctor. & Profeſſ. regio Tholoſæ poſtquam abiit ætat. LXXXX.

Anthonio Sap. Lud. filio patri ſuo, acad. Monspel. Doctori & Profeſſ. regio & in eadem Cancell. Iudici atque Decano, Reg. Navar. Reginæque archiatro Monsp. poſtquam vitâ functus an. ætat. LXX.

Ioan. Sap. Ant. fili. acad. Monspel. Doct. M. Reg. Profeſſ. & Procancel. honoris hunc inanem tumulum piiſſimum cor. monument. imaginesq́ue auro imbracteatas ſibi ſæpius exoſculandas ſtatui poni exſtruiq́ue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſtruique voluit ſupremo pietatis offi-
cio dulciſſimæ Saportarum reliquiæ

Ion. Saporta æt. VIII.
Stephan. Saport. æt. m. XV.
Prodeſſe non præeſſe.

Abſite impii ab hoc cenotaphio,
Atque manus procul pellitote
Lividas virtuti, invidas gloriæq;,
Neque ceſpitem vellite de buſtis,
Aut felicium benè memoriam vellicate.
Aliud qui faxit, ſacer eſto.

Collegia præſertim ſunt occupata medicis; theologia à miniſtris eccleſiæ docetur; juris ſtudium quieſcit, olim à Pacio, qui Valentiæ Cavarum nobis in viſu fuit & uſu, celebre. Inter medicos locum ſuſtinuit olim facetus ille *Gargantuæ & Pantagruelis ſcriptor*, RABELAESUS. ejus *è lib.* VI *de vita Thuani* proſopographiam adſcribam:

Thuanus Chinone hoſpitium habebat in domo opidi ampliſſimâ, quæ quondam Franciſci Rabelæſi *fuit; qui literis Græcis Latinisq; inſtructiſſimus, & medicinæ, quam profitebatur, peritiſſimus, poſtremò, omni ſtudio ſerio omiſſo, ſe totus vitæ ſolutæ ac gulæ mancipavit, & ridendi artem hominis, ſicuti ipſe ajebat, propriam amplexus, democraticâ libertate & ſcurrili interdum dicacitate ſcriptum ingenioſiſſimum fecit, quo vitia regniq; cunctos ordines quaſi in ſcenam ſub fictis nominibus produxit & populo deridendos propinavit. hominis ridiculi, qui totâ vitâ ac ſcriptis ridendi aliis materiam præbuit, me-*

moria

moria à Thuano & Calignono heic renovata eſt, cùm bellè cum Rabelæſi manibus actum uterque diceret, quòd domus ejus publico diverſorio, in quo perpetuæ comeſſationes erant, hortus adjacens ad ludum opidanis per dies feſtos ſe exercentibus, projectum in hortum deſpiciens, in quo, cùm literis operam dabat, libros habere & ſtudere ſolitus erat, vinariæ cellæ inſerviret; ex eaq́ occaſione Thuanus à Calignono invitatus hoc carmen extemporaneum fecit:

Ipſe Rabelæſus γελωτοποιὸς loquitur:

Sic vixi, ut vixiſſe mihi jocus, atque legenti,
Quos vivus ſcripſi, ſit jocus uſque, jocos.
Per riſum atque jocos homini data vita fruenda
Inter amareſcit ſeria felle magis.
Et nunc ne placidos lædant quoq́ ſeria maneis,
Cavit Echionii provida cura Dei.
Nam quæ à patre domus fuerat Chinone relicta,
Qua vitreo Lemovix amne Vigenna fluit;
Poſtquam abii, communis in uſum verſa taberna,
Lætifico ſtrepitu nocte dieq́ ſonat.
Ridet in hac hoſpes pernox, ridetur in horto,
Cùm populus feſto ceſſat in urbe die.
Tibiaq́ inflato ſaltanteis incitat utre,
Tibia Pictonicos docta ciere modos.
Et quæ muſæum domino, quæ cella libellis,
Nectareo ſpumat nunc apotheca mero.
Sic mihi poſt minimum vitæ tam ſuaviter actum
Dent hodiè ad priſcos fata redire jocos.
Non aliâ patrias ædeis mercede locare,
Vendere non aliâ conditione velim.

Rabelæſi pileus & toga adhuc ſervantur, à nobis viſa, rubra, ſed obſita & lacera. *Catelanus* impi-

impiger nobis interpres erat ad ſingula. Medicus creandus Monſpelii ſepties togam illam induere tenetur: primâ vice, ubi in baccalaureorum cenſum adſcribendus, togâ hac indutus juramentum publicum apud Decanum deponit, pro receptione gratias agendo: quater deinde ubi pro intentione diſputare nititur: ſextò ubi punctum rigoroſum ei traditur: & tandem quando de illo diſputare cogitur.

Theatrum anatomicum cathedram admodum vetuſtam cuſtodit è marmore ſine omni ornatu.

De acclamatione novorum Doctorum in promotione, *Vade*, & *occide Cain*, certi quid adponere non poſſum.

Profeſſoribus olim magna fuit obſervantia exhibita; iisque, antequam ſtatum eſſet ſalarium, in more fuit, ut à ſtudioſis obviam in platea venientibus emptâ aliquâ re, vel vilis etiam pretii, & ſolidum non excedentis, donarentur: hodiè verò opulentiſſimi iſto auctario non egent.

Quod ad ædificia politica, do CURIAM, quæ ex reliquiis palatii regumMajoricanorum, qui urbi imperabant, ſatis craſſo adhuc muro ſupereſt. In hac vide *ſacellum* & *cameram rationum*. *Sacellum* habet humatos nobiles, qui erant regis officiarii, ſed à civibus occiſi; quæ res movit regem ad ſeriam in cives vindictam. Inter pœnas numeratur, quòd Monſpelienſes, cùm magiſtratus regios crudeliter, convocato per ſonitum campanæ populo, trucidaſſent, poteſtate pulſandi campanas multarit rex, atque id jus tranſtulerit ad academiam. *Arniſ.*

de

de jur. Maj. p. 331. è Nic. Gill. in Hiſt. Franc. Accidit hoc ad annum Chriſti cIↃ ccc LXXIX, quo Duci Andegavenſi reſtitêre. erat is regis Caroli V Sapientis frater & vicarius, cives inſolitis exactionibus gravans, cùm non ita multis ab annis coronæ Franciæ cives adſcripti fuiſſent pretio c xx mill. aureorum, per Philippum Valeſium VI hujus nominis, anno Chriſti cIↃcccxLIX. *Vide Annal. Franciæ. Camera rationum;* quæ ſimilis Pariſienſi; in qua redduntur rationes accepti & expenſi à Quæſtoribus regiis in terra Languedocenſi.

Magiſtratus opidanus, qui urbi præfectus eſt, VI perſonis conſtat; quæ ſunt, *nobilis, patritius, civis honeſtior, mercator, opifex* & *ruſticus.* Hi quotannis magiſtratu abeunt, in curia, penes regum icones, depicti.

Cives in VI cohortes ſunt diviſi; quarum una diebus dominicis, ubi ſacra peraguntur, excubias agit ad portas clauſas. Hæc olim facies fuit: modò cives armis omnibus exuti militem numeroſum in urbe in domibus inviti habent numero IIII cIↃ, cui omnis cuſtodia urbis nomine regis demandata.

Accedit, quod primum viſu dignum eſt, EXTRA URBEM, *fortalitium,* à rege poſt expugnationem ſtructum, ut urbi ſit inſtar fræni ſi reſiſtere occiperet.

Alterum prope urbem quod eſt, *hortus eſt regius, (le jardin du roy,)* à rege Henrico IV operâ Ranchini medici anno cIↃIↃ xcv ſtrui cœptus. Frontiſpicio regis inſignia appoſita, cum hoc lemmate: HIC ARGUS ESTO, NON BRIAREUS. Interius primum ambulacrum

Hen-

Henrici IV regis, reginæ uxoris, & filii Delphini oſtendit icones & inſcriptionem.

VTILITATI PVBLICÆ.

Henricus IV Galliarum & Navarræ rex invictiſſimus, ut Muſis inter armorum ſtrepitus militaresque efflagitationes ſua ſacra reſtitueret, hæc regiæ in ipſas clementiæ & clientelæ ſuſceptæ inſignia ponens, fortiſſimis Heroibus Henrico Duci de Montmorancy Galliæ Conneſtabulo, Annæ de Levi Duci de Ventadour ac provinciæ hujus Proregi, & Carolo de la Tour Duci de Bouillon ac Galliæ Mareſchallo gratificans, celeberrimum hoc Medicinæ ſacrarium viro rerum anatomicarum & herbariarum profeſſori donavit, perhonorificamque profeſſionis provinciam Richardo de Belleval Doctori Medico impoſuit, eique diſſectorium & hortum hunc detulit, nec non ſuaſore D. Andrea Huralto D. de Maisle, in ſecretiori ſuo conſeſſu conſiliario, proſapiâ functisque per Europam legationibus clariſſimo & de hac provincia meritiſſimo, poſt perceptam loci

loci commoditatem ſummâ liberalitate amplificat, &c. &c. Deſunt quædam. Hortus hic regius IV in ordine habet ambulacra, tria ab hoc, quartum ab illo latere, cum his titulis: *Plantæ quarum in medicina his temporibus maximè uſus. Plantæ odoriferæ, venenatæ, umbelliferæ, ſpinoſæ, cathartica, & ſcandentes, &c. Plantæ quæ in clivis, montibus, fruticetis, dumetis & locis nebuloſis adoleſcunt. Plantæ quæ in umbroſis ſilvis, udis, uliginoſis & paluſtribus proveniunt. Plantæ quæ in aſperis, ſaxoſis, apricis, & in ipſo litore naſcuntur.* Singulæ ad methodum commoditatis & naturæ rectè ſunt diſpoſitæ. Quodlibet horum ambulacrum ſe rurſus in IV itiones diſpeſcit. *Simplicia*, quæ vocant, ſunt XII cIↄ; quælibet herba areolis inſita, nomine ſuo catalogo eſt inſcripta, ut inventio ejus tanto facilior ſit quærenti. Adſunt ibi fontes ſalubres & elegantis ſtructuræ. Fornicem ibi notabis, in cujus angulo ſi vel muſſitando quid effers, id alter in altero angulo oppoſito diſtinctè percipit, clàm aliis in medio ſtantibus, & nihil audientibus. Rarum hoc architecturæ eſt ædificium. Simile quid artis hujus obſervavi *Mantuæ* in Ducis palatio, THE dicto, ante urbem ſito: *Heydelbergæ* item in majori arcis atrio, formâ rotundâ ſtructo. Convexitatem puto cauſam eſſe, ut echo per arcus repat ad oppoſitos angulos. Curioſo fundamentum rei non eſt negligendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

MAGELLONA.

REmotiori viâ ab urbe, II *nim.* milliar., ſita eſt MAGELLONA: Equis ivimus ad *villam novam* opidulum, conducti ab hoſpitis noſtri filio; qui noſter, ut intromitteremur, erat pararius. In Villa nova relinquuntur equi; ad lacum petuntur navigia, quibus med. mill. trajicitur: ſub adventum cave à canibus caſtelli cuſtodibus; gladiisque depoſitis ad areæ portam, aſcende. Gratus noſter præfecto arcis erat adventus; affectum oblatione vini generoſi ſignabat. Quæ heic notes, eſt antiquitas caſtelli, à mari formâ inſulæ circumdati. Olim ejus major amplitudo, ut notæ ſuperſtites teſtantur. Olim etiam epiſcoporum Monſpelienſium ſedes & ſepulturæ; teſtantibus inſcriptionibus, quarum recentiſſima eſt anni CLXXVIII. Heic Iuriſconſulto Rebuffo ſua dicitur eſſe quies. Circumducebamur à præſidiariis ad fontem ſalſæ & dulcis aquæ, tandemque fabulâ bellæ Magellonæ heic repetitâ actum ſignabamus. Stagnum, quod renavigare opus erat, nebuloſis ſuis exhalationibus olim peſtis frequentis cauſa fuit; verùm rupto aggere nebulę ceſſarunt cum peſte, ita ut huic nullus ampliùs heic locus ſit.

Si longiùs Monſpelio excurrere voles; ſunt tres montes. quorum, quaſi cæterorum caput, eſt *Mons lupi*, IV mill. diſtans. alter, *Hortus Dei*, ob amœnitatem & fertilitatem XII milliarium. tertius, *Mons ceti*; cujus caput, dorſum & caudam repræſentat, IV mill. Monſpelio abjunctus. Hi montes ſunt rariorum herbarum & arborum horti. Ad HORTUM DEI pagus

pagus eſt, in quo PUTEUS, ad cujus acceſſum incolæ adventantes non admittunt; aut ſi admittunt, ne quid in eum injiciant, ſub pœna monent, propter fulgura & tonitrua quæ inde concitari ajunt. Ibid opid. *Vigand.* ubi fontes reperiuntur;in iis aquę in ſaxa,formâ variegatâ & nitore candidiſſimo, concreſcunt; ſaccharum exiſtimes candidum,ſi, præter uſum,viſus ſolus accedit. AD MONTEM CETI marmora fodiuntur & ſcinduntur. in jugo caſtrum eſt milite præſidiario firmum. ad pedem eſt portus contra incurſitationes prædonum Turcicorum munitus.

Tantum de iis, quæ intra & extra urbem videri merentur: Quoad INCOLAS; ſunt illi potiſſimam partem reformatæ religionis. Cives complures è Maranorum poſteritate ibi invenies ſuperſtites. Illi enim è Saracenica gente prognati ita excreverant, ut Ferdinandus Catholicus anno CIↃCCCCXCII eos cum CXXIVCIↃ Iudæis ex Hiſpaniâ ejiceret, quorum reliquias Carolus V pòſt expulit. Horum multi in hanc oram venientes jus civitatis obtinuerunt, profeſſione & titulo pharmacopæorum; quæ ars etiamnum heic in flore & magno uſu, cùm ager circumvicinus variis herbis, fructibus etiam exteris, conſitus ſit. Copioſa heic creſcit *ſtœchas Arabica*, *thus*, *tamariſcus*, *terebinthus*, *roſmarinus*, & alia, alia; unde pulveres,olea,& alia medicamenta conficiuntur.Quid dicam de granis *alkermes*,quę in Monspelienſi luxurioſiſſima quantitate colligũtur, & ad peregrinos populos in uſus tinctorios exportantur.Quid de ipſa nobili antidoto,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

quæ dicitur *confectio alkermes*, & ad ſyncopen, palpitationem cordis, virium inſtaurationem & alios affectus ſingulare remedium eſt? Iſta omnia ab experientiſſimo viro *Laurentio Catelan*, pharmacopæo excellentiſſimo, diſces, coëmes, & aſportabis; addet *pulveres* non unius generis; *dentiſcalpia è lentiſco*, *olea*, & quæ iſthic loci rara pluria. Reliqui cives mercaturam exercent & opificia; heic ceræ dealbatio, ibi æris viridis confectio (*verdet* illis) conſpicitur; heic vitrorum pictorum, ibi cultrorum & forficum ſunt officinæ, alibi è vario ligno lagenæ, doliola & pocula pro diſcutienda melancholiâ tornantur, alibi culcitræ laneæ texuntur. ad ſummam, quiſque in hoc ſalubri ſolo ſuo operi operatur.

Viſo Monſpelio & ægrè relicto, (ſingularia ſiquidem hoſpitalitatis officia ibi nobis exhibita,) iter noſtrum perreximus. ad portam ſclopeta, ſub adventum excubitoribus tradita, nobis reddita fuerunt. Comes nobis erat in parte itineris filius hoſpitis, uſque ad pagum *S. Iean de Bedaz*. Ad ſiniſtram eſt relictum opidulum *Frontignanum* penes ſtagnum Advaticum ſive Narbonenſem. Ager hic vini generoſiſſimi muſcatellini ferax eſt, tametſi incolæ leprâ quâdam corripi dicantur. In maritima illa vicinia eſt pagus *Peru*, ad quem fons dicitur eſſe, febricitantibus ſanitatem, beſtiis autem mortem adferens, ſanis omni ejus uſu interdicto. Itinere hoc porrò itum eſt inter vineas fœcundiſſimas, è quibus botros inſolant & uvas, easque ob calorem ſolis, quem patiuntur recipiendo, *paſſas* deinde vocant; & ſub veſperam

v *mill.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

v *mill.* in pagum LOUPIAN deventum; ubi in diverſorio, *au cheval blanc,* puellæ villicæ nobis obtulêre florulentos faſciculos.

Altero mane III *mill.* perreximus ad fluvium *Eronem, (la riviere d'Erhaud.)* naulum pro ſingulis equis erat duorum ſolidorum Gall. Ibi prope eſt opidum *S. Tiberii,* in fertili & amœna planitie ſitum; cæteroquin parum ibi quod memorem. In devexitate viæ ſuperſunt arcus aliquot pontis, à reformatis deſtructi. Ad ſiniſtram videtur *Agathopolis, (Agde,)* opidum exiguum, nec ſplendidum, à mari Narbonenſi non multùm diſſitum. Iſthinc fœcundiori ſolo III *mill.* ad opidum *Beziers* venimus, pranſuri amplo & eleganti in hoſpitio *à noſtre Dame.*

BOETERRÆ.

HOc ei verum nomen ex veteri marmore:

M. Iunio Philippo Nobiliſſ. Cæſari Principi juventutis Septimanorum Bœterr.

Volunt aliqui, ob annonæ copiam urbis nomen dictum quaſi *bis-terra.* Olim Colonia Septimanorum fuit, ſita in colle vitifero. vinum laudat Plinius, in agro Biterrenſi proveniens. Agri undique ſunt fœcundi; rivi piſcibus pleni; opidi ſtructura parum inæqualis: ſunt foſſæ & muri; arx etiam pro tutamine munita.

Templum cathedrale elatiori in parte poſitum eſt ad urbis extremitatem. ſub imo pede labitur fluvius *Orgius,* ſive Orgio, (Maſſonio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ſic appellante, mox ſeſe in mare Narbonenſe mergens.

Hinc ad *templum Ieſuitarum* te confer; miraberis in quodam conventûs conclavi faſcinatus quaſi oculos IX artificioſiſſimè pictas tabulas; opticâ arte ita formatas ut neminem niſi deceptum dimittant. ſunt duo parietes, rimas oſtendentes, & ruinam minitantes, armamentarium cum atramentario, cadaveris caput, candelabrum, crux, clavi & murus ligneus. ſingula viſum fallunt, ut vel manu tangere, apprehendere, & rei veritatem experiri velis. Hæc velim ne negligas viſu; Patres omni humanitate te excipient, admittent, ſed ſine joco & riſu non dimittent.

Præter hæc videbis alio loco rudera amphitheatri alicujus; & hanc inſcriptionem alibi:

VIVIRO AUGUSTALI
IULIAE C. F. TERTULLAE
DECIAE T. F. PROCULLAE
HEREDES EX S. TESTAMENTO.

His viſis itum eſt ad prandium, turdis, perdicibus & aliis lautioribus avibus ſtructum, juncto vino muſcatellino, & iſta omnia, addito vectoris pabulo, XVI ſolidis Gall. Quibus numeratis perreximus itinere jucundo & ſolo frumentifero ad pagum *Nyſſe*. Occurrit in via mons; ad quem vicus *Trente* ſitus, proverbio Gallico nomen fecit; *I'ay veu d'une montaigne trente & deux villes;* præter vicum nimirum *Trente*, videre potes *Bæterres* & *Narbonam*. Similis jocus natus eſt in Italia apud Bononienſes. extra portam in jugo montis monaſterium D. Michaëlis ſitum eſt; penes id ſi areæ inſtas,

inſtas, videbis centum & tres urbes; nimirum opidulum, *Cento* cui nomen, *Modenam, Ferraram* & *Bononiam*.

A pago *Nyſſe* monticuli aliqui lapidoſi occurrunt; mox rurſus via plana tamariſcorum dives, ad fluvium uſque *Atacem*, (*Aude*,) ſeſquimill. à prandio ſumto. trajectis vectoribus, (pro ſingulis 2 ſolidi ſolvendi erant,) ad vicum *Courſan*, rurſus ſesquimill. tendentes, per frumenti feraciſſimum ſolum *Narbonam* tandem venimus 1 *mill.*, pernoctatum *à l'Ange*. Ad portam ſclopeta cuſtodibus dantur ſervanda ad diſceſſum uſque.

NARBO.

NOmen auctores derivant alii à Narbone, provinciæ iſtius Galliæ Imperatore; alii à Narbone fluvio; alii ab Harbone XII Gall. rege, mutatâ hodiè litterâ H in N. Addunt varias appellationes. *Ciceroni* eſt ſpecula ac propugnaculum Italiæ; *Plinio*, Colonia Decumanorum, à militibus X legionis. Ter colonias excepit, ante Iul. Cæſarem, à Lucio Craſſo oratore, adhuc adoleſcente, à Cæſare ipſo, & poſt Cæſarem à Tiberio. Dicta fuit *Iulia paterna*, quod teſtatur elegans marmor, è terra effoſſum anno Chriſti cIɔ Iɔ LXVI, nunc ad bivium domûs Archiepiſcopalis poſitum; quod habes legere *in Antiquitatibus Galliæ*, pag. 679, & ſeq.

Hodiè eſt propugnaculum contra Hiſpaniam, à qua III duntaxat leucis diſtat. Opidum ſitum eſt ad *Atacem* fluvium, qui ſecat eam, & ponte excellenti, domiciliis veſtito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

inſtar plateæ, reunit. *Quâ terram,* habet planitiem amœnam ac fertilem; *Quâ mare,* derivatur ex eo canalis, ad portam ducens navigia & reducens; imò ab urbe 1 leucâ in mari conſtituens portum, à quo navigia demiſſis malis per fornices lapideos in urbem deducuntur. Ibi *ſtatio* eſt navium, ad quam ara ſive ſtatua cum hac inſcriptione: ANCHISES DE BONONIA F. L. F. I. AN. MDXXV. *Quâ munitionem,* ars & natura ei ſubvenêre. Ars profundas ac paludoſas foſſas, muros firmos & craſſos, aggeres, propugnacula & alia munimenta fecit; naturâ extenſam planitiem & paludes undiquaque inacceſſibiles addente, ita ut non poſtrema ſit ex hoc puncto inter Galliæ urbes. Ipſa mœnia non pauca incluſa habent monumenta & lapides ſepulchrales, partim regum aliquot Franciæ, partim priſcorum Romanorum, non tamen lectu faciles; deſcriptu difficiliores, quòd non permiſſum valla conſcendere ſine præfecti conſenſu; nedum quædam exſcribere, ob vicinum ſuſpectum Hiſpanum; ideoq́ue perpetuus ibi miles & numeroſus Galliæ regis in præſidio; ut finibus Galliæ contra invaſionem benè ſit proſpectum. Quâ *internam opidi ſtructûram;* eſt ea ad longitudinem magis quàm rotunditatem facta, & mediocris amplitudinis: plateæ ſatis amplæ; domus verò non ſuperbæ, ſed humiles, cacumina ſua non in altum erigentes, ob aggeres ſcilicet urbis altiores, impedientes extrinſecus ædium viſum.

TEMPLUM unicum *D. Iuſti,* ut reliqua taceam, heic commendatur; elegans & concinna ſtructura, capacitas & luciditas ei lumen dant;

dant; famam verò habet ab intro conſpiciendis, quæ, præter *organum muſicum*, ſunt pluria Cardinalium, archiepiſcoporum & epiſcoporum monumenta. Accedit *monumentum Philippi regis* in medio choro, elevatum ſculptâ cum ſtatuâ è nigro marmore:

Sepultura PHILIPPI bonæ memoriæ quondam Francorum Regis filii beati *Ludovici*, qui Perpiniani calidâ febre ab hac luce migravit, III Non. Oct. cIↄ CCLXXI.

Ibi ante altare majus, tabula è marmore notetur longè pulcherrima, longitudine XV ſpithamarum, latit. VIII. Alio in ſacello eſt tabula, LAZARI reſuſcitationem repræſentans. nota cadaveroſam faciem & putrefacienda membra. Alio rurſus, tabula eſt *extremi judicii & purgatorii*. Singula magni artificii & maximi æſtimii. Si è templo *turrim* contiguam conſcendere velis, invenies CCCC gradus, vel præterpropter, ſed non pœnitebit te laboris, ubi ad faſtigium veneris.

Supremum eccleſiarum caput eſt archiepiſcopus. ad ejus palatium eſt lapis ſepulchralis, è marmore longo, lato & craſſo, ſequentia è quo faciliora lectu enotavi:

DO ✠ DO ET ✠ DO. MISER. AN.
E. IM. HOC C. L. I. T. E. ANNO
III. CS. VALENTINIANO. AUG.
VI. III K. L. D. XVIIII. ANNO
EPTUS RUSTICI &C.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ex hoc lapide ſunt qui ſedem archiepiſcopalem deducere volunt à Decim. Ruſtico Agrætio, qui olim Ioviniano Imperatori à ſecretis fuiſſe ſcribitur, raptus ad martyrium à Comite Conſtantino cum pluribus Arvernatibus anno Chriſti c.c c c LXII.

Prope à palatio abeſt ſub grandi fornice dependens ferrea immenſi ponderis anchora, in teſtimonium, archiepiſcopum etiam dominio maris præeſſe.

Quâ *profana ædificia*, eſt PALATIUM regis in area ad portum, antiquitate magis quàm magnificentiâ celebre. ſtructorem volunt dare Carolum M., & id evincere Cruce, nigro è lapide, quam pro ſigillo ei tribuunt, in uno parietis latere adhuc videndam.

ARMAMENTARIUM regium non longè inde abeſt; in quo tormenta magna c, & plura.

Olim egregium heic *Capitolium* fuiſſe, è Sidonio probari poteſt, ſed ejus nulla hodiè indicia ſuperſunt; ita vetuſtas, & exteri hoſtes Gothi & Vandali, quidquid magnificè ſtruxerant Romani, deſtruxêre.

Amphitheatri rudera in ædibus hoſpitii ad ✠ albam adhuc comparent. Reliqua omnia delevit poſterius ſæculum licet *Narbona* prima omnium in Europâ colonia Romanorum credatur, & propterea Romæ etiam amiciſſima, ita ut tempore Antonini Pii, (*Iul. Capitol.*,) incendio memorabili Narbonam affligente, circa annum Chriſti c XLV, ipſa quoque Roma ccc ædium conflagrationem perpeſſa ſit; non ſecus ac ob ſympathiam quandam frater unus ex alterius morbo, per ſe

ſe non contagioſo, morbum concipere ſæpe videtur.

Narbonâ egreſſi habuimus ad ſiniſtram montes Pyrenæos nive albicantes, & Aquitaniam in parte. Illic *(Perpignan) Pyrpinianum* eſt III leucis nobis abſitum, quaſi porta incendii & principium ejus, quòd olim incolę iſthoc loco ignem ſubdere cœpêre. Iſthic ſunt *Bearnenſes, Bigornenſes* & *Armeniaci*; de quibus alibi. Heic cùm ſimus in confinio, ſatis ſit pro cautela notaſſe, ibi gentem eſſe è colluvie hominum natam, quos *capots* appellant; putarim à penula cucullata; Exiſtimantur maximâ ex partê leproſi, ideoque à popularibus & conſanguineis fugiuntur, arcentur à frequentia & conſortio hominum communi, occupant ſuburbia, diſcriminati ab opidis, cùm interiùs laborent morbo incurabili, & halitu contagioſiſſimi fœtoris inficere alios per cohabitationem poſſint; uterque ſexus, licet ſequior minus deformitatis in vultu oſtendat, eo laborat; viri ad officia publica non admittuntur, imò pro ſervis in republ. geruntur; opificia tractant lignaria, & omne ſervile opus faciunt: hæreditas, quam ſi qui relinquunt in re lautiori conſtituti, non tranſit ad poſteros, præter mobilia, quæ etiam metu contagii ab hæredibus non accipiuntur. De *Armeniacis* notandum; quòd Ludovicus Gall. Delphinus olim exercitum ex illis legerit LX CIↃ, eumque ad Rheni ripam eduxerit, ubi ex inſtinctu Imperatoris Friderici III Alſatiam & Helvetiam graviter adflixerunt; poſtea ad Baſileam omnes ad unum extincti. Iis autem licet alii po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

puli è Gallia, Anglia, &c. fuerint commixti, nomen tamen commune manſit Armeniacorum, qui corruptâ voce à Germanis poſtea nominati ſunt *die armen Iecken*, fortè à miſero eventu.

Verùm pergamus *Carcaſſonam*. Duobus mill. pagus *ville d'Arne* occurrit. Iſthinc ſolo plano opidum *Lezignan* ſitum eſt, muris ac foſſis munitum. Duo ſequentia milliaria amantiſſimam nobis dedêre viam, inter ſpicam aliasque herbas optimi odoris ad pagum *Mours*. In quo, præter prandium, habuimus in hoſpitio inſignia Leſtvviziana, nobilis Sileſiæ gentis. unus ex illis dum has oras periret, ad ſuperos ivit, uti lapis ſepulchralis, quem Narbonæ, ubi ſepultus eſt, in diverſorio vidimus, teſtatur. Duobus hinc milliarib. viâ admodum petroſâ & aſperâ ad pagum *Berberat*, & fluvium *Aude*; quem, uti & opidum *Treveſô*, trans fluvium relinquentes, in planitie fertili, tandem poſt colles aliquot ſaxoſos ſuperatos circa veſperam duobus milliaribus venimus *Carcaſſonam*, pernoctatum *au Lion d'or*.

CARCASSONA.

SItum urbis è *Thuano* dabimus cum memorabili de nive hiſtoriâ. ita ílle *libro* XXXVII: *Carcaſſona duplex, medium Atacem ſatis amplo inter utramque urbem ſpatio interjecto habet. à meridie ortum verſus in colle ſuperior urbs ſita eſt, in eaq; epiſcopus ſedem habet. in imâ urbe in plano poſitâ jurisdictio regia exercetur. Ad epiſcopalem urbem, quam vulgo civitatem vocant, rex venerat: ex qua cùm poſtridie,*

qui

qui in eid. januar. incidebat, imam urbem regiâ pompâ ingredi deſtinaſſet, nocte, quæ illam diem præceſſit, tantâ mole & impetu nix incubuit, viciniſq; adeò montibus, ut everſis apparatibus ad eam magnificentiam exſtructis, rex totos X dies obſeſſus, diem B. Vincentio feſtum exſpectare coactus ſit; quo in ima urbe honorificè exceptus fuit; & ſeniores à majoribus accepiſſe & in archivis perſcriptum eſſe ajebant, ante CXXIII *annos Mariam Andinam Caroli VII uxorem toto trimeſtri à nivibus,* VI *pedum altitudinem ſupergreſſis, obſeſſam, in eadem urbe moram feciſſe.*

Talis eſt ſitus utriuſque partis. *La Cité*, muro duplici, foſsâ altâ, turribus denſis, unâ portâ eſt munita: ad quam, quidquid armorum adfers, deponis: extra eam mulier ſculpta, loci defenſatrix contra Saracenos. Præter *templum Eraſmi*, de quo elegans tabula in arâ poſita, & *domicilium epiſcopi*, è quo proſpectus in inferiora, nihil eſt quod te moretur. *La ville* ad radicem prioris, quadraturâ æquilateri exſtructa, muris & propugnaculis, quæ tamen ſine permiſſione non conſcendes, non deſtituta. Si ædificia, quæ lignea & ſine ornatu ſunt, cum platearum ſymmetria paria facerent, elegantiorem Gallia urbem non haberet: nam vici & plateæ artificioſâ diſpoſitione in longum protenſæ à transverſis plateis rectâ lineâ decuſſatim transſecantur.

Ita habet inanimata urbs; Qui eam incolunt, ſunt cives & inquilini, Gallo-Hiſpanico idiomate utentes, rem facientes è *panno* iſthic loci commendato, & *pectinibus*; hos è vario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ligno, cupreſſi, lentiſci, juniperi, &c. concinnè formant, & vili pretio adventantibus addicunt.

Sequenti die antequam hinc diſcederemus, ucundam campanarum ſonantium harmoniam, quod in Gallia inſolens, audivimus. Via planitie amœnâ & frumenti ferace nos ducebat *duobus milliaribus* in pagum *Ville ſciche* ; à quo *unum milliare* diſtat opidulum *Alzohne* ; ubi prandio nos refecimus *à la coupe d'or*. Clivo adſitum eſt, campis & agris læto, ad amnem *lampi;* dominumq́ue agnoſcit Ruſſium, præſidem Carcaſſonę. Inde 1 *lapide* opid. *Ville pinte* fuit, & alia loca, uſque ad opidum *Caſtelnau d'Arry*, III *milliar*. ubi ſub veſperam divertimus *aux coffres*, mox à nobiliori ſequioris ſexûs trigâ ad eleemoſynam pro reformata eccleſia compellati ; ita enim in more illis, ut præcipuas ex opido filias ablegent petitum aureis phialis ab adventantibus numos pro pauperibus. Opidum alioquin eſt ſatis vaſtum, multoq́ue populo affluens, & caput Lauracenſium; mœnibus munitum probè, frequentibusq́ue circumdatum molendinis. ædibus ſtructum ligneis deſuper deſpicientibus, anguſto ſpatio ſibi oppoſitis, formâ Londinenſium in Anglia, ut calorem Solis à via ſubtus arceant. Non multis milliarib. abhinc diſtat opidulum *Caſtres;* ubi extraordinarium ſapienti regis decreto Conſilium conſtitutum, quo euangelici & pontificii in re religionis audiuntur & componuntur. Hoc Conſilium, ſive Parlamentum voces, pari numero Adſeſſorum utriuſque religionis conſtat in hunc finem, ne, cùm in reli-

quis

quis Galliæ Parlamentis pontificii numero ſuperent reformatos, heic cùm pares ſint, de incompetentia judicum conqueri poſſint reformati. Dicitur alio nomine *la chambre mipartie*. qualis etiam *Neraci* conſtituta eſt. Cùm *Caſtello* abiremus, kal. maji erant. dies ſerenus nos comitabatur per vicum *la baſtide* I. *mill.*, opid. *Ville franche* II *mill.*, ad opid. *Villnouvelle* II *mill.* Vbi paucis refecti *à S. Pierre*, perreximus I *mill.* ad opid. *Montiſcart*, in monte poſitum; à quo in longum latumque extenſa magna ſeſe offert planities, vino frumentoque culta: interjacent pagi *Donneville, Cadenet, S. Agnes*; hos excipit II & med. milliaribus

THOLOSA.

UBi *aux raiſins* tutum & commodum nobis fuit diverſorium. Vrbs hæc Tectoſagum eſt metropolis, poſita in planitie vino & frumento abundante; omnes reliquas Galliæ urbes, præter Lutetiam, populo, divitiis, annonâ, academiâ, patribus, poſt ſe relinquens. Eam *Garumna*, omnium, qui è Pyreneo fluunt, fluviorum maximus, curſu rapido alluit, ibique parvam inſulam conſtituit. *Pap. Maſſon.* dicit *pag.* 530; Garumna urbem hanc ſive præſidio, ſive munimento ita inſtruit & circumvallat, ut non ſolùm quadraginta aut plures ante ejus mœnia, frumentarias molas circumagat, ſed etiam jumentis & hominibus ſalutarem potum præſtet, & ab ea, ingentibus pene par fluviis, omnis generis merces & divitias Burdigalam uſque devehat. Addit *pag.* 502; Varii generis numeroſam piſcium ſobolem & flumi-

fluminearum alitum dites cupedias macello ſubminiſtrat Garumna; ab ipſo certè amnis capite, donec ſe in pelagus effundat, tructis, ſalmonibus, muſtellis, murenis, carpionibus, tincis, alburnis, gobionibus, barbis, alauſis, luciis, mullis, mugilibus, & aliis id genus piſcibus abundans. nec deeſt accipenſer, quem Gallo-Romani ſturionem, Burdigalenſes *creac* vocant. &, quod ſpectantium oculos grato virore detinet, & utilitatem non exiguam ſuaviſſimæ amœnitati habet admixtam, perpetui vitiferi colles illum ambiunt. unde Auſonius:

Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam:
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conſeritur viridi fluvialis margo Lyæo.

Munimenta urbis ſunt murus è lateribus multiplex, foſſæ item & aggeres. quæ Auſonius, in hac urbe literis operatus, hiſce complectitur:

Non unquam altricem noſtri reticebo Tholoſam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens.
Perq; latus pulchro perlabitur amne Garumna,
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Gæbennarum
Inter Aquitanas gentes, & nomen Iberum;
Quæ modo quadruplices ex ſe cùm effuderit urbes,
Non ulla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis,
Quòs genuit cunctos gremio complexa colonos.

Interior urbs plateas habet longas, mediocriter latas, puritate commendabiles: ædes è coctili latere grandiorum etiam civium ſunt, anti-

antiquitatem magis quàm ſplendorem oſtendentes. *Publica ædificia* ob religionis cauſam ſtructa, ſunt *templa & collegia*. Sacris generalis præeſt paſtor, archiepiſcopus Tholoſanus, ſedem ſuam habens in cathedrali templo *D. Stephani* protomartyris. In ejus xyſto nota duo epitaphia. alterum ita habet:

Guilielmo Philandro Caſtilioneo civi Romano eximia eruditione ac doctrina ſingulari, virtute nobili, ſcientia claro, pietate inſigni, religione non aliena, morum ſuavitate facili, animi candore conſpicuo, ſenſu erga omnes probo, antiquitatis & architecturæ peritiſſ., famæque celebritatis etiam exteris noto, qui in ſtudiis literarum multis annis conſumtis, dum antiquorum monumenta evolveret, ac ſe anagnoſten illuſt. CARD. Armeniaco præberet, tandem attritis viribus corporis leni ſuſpirio vitam efflavit. Georg. Card. Arm. fideliſſ. anagnoſtæ ſuo ſpe futuræ reſurrectionis hoc monumentum mœſtiſſ. P. C.

Vixit annos LX.

Fato verò ſuo functus eſt x kl. mart. ann. Do. M D LXV.

alte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

alterum tale eſt:

P. Paſchalio, rerum geſtarum ab Henrico II Galliarum rege ſcriptori politiſſimo, unaque virtutis & Romanæ eloquent. æmulatori præſtantiſſimo, amici mœrentes B. M. P.
Vixit annos XLIII.
Obiit XIIII kl. mart.
an. poſt Chriſtum
natum MDLXV.

Turris templi habet campanam, nomine *Cardeillac*, quæ maximis, quæ ullibi videntur, adſcribi poteſt; continens IↃ centenarios, quorum ſinguli conſtant CIV libris; latitudo XII eſt ſpithamarum, ambitus XXXVI. Aedes archiepiſcopales tenent ſepulturam reformatorum lanienâ Tholoſanâ anno CIↃIↃLXXII mactatorum, inter quos magnum illud lumen Iuris fuit IOHANNES CORASIUS. *Thuanus* hæc notavit *lib.* LII, ſcribens:

Tholoſæ major intemperies fuit. nam cùm de re Lutetiæ geſtâ allatum eſſet, prid. kal. ſeptembr. die Dominicâ, quâ Proteſtantes Caſtanetum ad conciones urbe iverant, continuò portæ clauſæ ſunt, cautumq; ſedulo, ne quis exiret, libertate in urbem redeuntibus conceſſâ. multi tamen ex iis, qui exierant, re cognitâ, in urbem redire noluerunt, & inde Podium Laurentii, Montalbanum, Regium montem, atque alii aliò migraverunt. Biduo poſt publico præconio edicitur Senatus auctoritate, ne cui ex Proteſtantibus vis

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

aut moleſtia fiat. Poſtridie diſpoſitis per portas urbis & compita ſtationibus, ſuſpecti pars per cœnobia diſtribuuntur, ceteri publicis carceribus includuntur. aliquot poſt dies ſub Delpechii & Madronii, opulentorum inſtitorum, ſed Proteſtantibus ſummè infeſtorum, ex aula adventum, in carcerem Palatinum omnes conjecti ſunt; ubi mox noctu, immiſſis ſicariis, ex eorum præcipuè numero qui juris civilis ſcientiæ operam dantibus immiſti gladiatoriam in ea urbe faciunt, *inter quos excellebat Turrius, & aliis perditæ vitæ hominibus, ad* CC *crudeliter trucidati ſunt, & in iis aliquot Senatores, atque inprimis* Ioannes Coraſius; *qui poſtea immanitate geminatâ ad ulmum in area Palatii, Senatorio cultu ſuſpenſi ſunt. corpora deinde cæſorum in foſſâ in ædibus archiepiſcopalibus excavatâ terræ mandata.*

Alterum ab hoc templum *S. Saturnino* conſecratum eſt. Interior ſtructura habet columnas lapideas numero LX, in quinque fornicum ordines eâ poſitas ſerie, ut nemo in ullo templi angulo ſe occultare queat, quin deſuper globo vel lapide quovisve telo peratur. ex hac ſtructura templum ab omni expugnatione immune eſt. juvant tormenta bellica exteriùs ſummitati urbem verſus impoſita pro arcendis conatibus ſi qui oboriri poſſint adverſariorum. Præter defenſionem hanc commendatur à ſanctitate; dicuntur quippe VIII potiſſimùm Sanctorum corpora ibi humata, quorum icones & inſcriptiones ſunt; *Exuperii, Barnabæ, Philippi, Iacobi Minoris, Iacobi Majoris, Iudæ, Simonini, Saturnini.*

Omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Omnia perfectum quodvis ſi dicitur octo,
Hoc ſibi præ reliquis vendicat iſte locus.
Octo cui faciunt præſentia corpora Divûm
Cætera perfecti cedere templa Dei.

Prȩter hos ſanctos ſacrificuli de aliis adhuc gloriantur per Carolum Magn. & alios Duces & Principes eò devectis. Ad ſummam, narrant, tantam illius templi eſſe ſanctitatem, ut nullum corpus in ambitu ejus aliquo humari poſſit, quod, niſi ſancti cujuſdam fuerit, à terra mox rurſus non evometur & ejiciatur. Hinc antiquis litteris iſthæc ibi legitur inſcriptio:

Omnia ſi luſtres aliena climata terræ,
Non eſt in toto ſanctior orbe locus.

Præter hæc *ungues gryphi* tibi oſtendentur.

Pòſt ad *Cordigeros* itum eſt in hypogeum arcuatum, cui pars templi inædificata eſt. Ibi inter cadavera erecta, membris integra, cutibus tecta, interitum putredinemve neſcia, monſtrarunt nobis lectiſſimæ olim apud Tholoſates formæ virginem *Polam:* Frater ordinis face accensâ præibat, quæ, ubi inter media cadavera, diſtantià binarum ulnarum ſibi oppoſita, & ab utroque latere ſibi contigua, ſtaremus, extinguebatur. exitus inde non ſine horrore fuiſſet niſi fax revixiſſet. Putant abditâ quâdam facultate fieri, ut cadavera non putreſcant ibi repoſita; unde loco nomen *paradiſi* & *campi Elyſii* aliqui dedêre.

Templum *S. Mariæ d'Aurade* olim Iovi ſacratum fuit, in quo ſub ſpecie arietis ipſum incolæ coluêre.

Templum *Iacobinorum* habet ad altare majus feretro orichalceo incluſa angelici Do-

ctoris

ctoris oſſa, *Thomæ Aquinatis*, quem in Italia in cœnobio, quod Foſſam novam dicunt, ſitum intra *Pipernum* & *Tarracinam*, exſpiraſſe dicit Martyrol. Romanum. Ibidem Seni multorum annorum tale epitaphium lapidi ad terram inſcriptum leges:

DEO Opt. Max. S.

Siſte viator parumper & audi. Ademarius Mandinellus ætatis CXX an. vixit cum Margarita fida conjuge an. LXX. ſuſceptis ex ea XXIIII liberis. Ademarius Mandinellus fil. obſequentiſſ. patri pientiſſ. & matri dilectiſſ. fratribusque cariſſ. ex voto poſuit. Hoc te volebat ſcire. Vale, & ora.

Obiit anno M D XLVII,
menſe januario.

Templum *Auguſtini* commendabile eſt à ſepulturis Guiennæ Comitum & Principum, nec non *Petri Fabri*. In ſacello quodam hæc diſticha leguntur:

Ligna repone focis, flammis ſuper addito flãmas:
Frigida flamma tua eſt, quæ meliore calet.
Eſt ſacer ille locus: videas, meditare parumper,
Quid facias; Chriſtus cordis opaca videt.

Periſtylia ampla ſunt, columnis undique marmoreis fulta.

Viſis templis collegia videantur; quorum aliqua occupant *Academici*, aliqua *Ieſuitæ*.

Academici originem ſui Doctoratûs in Iure & Theo-

& Theologia cœpêre anno cIↄ cc ſub Pontifice Innocentio III: auctiores facti privilegiis ſub Pontificibus, Ioanne XXII circa ann. Chriſti cIↄ ccc xxiv, & Innocentio VI circa ann. cIↄ ccc lviii. A ſtudio Iuris academia maximam ducit famam; teſtantur ampliſſima duo Iuris collegia, adhuc hodiè quæ ſuperſunt, & mille pluribuſq; auditoribus locum faciunt. hoc verò nomine ſunt famoſi, & nihil minùs quàm ſtudioſi, qui neſcio quâ inſolentiâ non ſolùm cives ſuos aggrediuntur, ſed & exteros adventantes exutâ omni verecundiâ ob neſcio quas eleemoſynas moleſtant. Cùm heic eſſemus, ex compoſito cum duobus egerant in diverſorium noſtrum ablegatis, qui litibus & jurgiis de numis aliquot non ſolutis, inter ſeſe mixtis, auctores eſſe turbarum debebant, ut dein excitato evaginatis gladiis tumultu reliqui, queîs platea vicina omnis oppleta, accurrerent, & hac occaſione expilationi peregrinorum feneſtra aperiretur. duo iſti intra portam hoſpitii lites occipiunt; quorum conatus priuſquam in flammam irent, hoſpes, vir apertus & peregrinorum amans, mox in cineres poſuit, alterum benè dedolatum ad ſanguinem uſque portâ ejiciendo, alterum ſponte ſuâ fugientem domo excludendo, ita ambo cum reliquâ fæce foris præſtolante fruſtrà erant, noſque quieti hoc pacto redditi. Eſt igitur quòd ſibi quisque caveat; nam illud, *le bien venu*, tantum abeſt ut honeſtè petatur, ut & vi extorqueatur, omneſque peregrinantium viduli excutiantur. horrendum dictu! in tali urbe, ubi Iuſtitię ergò Parlamentum magnus rex conſtituit. dignius

eſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

eſſet, Inquiſitores, quorum domus penes Parlamentum eſt, in id incumberent, ut inquiſiti rei, cùm nulla pinguior victima poſſit mactari Deo, ad ſupplicia traherentur; *cùm illicitas exactiones & violentiâ factas, prohibere debeat præſes provinciæ. l. 6. de offic. præſid. congruit enim, inquit Vlpianus, lib. 13, eod. tit. bono & gravi præſidi, curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit; quod non difficilè obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq́; conquirat; nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere.*

Ieſuitæ amplum & inſigne occupant collegium, cujus porta in marmore talem oſtendit inſcriptionem:

Hanc Capitolini Proceres, autore Senatu,
Virtuti Muſisq́; dicant feliciter ædem,
Auſpiciis, Henrice, *tuis: & limine parvo,*
Hinc belli lauros, hinc longæ pacis olivas,
Fortunæ monumenta tuæ immortalia ponunt.

Aedificia *ob juſtitiam* conſpicua, ſunt *Curia Parlamenti*, & *Civica*.

Parlamentum eo loco, quo olim Capitolium fuit ſitum, amplitudine magis quàm ſplendore conſpicitur: rudera ejus, ut & theatri, licet obſcura, ſuperſunt. *Sidonius* Capitolii Tholoſani hanc facit mentionem *lib.* IX, *ep.* 16:

E quibus primum mihi pſallat hymnus,
Qui Toloſatum tenuit cathedram,
De gradu ſummo Capitoliorum
Præcipitatum.

A Romanis Tholoſates habuêre jus Capitolii, quod

quod paucis aliis contigit. Parlamenti ante domum ſupereſt antiqui operis Romani ſtatua, hominis caput & pectus oſtendens, literis deletis. Olim præter Pariſienſe, Gallia nullum habuit Parlamentum ; ſub Philippo verò Pulchro rege anno cIↄ ccc xx erigi cœpit hoc Tholoſanum, quod ſub Carolo VII ſuis legibus & privilegiis poſtea adimpletum eſt. *Paſquier lib. 2, des recherch. de France.* unde merito huic à Pariſienſi ſecundus locus inter Parlamenta datur.

Curia Civica, quam *Capitolium* vocant, armis ad portam depoſitis intratur; ita enim armata civium cuſtodia jubet. Aedificium planè novum eſt, è quadrato latere ſtructum. ambitus inferior fornicata ambulacra oſtendit, cum *Capitolinorum* imaginibus & nominibus; mox in porticu areæ *Caroli IX* effigies ; Eminentiori loco Henrici Magni ſtatua eſt, cum effatu :

Henrico Magno pacis causâ armato, publicorum ædificiorum magnique patriæ operis reſtitutori, magna Toloſa, regni olim alterius caput, regnum quæ Franciæ augere maluit, cum patris & ſuis ſub pedibus regiis ſuorumque hinc inde Capitolinorum inſignibus, inſignique ſubactorum amante animorum & faucibus mali ereptorum notâ, hoc opus debuit, dicavit, cIↄ Iↄc vi, cIↄ Iↄc vii.

In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Introitus Cameræ, ubi Capitolini conſulunt & judicant, hunc habet verſum:

Tectoſagum hic locus eſt, ubi ſacra oracula cenſus,
Temporaq; adflictis dat meliora ſalus.

Parietes areæ habent Catharinam & Mariam virgines cum verſu:

Eligit octo viros urbs Catharina quotannis,
Et ſtringit nodi relligione ſacri.

Item:

Pallas Romanæ Tritonia præfuit arci;
Alma Toloſanæ virgo præeſt Maria.
Excellunt urbis tantùm Capitolia noſtræ,
Excellit quantum Pallada virgo parens.

Iidem parietes emblema pictum oſtendunt, referens formam bonæ reipublicæ: Sunt IV mulieres, habitu, colore, cultu à ſe diſcriminatæ; altera juſtitiam fingit; altera anum, dextrâ malleum, ſiniſtrâ turrim tenentem; tertia facie peregrina eſt, dextrâ ſcipionem, ſiniſtrâ ſacellum tenens; quarta circino, cynoſura & amuſſi decorata eſt:

Prima viris mores format, ſtruit altera muros,
Hoſpitium fovet hæc, ſunt huic commercia curæ;
Patria ſit cælum. Veſtris ſubmittere tectis
Hoc juvat, obſequio ſi perturbatis honorem.

Nec inſuper habeas heic loci armamentarium, cum inſcriptionibus, quas feſtinando enotare non potui. Eſt Ludovicus XIII rex equo inſidens, proſternensque rebellionem vultû furiæ infernalis, cum his verbis:

Erit hæc quoque cognita monſtris.
cIↃIↃcxv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Thuanus in princ. lib. xcv dicit: *Magiſtratus opidanus, quem* Capitolatum *vulgò vocant, conſtat* VIII *viris; à quibus ad Senatum provocatio eſt. præterea, cùm res magni momenti incidit, comitia urbis Ordinum cogunt, &c.*

Senatus hic merum mixtumque habet in cives & ſubditos imperium, quod rarum jn Gallia reliqua; exercetque in civilibus & criminalibus judicium; unde inquiſitionis & torturæ conclave non longè abeſt.

Aedificia ob civium utilitatem, ſunt PONS & *Molendinum. Pons* peditibus, non equitibus, nedum curribus Garumnam perviam faciens, ligneus eſt, in parte & ſaxeus, tectus ſuperiori parte, clavisque ferreis combinatus, ut ultrò citroque utramque in urbem ſit meatus. *Molendinum*, LE BASACLE dictum, inter IV miracula Tholoſanûm unum eſt; reliqua tria ſunt TEMPLUM SATURNINI, *belliſſima virgo* POLA, peritiſſimus apud Tholoſates fidicen MATOULIN. Molendinum iſtud aquaticum non procul à navigiorum ſtatione Garumnæ inædificatum eſt novo planè artificio; XV ſunt hydromylę, ordine ſeſe invicem ſequentes, uno ligneo ædificio concluſæ; lapides molares ſive catilli è multis ſaxeis fragmentis affabrè junctis conſtant, circumvincti ligamentis ferreis; ſinguli pretio aliquot mille aureorum addicuntur. Tympana & rotæ magnæ ab aqua non circumaguntur, verùm rotunda caſtella, doliorum inſtar, fundo ſunt inædificata, in quæ ſubſcus ferrea, molam ſuſtinens, erecto poſitu deſcendit; cujus infimæ parti pinnæ ſunt infixæ, quæ impetu aquæ per canalem deſuper eò ductæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ductæ impelluntur, & hac circumgyratione ſubſcus ferrea, cui lapis molaris incumbit, circumgyratur. Cùm opus novum reliquæque Galliæ incognitum ſit, dignum eſt viſu. nobis honorifica commoditas hoc & præcipua urbis ædificia videndi contigit per nobilem virum *Pierre de Thomas*, regis Quæſtorem, qui duobus pilentis comites mecum circumvehebat ad præcipua intra & extra urbem loca. non ſufficiebant domeſtica ejus, non publica in urbe; addebat ſuburbanos hortos, tuliparum ubi xenia ſingulis donabantur. verè dico, excedebat ferè hoſpitalitatis jura; nec, niſi abitu prævenisſemus, alienus erat ab opiparo apparatu; & hęc omnia nobis per recommendatitias Dominorum *Sollighofferorum*, Maſſiliâ adportatas.

Tholosâ egreſſi, amœnâ planitie & vitiferâ pagos habuimus *Gafelaze, Bourguieres, Maſſeribaut, Bouloc*, & vicum *Fronton*, III *mill*. cum medio; ubi prandium *à noſtre Dame*, ſine omni apparatu & ornatu. Inde per pagos *la baſtide, le Clou, Brezolles*, qui ultima obſidionis Montalban. oſtendunt veſtigia, ſub veſperam pluvioſo & tempeſtuoſo cœlo III mill. ad opidum *Montalbanum* devenimus, commodum nacti diverſorium *à S. Iean*.

MONTALBANVM.

ANtequam urbem ingrederis, pons ſublimis, & altus à ſubtus fluente *Tarni*, tibi ſuperandus, totus è coƈto latere. *Tarnis* fluvius is eſt de quo *Cæſar* ait; *Tarnoq; amne diſcreti à Tholoſatibus Petrocorii*; & quem Auſonius auriferum vocat. A Cevennicis montibus perfluens, tanto

tanto ſtrepitu & fragore inter confragoſa rupium & ſaxorum loca, per Gabalos (qui vulgò *Cavax* in patria dicuntur) curſum dirigit, ut torrentis inſtar vicinis & terrorem & offenſionem pariat. tandem latior & lenior per Ruthenos in *Milialdum* ultimam ejus regionis urbem ſe demittit, accepto priùs apud *Montem album* exiguo amne Teſcuno. *Tarnis* abundat luciis, barbis, alauſis, vaudoſis, aliisque ſuaviſſimi ſucci & saporis piſcibus. *Sidonius* in protreptico de Tarne & piſcibus ejus loquens ſic ait:

Hinc te Leſora Caucaſum Scytarum
Vincens aſpiciet, citroq; Tarnis
Limoſum & ſolido ſapore preſſum
Piſcem perſpicuâ gerens in unda.

Situs urbis eſt in colle fertili & vitifero, tantaque ſoli ejus eſt ubertas, ut cum feraciſſimis poſſit contendere. unde *Maſſon.* appellat urbem divitem, populoſam & egregiè munitam, & ſalubrem tabidis, ut medici ajunt. nam FONTEM mirandæ ſcaturiginis habet, decem protendentem epiſtomia, è quibus aqua largiter in uſus inhabitantium proſilit; quod unum eſt in urbe notandum. Alterum eſt ACADEMIA, non ita multorum adhuc annorum, in qua regiis ſumtibus & munificentiâ viri docti ſuis incumbunt laboribus.

Extra urbem præcipuè notanda ſunt portæ & ad ſtuporem facta munimenta, cum ſuis ſemilunis & cornutis operibus. *Portæ* ſunt VI; *propugnacula* VII, ſingula ſuis diſtincta nominibus; quæ heic cum ultimâ regiâ obſidione deformare non licet: retriores obſidiones

diones legantur apud *Thuanum lib.* XXXIII & alibi.

Continuemus iter noſtrum. Poſtquam heic unam noctem fuiſſemus, altero mane cum Conſule equos conſcendimus, valla & omnia circumpoſita munimenta, cum locis ubi caſtra regia fuêre, luſtraturi. quo facto, ad prandium; ab hoc ad iter itum eſt. Antequam cedis, forpiculas & cultellos elegantioris formæ, qui heic fiunt, coëmere potes.

Solum non ſolùm frumentum fert, ſed & vinum generoſum. intermixta ſunt querceta ad pag. *la Palliole*, I *mill.* ubi ſterilior pergit terra aliquam viæ partem; mox lætiora vineta ad pagum *Fond de l'eſtoile*; mox campi prunis conſiti eleganti ordine, & via jucundior ad fluvium uſque *Tarnin:* qui trajiciendus pontone, ponte per Montalbanos deſtructo & exuſto; naulum ſinguli equi ſolvunt duos ſolidos. à trajectu ad opidum *Moiſſac* ſub veſperam trans Tarnin ſitum venimus III *mill.* pernoctatum *à l'eſcu de France.*

MOISSIACVM.

Poſtrema urbium, quas *Tarnis* irrigat, eſt *Moiſsiacum* opidum, quod non ſolùm Albienſium factio afflixit, ſed Anglorum flammis & rapinis prope everſum jaceret, niſi poſt fugatos totâ Aquitaniâ hoſtes illos, & ab incolis qui ſupererant, & à vicinis populis inſtauratum fuiſſet. Nunc enim non inter ignobiles (dicit *Maſſon.*) Cadurcorum urbes habetur, opulentoque Benedictini Ordinis cœnobio illuſtre eſt, in quo D. Cypriani quies & ſepulchrum. Cives

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mercaturam exercent, vario frumento, vino, oleo, croco, lanâ, ſale & piſcibus.

Non longè ab opido hoc & intra primum lapidem Garumna Tarnis aquas invito ſimilis intercipit, ſemper turbidas & veluti flavas propter ripę & ſoli argilloſi naturam, à quo hujusmodi colore ſuffunditur; adeò ut Garumna limpidiores aquas vehens Tarnim refugere & faſtidire videatur, & per milliare & amplius ab eo diverſo tramite & ex obliquo fluere cernatur, ne vitreus & lucidus impari admixtione ſordeſcat. Sic Tarnis à Gabalis perpetuum curſum uſque ad Aginnates agit. *Maſſon.*

Moiſſaco abeuntes penetravimus pagos *la pointe de Moiſſac* & portum *Malauſium*; ubi Tarnis ſeſe Garumnæ undis commiſcet; *Pomovic* item, relictis ad ſin. *Obelar* opido, & *Godorville* arce ad dextram; Inde opida *Valence*, *Golfets*, & *pons de la Bargalone* ſunt, amni ſuperſtratus, non procul inde in Garumnam defluenti. *La Magiſtere* pagus, quem Garumna alluit, nos prandio excepit *à la poſte*, III *mill.* & *medio confectis*: heic prandio opiparis piſcibus è Garumna recollecti, per ignobiles quoſdam pagos *l'Eſpere*, *Mary*, ad arcem & pagum *la Foy* acceſſimus, relictis hinc inde in ſummitate collium arcibus; ſubque veſperam amœniſſimâ planitie, quamvis pluvioſo cœlo, ad urbem *Aginnum* II & *med. mill.* devenimus. hoſpitium, quo pernoctabamus, inſigne habebat *S. Franciſci de la grande barbe*. hoſpes interdiu cum hoſpitibus agebat, noctu cum cuſtodibus in carcere ob æs alienum.

AGIN-

AGINNVM.

GArumna *Agianum* Nitiobrigum urbem epiſcopalem (epiſcopus hic archiepiſcopo Burdigalenſi ſubeſt) fœlicibus glebis præſtantem fœcundo lapſu ſtringens fatiſcentibus pene horreis locupletat. Et quidem commendatur Aginnenſis provinciæ præfecturâ & prætorio regio, nec non memoriâ Phœbadii veteris epiſcopi, cujus meminit D. Hieronymus, (inquit *Maſſon.)* Extant adhuc medio in flumine prope urbem inſignes pilæ lapideæ, quæ antiquitus ibi pontem erectum & magnifici operis vetuſtatem teſtantur. Hæc civitas ſita eſt in regione pulchra, amœnâ, pingui ac fertili, judicataque una ex ditioribus & uberioribus Aquitaniæ totius, quòd eam irrigent tres amnes, Oltus, Duranus & Garumna: eſtque poſita in patentibus & latiſſimis campis. Videamus quid de ea Iulius Cæſar Scaliger ſcribit, qui Aginni domicilium ſedemque ſtudiorum fixit, epiſcopi Aginnenſis de gente Roverorum liberalitate adductus: *Agennum opidum eſt Aquitaniæ, ut incolæ jactant, princeps. Ceterùm neque hiſtoriarum, neque ullius memoriæ fide, ea fama illuſtris eſt. Nominis umbra modò Ptolomæo & Plinio, ſi tamen Ageſinates iidem ſunt, nota. Ager ubertate ſoli incertum eſt proſit-ne magis incolis, an officiat: ita annonæ ſpe ſuſpenſi omnia munia, non civilia ſolùm, ſed ruſtica quoque negligunt. Propterea animi cultui minus ſtudent. Si quis tamen ad literarum ſtudia ſeſe applicat, lucro illectus agitur eam in partem, cujus ope fortunarum ſuarum promoveat gradum. Id unum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

heic intuemur, ut acceptum patrimonium ampliore cenſu faciamus. Et ne unus quidem liber venalis habetur, præter IUSTINIANI *proventum, & Grammatices rudimenta. Per octoginta amplius miliaria ab extremo uſque orbe mihi petenda fuit interdum bibliotheca, Baſileâ, Florentiâ, Venetiis atque Româ.* Hæc de Aginno Iul. Scal. tradit in orat. pro M. Tull. Cic. contra Ciceronianum Eraſmi: nec à vero abeſt; nam clerus, ni fallor, Auguſtinianus, apud quem extat ſepulchrum Scaligeri, alieniſſimus erat à Latinitate; quid exiſtimarim de plebe opidana? Oſtendebatur nobis cranium nudum Scaligeri, acuto occipite & in rotunditatem protenſo; nec non ſepulchrum cum inſcriptione:

IULII CAESARIS SCALIGERI
QVOD FUIT.

Imò fuit omnis illa Principum gens Veronenſium. Non poſſum, quin è *Thuano* hæc adjiciam, *lib.* XXI: *Iulius Cæſar Scaliger, anno ætatis* LXXV *Aginni in Nitiobrigibus, ubi uxorem duxerat, deceſſit: vir, quo ſuperiorem antiquitas vix habuit, parem certe hæc ætas non vidit. nam ut nobilitatem omittam, de qua inter omneis conſtat, ingenio, animi & corporis robore ſimul omneis æqualeis ſuos facilè ſuperavit. Prima adoleſcentia militaribus muniis obeundis maxima cum fortitudinis ac ſolertiæ laude decurſa, &, quamvis ſero ad ſtudia applicato animo, tamen ingenii felicitate tantum profecit, ut ad exactiſsimam omnium philoſophiæ partium ſcientiam, etiam linguarum, Græcæ præſertim ac Latinæ, ſummam peritiam addiderit,*

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

atque in iiſdem uſum ſive pedeſtri ſive numeris adſtricta oratione ſcriberet; quo in utroque genere excelluit. Hic vir divinus cum veteribus comparatus, cùm nemo unus eſſet, qui eum, ſive ingenium ſive fortitudinem ſpectes, exprimere poſſet, Xenophonti & Maſſaniſſæ citra vanitatem componi meruit. Ex Andieta Rupia Lobejaca, nobili femina, cui annos XIII *natæ jam provecta ætate nupſit, plures liberos ſuſtulit; ex quibus ultimus fuit Ioſephus Iuſtus Scaliger,*&c. quem fuſo elogio vivum ibi Thuanus proſequitur, mortuum verò humat Lugdunum Batavorum in templo Gallicano. Monaſterium, in quo Iulius C. Scaliger quieſcit, ſqualidum eſt & incultum, præcipuè à fratribus ignorantiæ, Priſciano infenſis. *Ieſuitæ* tamen hanc urbem non inſuper habuêre excolendam. eorum collegium non ignobile ingredi tibi liberum.

Vrbs hæc olim *appennagii* loco Reginæ Margarethæ, divortium à qua Henricus IV fecerat, data fuit, quæ reditibus ejus fruebatur; nunc ditioni regis reſtituta.

Olim, anno CIƆ IƆ LXXVIII, *hac in urbe, menſe Iulio,* tripertita, *quam vocant,* camera, *juxta edicti Bergeraciani* XII *caput, inſtituta fuit;* XII *conſiliariis & duobus præſidibus, altero majorum religioni, altero Proteſtantium doctrinæ addicto, conſtans; quæ ita jus diceret, ut tertia pars in ſingulis judiciis ex eorum numero eſſet, qui Proteſtantium doctrinæ addicti eſſent.* Thuanus lib. LXVI. *Idem* lib. LXXIV ait: *Poſt delecti judices ex Senatu Pariſienſi, Petro Seguierio Præſide, qui, loco tripertitæ decuriæ, ex Senatu Bur-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

digalenſi Aginni Nitiobrigum ante triennium inſtitutæ, de Proteſtantium cauſis juxta XI *caput collationis Flexianæ cognoſcerent;* quorum ex numero tunc ſacri ordinis Senatorem ſe fuiſſe, ibi confitetur Thuanus.

Aginno diſcedentes, ſolo admodum pingui, juglandibus & vino divite, *duobus milliar.* ad opidul. *Clairmont bas* devenimus, ſic dictum ad diſcrimen alterius in Limania ſiti, de quo infrà. Medio mill. inde *portus S. Mariæ* diſtat, opidulum colli vitifero impoſitum, pro muris vites oſtendens, quibus mœnia veſtita undique ſunt. Ante opidulum prægrandis mons vitibus prægnans conſcendendus nobis erat, è quo ad ſiniſtram ſubjecta planities, vineis, pratis, hortisque diſcriminata, ſingulari quodam adfectu conſpici poteſt: nil dixerim de opidis, vicis & pagis hinc inde ſparſis. Duravit iter in monte hoc medium mill. ad pagum *Aſpelais*, cui arx adſita. Inde ad opidul. *Aiſguillon* med. mill. progreſſi ſumus ad prandium *à la croix blanche*. Opidum olim celebre ab irrita Ioannis, poſtea regis Francorum, tunc Ducis Normaniæ, XIV menſium obſidione. Paret viduæ Ducis Maynii in obſidione ultima Montalbani occiſi. Incolæ Reformatis ex hoc puncto maximè ſunt infenſi, pontificiæque religioni addicti. Heic ad vitæ ſuſtentationem nihil deſideres; vinum, frumentum, pecudes, piſces ſunt in abundantia; & hi ex *Oldo* (*Loth*) fluvio, qui mœnia Aguillioni lambit: Vbi trajectus fluminis, ſoluto medio ſolido pro equo, factus, continuatum iter eſt ad Garumnam, per pagos *Nicole*, *Heiget*, uno miliari, ad *Tonenſium* urbem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

urbem, nuperis bellis per Ducem Elbœufium in cineres & rudera redactam, ita ut nec urbis portæve alicujus extent veſtigia vel ſituatio. Mox fluviolus *Touſſac* trajiciendus; à quo per pagos *Hougerolles, Longeville, Coignos* II *mill.* viâ, ipsâ amœnitate amœniore, pernoctatum venimus in opidum *Marmandam*, diverſati apud III *reges*, & benè habiti, modò glirium multitudo nos in parte à ſomno ſuſpenſos non tenuiſſet.

Ad ingreſſum opidi, quod in colle jacet ad Garumnam, prope portam, ſaliens fons eſt, tribus æneis fiſtulis aquam ſalubrem, è vicina vinea adductam, ejiciens. Quod in opido notes, vix eſt; ædificia nullo nomine laudari merentur. De civibus hoc habe, quòd contra regem Guiſianis adſtiterint, numeroſas equitatus turmas domibus ſuis foventes. A commoditate loci & planitie campeſtri facile opus factu quâ commeatum quâ pabulum. Heic Garumna acceſſione Oldi fluvii intumeſcere primùm occipit, ſentiens æſtum Oceani Aquitanici, reciprocantem ſingulis VI horis; de quo apud Phyſicos digna quæ videatur eſt materies.

Hinc altero die *ſanctæ Baſiliæ* opidum attigimus, I *milliari*; & per pagos *la Motte, Montgaude* ad *Regulam* urbem (*la Reolle*) atque monaſterium opulento Benedictinorum cœnobio notum, pranſuri *à la poste*, venimus. *Maſſonius ex Aimonio* ait: *Monaſterium Regulæ in honore principis Apoſtolorum Deo dicatum in monte eſt poſitum. Qui videlicet mons à tribus lateribus, Orientali, Aquilonari & Occidentali, aliis cingitur montibus, à meridie Garumna*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vallatur flumine, periculoſiq; vallis voragine: ab Oriente inter ipſum & alterum montem vallis exiſtit perangusta, per quam fons meat, quam incolæ Moſellam nuncupant. Simili modo ab Occidente alterius fontis rapido alluitur curſu, cui Moſa nomen eſt. Hæc nomina à Francis illis impoſita æſtimantur, qui à Magno Carolo ad tuitionem provinciæ ibi relicti ſunt. Non longè quippe ibi abeſt palatium ipſius magni Principis Caſsignogilum, ſed quaſi tribus milliariis. In quo idem Imperator uxorem ſuam, Ludovici Pii matrem, gravidam reliquit: dum contra Saracenos expeditionem in Hiſpaniis ageret, &c.

Dimidiâ leucâ à Regula fluit parvus amnis, *Drot* vulgò dictus, non longè à vico *Girunda;* qui trajiciendus pretio I ſolidi pro equo. Hinc ſiniſtrorſùm *Vaſate, (Bazas,)* patria Auſonii, relinquitur, pergendo II leucis ad *D. Macarii* opidum, ubi Garumna Oceani æſtuantis fluxus & refluxus vehementiores ſuſcipit, bisque intra XXIV horas undas evomit ſuas & reſorbet: ſic progrediens *duobus* ab illo municipiolo *milliaribus* collem teſtaceum ſubter Baſilicam parochiæ *ſanctæ Crucis*, prætervehitur, in quo innumera oſtrea, vacua quidem, ſed vera & genuina, reperiuntur. Trans Garumnam à læva *Alingonis portus*, *(Langon,)* ultima Vaſatenſium urbs cum arce prætermittitur, genti Candalliæ parens. *Barſac* vicus ad ſiniſtram; *le port de Viole*, pagus in colle, cum arce ad crepidinem fluvii, & *Loupiac*, videntur, priuſquam I *milliar.* ad *Cadillacum* Eſpernonii domicilium devenitur. heic cœna à nobis amœno admodum ad Garumnam diverſorio extra

opidum

opidum ſumta, cui nomen *Bigin*, ubi angariæ ſunt.

CADILLAC

OPidum muris ac foſſis ſatis conſtat; verùm ARX magnifica, qualem omnis reliqua Gallia non habet, ipſi famam dat & adventantem allicit. *Situm* ſi ſpectas, amœniſſimus lucus ab altera, ab altera fluvius Garumna eſt: Si *ſtructuram*, certè regium vel me tacente eſt ædificium. Videamus hoc & ei connexa.

Foris, fundamentum è quadra baſi duriſſimi lapidis ſurgit ad faſtigiatum tectum, ſub ſe quatuor habens contignationes, feneſtris pari diſtantiâ ſibi reſpondentibus decoratas. Vbi ædificii ſummum eſt, amœniſſimus in ſubjacentem provinciam patet proſpectus: muri ſupremi plumbeis laminis induti, eroſionem ædificii, quæ per fluvium fieri aſſolet, impediunt; videas ibi canales plumbeos pluviam receptam deorſum evomẽtes. Vbi ingreſſus fueris aream ſpatioſam, videbis excavatum marmor ſinu ſuo excipiens vivam aquam per canales è fonte eductam: cujus ambitus XXXV pedum, diameter VII aſſeritur. *officinam* angulus aliquis habet, in qua è Pyrenæis marmora XXV leucis huc adportata, ſerris non dentatis finduntur, ædificioq́ue accommodantur.

INTùs, ipſum ædificium verè magnificum, *conclavibus* LX numeroſum, & regio adparatu videndum: numerare licet XX *caminos* è marmore variegato & ſibi diſſimili conclavia condecorantes. luſtra attentè; nullibi enim in omni Gallia regius ejuſmodi artificioſusq́ue ca-

minorum ordo & numerus. Regina mater ubi hoſpitatur, caminus habet nigram è marmore tabulam, quâ per feneſtras apertas Garumna præterlabens ſe oſtendit ceu in ſpeculo: heic ſcamna inaurata. Caminis artificioſiſſimè ſculptis pictor, gente Germanus, addidit venuſtas figuras convenientibus coloribus. Parietes peripetaſmatis auro & ſerico, priſco & novo more textis, integuntur, cum augmento magni pretii, auroque contrà non cari, variarum picturarum, quas mirari, non numerare, non rimari licuit. Quid ſedilia, lectorum conopea? quid pavimentum teſſellatum? dixerim fortè falſum, ſi tribus heic lineis deformarem.

Conclavibus viſis intende oculos in *cochleam*, quæ continuo greſſu ab ima ad ſummam ædificii partem ſcandit, ita ut in baſi & imo fornice conſiſtens per foramen eductum ſupremum arcis cacumen viſu adſequaris.

Fornices ibi ſubterranei, ædificium ſuſtinentes, egregii ſunt, nec non aliis uſibus ſervientes.

Sacellum, ſacris uſibus patens, triginta & plus mill. coronat. pro impenſis & decore requiſivit.

Arci cohæret *hortus*, ſpacioſus & cultus: area ludo (*palemaille*) deſtinata paſſuum eſt CCCC L: cryptoportici & xyſti in horto numerantur LXIV, cum cameris ſuis. inprimis verò herbi floriferaque illa concameratio magna memoriam refricat, in qua ipſus Dux Eſpernonius non rarò cibum ſumit. è tabulæ regione eſt fons ſaliens, cui Neptunus ex ære, totus nudus impoſitus, per omnia membra aquam ejicit; nec pudendum eſt opertum; imò pro aſſer-
tione

tione te vidiſſe regium hunc hortum, notare habes ſingularia circa præputium; ita lex horti habet. Nemoroſa vallis, amniculo *Lille*, qui tribus milliaribus abhinc à *Langrans* oritur, diviſa, cui pons pervius incumbit, circumdat hortum, alens cuniculos, proſcriptis omnibus infeſtis animantibus.

Exituro oſtenditur *equile* & ſphæriſterium, & in vicinia monaſterium *Capucinorum*. Quibus luſtratis ſummæ operæ pretium eſt, ęquum reddas honorarium.

Cadillaco abeuntes, aliquam itineris partem cis Garumnam fecimus, donec oppoſitum haberemus *Podenſacum;* ubi magno labore trajiciebamus flumen, ſolutis tribus ſolidis pro equo. *Podenſacum* olim urbs munita fuit, nunc pagus lacerus & deformis. *Chron. Burdigal.* referunt hæc: *Arnoldus Comes-ſtabuli Galliæ cùm ob homagium, Philippo Pulchro à rege Angliæ de Ducatu Guiennenſi præſtitum, arma & militem in Ducatum induceret, Burdigalâ confinibusq́ opidis Philippo ſubjectis, Rionium & Podenſacum reſtitêre, obſidionemq́ aliquandiu ſuſtinuêre; ſed poſtea captæ, muris dejectis in pagos abierunt, anno Chriſti* cIↄ cc xciii.

Trans Garumnam ſabuloſum ſolum habuimus; à dextra Rionium (*Rions*) relictum. per pagos *Pirelade, Arbanac, Portes* itio facta eſt ad vicum *Caſtres* ii *& med. mill.* Vbi prandiolo ſumto *à S. Martin*, perreximus per querceta *tria milliar.* Pagi *la prade, Cadenſac, pont de Langon, pont de la Maye, l'Eveſque de S. Iean* penetrandi. poſtea vineæ cultiſſimæ ſeſe offerunt, & pagus BEUGLES; in quo templũ & ſacra

ſua

ſua habent ii, qui Burdigalæ Reformatæ addicti ſunt religioni, numero plures clↄ. Inde 1 *circiter mill. Burdigalam*, celeberrimum Aquitaniæ emporium, ingreſſi ſumus, ſub ſigno *au chapeau rouge.*

BVRDIGALA.

SEneca cap. 1 de vita beata ait: *Nihil magis præſtandum eſt, quàm ne, pecorum ritu, ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed qua itur.* Quo moveor, ut aliâ viâ ineam & peream hanc urbem, quàm alii præ me fecêre; quod pace eorum liceat. rerum momenta ab iis commodatò ſumta, noſtræ huic hederæ aliâ methodo & ordine ſuſpendemus, ut, quæ in prioribus noſtris, eadem & heic urbis ſit facies.

Burdigalæ igitur conſideratio eſt vel *externa* vel *interna*. *Illa* in nominis conſideratione; quò caput 11 appendicis Itiner. Sinceri applicetur: *iſta* in MATERIALI & FORMALI.

Materiale eſt reſpectu vel *totius*, vel *partium.*

TOTUM habet *terram, aërem* & *aquam.*

Quo ad *terram*, conſidero 1 *ſitum* urbis, reſpectu provinciæ. (*Sinc. cap.* 1, *pag.* 358, *edition. Genevenſ. anno* 1627.) 2 *formam*, ad quam ædificata; quò longitudo & latitudo, (*Sinc. p.* 397,) nec non magnitudo. *Idem pag.* 400. 3 *qualitatem* & *fertilitatem*, (*p*,402,) in pecoribus & avibus, (*p.*427,)in vino. (*p.*403.)

Reſpectu *aëris*, dicit Auſonius:

——— *Clementia cæli*
mitis ubi, &c.

Re-

Reſpectu *aquæ*, eſt OCEANUS, GARUMNA; quò PORTUS, & alii FLUVIOLI.

Oceani ab urbe ſitum vide apud *Sinc. pag.* 404; ubi de oſtio: de oſtreis verò *p.* 428.

Garumnæ fluxum habet *Sinc. p.* 403, & *portûs-commoditatem p.* 418. Liceat cum Michaële Hoſpitali, docto & gravi Poëta, appellare

—— *Terraq; mariq; potentem*
Burdegalem, portus ubi fluminis unda capaces
Mille carinarum facit æstu inflata marino.

Maſſon. p. 553 ex *Petro Pitheo Iuriſconſulto* ait: *Civitas Burdigala, ubi eſt fluvius Garumna, per quem facit mare Oceanum acceſſa & receſſa per leucas plus minus centum, ita tamen ad Burdigalæ litus ſuas undas exporrigit, ut lunato ſinu* bicornum portum *effingat; idcircò ab exteris* portus Lunæ *dicitur.* Hoc unum ſilere non poſſum, quòd cùm ab ipſis Garumnæ fontibus ad litus Santonum, ripa, quæ occidentem ſpectat, collibus amœniſſimis aſſurgat, non ſolùm vitibus, ſed & variarum arborum genere conſitis, tùm maximè Burdigala inter cæteras hoc ornamento decora ſplendeat. ex adverſo enim inter vitiferos colles eminet clivus in orbem & occidentem, hoc uſu perantiquo præ cæteris viſendus, quòd ab ultima antiquitate hic mos ibi ſervatur, ut, qui Burdigalam vinum aut aliud quid mercis exportaturi veniunt, illis ſolvere non antè liceat quàm cupreſſinum ramum à Quæſtore regio acceperint. Quo facto pendit quælibet navis quinque aſſes ſive ſolidos Turonenſes; quod vectigal ramum vocant.

Duo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Duo alii *fluvioli* ſunt DIVICIA & PEUGA. *Sinc. p.* 420.

Ita *fuit Materiale reſpectu totius;* PARTIUM reſpectu, eſt illud in *externis* & *internis*.

Externa ſunt PORTAE XII. *Sinc.* 401. quibus adjicio ludum *palemaille* in ſuburbio. *Sin.* 431.

Interna, ſunt PLATEAE, (*Sinc. p.* 395, & *ſeq.*) & AEDIFICIA. Hæc vel PUBLICA vel PRIVATA. Publica SACRIS vel PROFANIS dicata uſibus. Ad ſacros uſus refero TEMPLA, ACADEMIAM, & XENODOCHIA.

Inter templa cathedrale eſt D. ANDREAE. *Sinc. p.* 432. in quo epitaphium Lucillæ, (*Idem p.* 392,) & organum muſicum, formâ & opere quod totius Galliæ dicitur ampliſſimum. Penes templum eſt *aula archiepiſcopalis*, quam Cardinalis inhabitabat Surdæus. archiepiſcopus dicitur Primas Aquitaniæ, qui litem de primatu cum Bituricenſi multos annos habuit. *Sinc. p.* 463.

Templum D. AUGUSTINI monumentum habet ultimi Ducis gentis *Candalæ*, è nigro & candido marmore, ſuffultum IV ſtatuis ex ære. *Sinc. p.* 453.

Templum SEVERINI, cui merum & mixtum imperium tribuitur. In hoc S. Severinus ſepultus dicitur, cui tantam ſuperſtitionem olim exhibuerunt cives, ut in prælium non ierint niſi priùs in ara Severini epiſcopus enſem & arma conſecrarit. Iuxta aram eſt baculus S. Martialis, admirandæ efficaciæ. Cœmeterium habet ſacellum ad lævam totius urbis antiquiſſimum. Sunt prætereâ ibi c circiter

tumuli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tumuli antiqui; inter quos eſt tumba ampla, ſinu ſuo aquam fovens perpetuam, quæ ad lunæ incrementum & decrementum, ut ajunt, augeſcit atque decreſcit. *Sinc.* 433.

Templum S. LOY parvum eſt; cujus antica pars ſoleis ferreis veſtita eſt. ſuperſtitionem habent, equos morbidos curari per hujus Sancti invocationem.

ACADEMIA habet tria collegia. *Sinc.p.* 438, *& ſeq.* inter quæ Ieſuitarum eminet, anno cIↃ IↃ LXXIII inſtitutum à Baulonio, regis eo loci ubi antea erat Prioria S. Ioannis. Accedit collegium RAPHAELIS. *Sinc. p.* 468, *& ſeq.* Huc referendi viri docti. *Sinc.*441, *& ſeq.*

XENODOCHIUM, in quo epitaphium Boërii Iuriſconſulti; cujus inſcriptio non poteſt legi. obiit improlis, deſtinans ædes pauperibus, & Senatui bibliothecam. *Sinc. p.* 432, *&* 468. Guilielmus Dux Guiennæ, poſtquam ad Iacobum Gallicienſem autore S. Bernhardi peregrinationem ſuſcepiſſet & finiiſſet, redux in honorem D. Iacobi multis ſumptibus inſtituit xenodochium, anno cIↃ C XIX. In hoc xenodochio voluit exciperentur ad D. Iacobum peregrinantes; puerique expoſititii alerentur & educarentur ad pleniorem uſque ætatem.

POLITICIS uſibus dicata ædificia ſunt:

ARX UMBRARIA. *Sinc.* 434. ubi nunc ſedes *Parlamenti. Sinc.* 465. quod tribus præſidiis & XIIX conſiliariis Carolus IIX confirmavit; Ludovicus verò XII ampliavit. In hoc eſt CAMERA EDICTI, conſtans duobus Præſidibus, catholicæ & refotmatę religionis; XII conſiliariis, quorum VI hujus, ſex illius ſunt religionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

gionis. In hac curia munus Advocati quidam geſſit; nomen reticere malo; vir non vulgariter doctus. Hic aliquando melancholiæ plus juſto indulgens, maximam penis partem ſibi præſcidit, hacque parte ademtâ ineptus ad concumbendum factus. Interrogatus qua de cauſa id feciſſet, reſpondit; ſe rem Deo gratam præſtitiſſe, occaſionemque nactum, caſtitatem, rem Deo placentem, exercendi. Non abſimile legitur de Origine, qui, ut caſtitatis votum ex voto impleret, teſticulos ſibi ademit.

II. BASILICA URBIS ſive CURIA, cujus ædificium ſpatioſum ſatis, minùs ſpecioſum, niſi ob antiquitates Romanas eò tranſportatas. Exeunti ex intimiori curia ad lævam ſub dio obveniunt (*Sinc.* 387, & 437) antiqua marmora, (*Sinc.* 380, 367, *& ſeq.*) tres ſtatuæ, (*pag.* 381,) & inſcriptiones. (*pag.* 382, 383, *& ſeq.*) Intranti verò ad lævam oſtenduntur monumentum duorum conjugum, (*Sinc.* 388,) ſigillum Neronis, & alia. (*Id.* 389.) Notes ibi, nec præ-tereas conclave Belgici pictoris, qui icones regum, reginarum, Cardinalium, & ſimilia alia oſtendet. In ipſo Curiæ conclavi, ubi conventus habentur, effigiem Ludovici XIII cum uxore videbis, cum hac inſcriptione:

Anno Chriſti cIↃ IↃ cxv Ludovicus XIII Galliarum rex ibi nuptias celebravit cum infante Hiſpaniarum Philippi III regis filia primogenita, frementibus Condęo, Bullionio, aliiſque Principibus & confœderatis.

Regis

Regis reginæque latera jurati opidani ad vivum depicti circumdant.

A curia hac ibimus III, ad AULAM MERCATORUM, illis *la borſa*, curiæ è regione oppoſitam, inſtitutam anno cIↃ IↃ LXXVI, ad mercatorum lites dirimendas, more Pariſienſis & Lugdunenſis; anno nimirum, quo Parlamentum edixit, ut Normannus ille mercator omnes Aethiopes & mancipia, quæ ibi venum habebat, libertati reſtituta dimitteret; Gallia ſiquidem libertatis mater & defenſatrix nullam ſervitutem admitteret. Quod in aula hac notes, eſt *porta cum duabus columnis*, quibus inſcriptum: *Pietati* & *Iuſtitiæ*. ſub regis verò inſignibus ſequentia:

Fidei juſtitiæque ſacrum
MercatorumBurdigal.ordo opus hoc
ex Dei Princi. benefi-
cio ac juſſu inſtituit, cujus prima fun-
damen. Ioannes Riniacus
mercalium rerũ judex, Pe. Salvagius &
Ioa. Pratanus conſilia-
rii jacienda curaverunt. menſe mart.
ann. Chriſti M D LXXI.

dextrorsùm:

Ton Dieu ſur tout aime d'amour extreme,
Et ton prochain ainſi comme toy meſme.

ſiniſtrorsùm;

Au magiſtrat rend humble obeiſſance:
Il a de Dieu ceſt honneur & puiſſance.

Hinc IV ad ARMAMENTARIUM, curiæ proximum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mum. *Sinc.* 438. In quo moletrinam pulveris nitrati notabis, & tormenta, eaque pauca.

v. Arces duæ videantur inſigniores. altera quarum dicitur du FAR ſive HA. *Sinc.p.*434. altera TROPEITA. *Id.* 435.

Hinc VI, ad *Podium Paulini* eatur. *Sinc. p.* 435.

VII. Nec inſuper habeantur *quadratorum murorum reliquiæ. Sinc. p.*375. nec *rudera amphitheatri ſive palatium Galieni. p.* 377. *nec palatium tutelæ. p.* 379.

Dicerem VIII de *fonte antiquo*, ſi quædam ejus extarent veſtigia; conjecturas habent à canali plumbeo quondam in horto Conſiliarii Parlamenti *de Lange* invento, aquæ limpidæ & fluentis pleno, inſtar alicujus aquæductus. Olim Auſonius eum commendavit:

Salve fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſapore illimis, opace.
Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu,
Divona, Celtarum linguâ, fons addite Divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemauſus
Purior: æquoreo non plenior amne Timavus.

IX. Nec neglegantur TURRES urbis, inprimis illa quæ Curiæ prope eſt, è qua urbs circumfuſa egregio conſpectu patet.

X. Si margaritis unionibusque delectas, *domicilia Portugallenſium* adeas, *le quartier des Portugais.* ſin feſſus ab omnibus his viſis, quæ modò dixi; *tabernas vinarias* ad Garumnam ſtructas, *(aux chartiers;)* videbis mille mille ibi dolia vini; & guſtabis, ſi lubido eſt.

Tantum *de publicis ædificiis:* Inter PRIVATA ſunt:

Aedes

Aedes Condæi. (Sinc. 439.)

La maiſon du Duc d'Eſpernon, ædificium in parte veteris urbis muro adſtructum.

Extra urbem item: *hortus Ramundi & pinacotheca; (Sinc. 440;)* ubi ſtatua Iovis, *(id. 390;)* D. Adriani, *(ibid.)* duæ ſtatuæ proceræ, & lapis rotundus cum inſcriptione. *(p. 391.)*

Hortus item & *Cardinalis de Sourdis palatium,* dignum à ſtructura, fontibus, fructibus & picturis, ut videatur. Ianua habet dicta ſacra: atrii ingreſſus oſtendit Luciferum, ſiniſtrâ ab angelo vinctum, qui dextrâ cœlum monſtrat:

Monſtrat iter dextrâ, quæ ſit tutiſſima ſedes,
Angelus, & ſummi proculcat Numinis hoſtem.
Pergamus, quò dextra vocat; docet illa ſalutẽ:
Mergit at, infernis teritur qui calcibus umbris.

Caminus omnium purpuratorum patrum ſub pontifice Paulo V oſtendit effigies. Præcipuum, quod heic notes, eſt *xyſtus* ſive galeria, longitudine XCIV paſſ. Tabulæ artificioſiſſimâ manu Ludovici Paſquil Hiſpani, Ordinis Carthuſiani, pictæ utrumque veſtiunt parietem. Ad finem eſt *reſurrectio Chriſti,* & *aſſumtio Mariæ,* cum emblematis adpictis. Videamus utrumque latus.

Siniſtrâ conſpiciuntur:

I, Victoria Conſtantini Magni contra infideles:

Neſcia crux vinci certi præſaga triumphi
Victricem Chriſto vindice ſpondet opem.

II, Ima-

II, Imago Iohannis Baptiſtæ:

Caſtus eques Chriſti caſta pro virgine pugnat;
Talia commovit prælia caſtus amor.

III, Tranſlatio imperii Romani per Gregor. III ad Carolum Magnum, ejuſque coronatio:

Imperii ſummus transfert moderamina Præſul:
Nec mirum; partes ſuſtinet ipſe Dei.
Carolus Imperii Magnus diadema capeſſit;
Romani Regem non habuêre parem.

IV, Effigies D. Bernhardi, januas aperientis, ducemque Chriſtum in cœlo monſtrantis.

Mente ducem timidâ Chriſti præſentia flectit,
Depoſitoq; lupi pectore formar ovem.

V, S. Franciſcus ſtigmatibus Chriſti decoratus:

Infigit Cherubin Franciſco ſtigmata Chriſti;
Huic animus ſacro ſaucius igne calet.

VI, Imago Brunonis.

Bruno ſapit vagi fugiens ſpectacula mundi.
Delitiis mundi vivere deſipere eſt.

VII, Effigies Mariæ Patri & Filio offerentis Franciſcum & Dominicum.

VIII, Benedictus & ſoror ſcholaſtica vitam monaſticam reſtituunt.

IX, Franciſcus de Paula.

X, Imago Ieſuitæ Xaverii; ſubtus em-

emblema, pugio à ſerpente circumdatus cum corona, & verbis: HIS DUCIBUS.

Dextrâ conſpiciuntur:

I, Paulinus, pro redimenda filia viduæ ſe in mancipium dat.

II, Martinus menſæ accumbens, cui famulatur regina.

Sedula Martini menſæ regina miniſtrat;
Sæcula priſca ſacros ſic coluêre Patres.

III, Hilarius mortuum reſuſcitans.

De ſuperis revocat functum vitalibus auris:
Fulta Deo pietas ardua quæque poteſt.

IV, Hieronymus cum leone ludens.

V, Auguſtinus Triunitatis myſterium expendens.

Aequor inexhauſtum fundis concludere foſſis
Tentas: credere fas; ſed penetrare nefas.

VI, Ambroſius Cæſarem excommunicans.

Cæſar ab Ambroſio ſacrâ depellitur æde.
Imperium Præſul Cæſare majus habet.

VII, Gregorius morbidos ſanans.

Gregorius peſtis ſupplex contagia pellit.
Quod Medici nequeunt, hoc potuêre preces.

VIII, Carolus Cardinalis de ſuggeſto orationem habens.

Moribus & verbis cultum reſtaurat avitum;
Non alio pietas reſtituenda modo.

IX, Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

IX, Martyrium Thomæ epiſcopi Cantabricenſis.

X, Pontifex Amandus Severino adminiſtrationem committens.

His ſingulis viſis, adi *ſacellum*, in quo Chriſti effigiem videbis à Luca euangeliſta penicillo formatam.

Hucuſque *Materiale* vidimus; FORMALE eſt in *ſtatu pacifico* & *turbato*.

Pacificus reſpicit MAGISTRATUM & CIVES.

Magiſtratus olim ad formam Romanam conſiſtebat in conſulatu annuo. (*Sinc. pag.* 461, *&* 470.) Hodiè magnus *Seneſchallus* eſt. (*id.* 464.) Inſuper collegium *Majoris* & *Iuratorum*. (*Sinc. p.* 472, *&* 475.) Nam Henricus II rex Galliæ anno cIↃ IↃ L, reſtitutis urbi huic privilegiis & libertatibus, corpora & collegia reſtauravit, reducens ea ad *Majorem unum* & VI *Iuratos*, *Procuratorem* I & *Secretarium*; ita ut Major & Iurati gubernent biennium, more Pariſienſis magiſtratus, ſingulisque annis tres Iurati eligantur, unà cum XXIV Senatoribus. Majori & Iuratis conceſſa eſt poteſtas eligendi Procuratorem & Secretarium, deque aliis civitatis officiariis diſpenſandi.

Quoad CIVES, negotiantur illi panno Hiſpanico & vino heic nato. gaudent binis nundinis, I mart. die, & XV octob., durantibus ſingulis XV dies. Eorum privilegia & conſtitutiones aliquas adjicemus, quæ in viridi obſervantia fuerunt circa annum cIↃ CCC XIV: *Patres habebant in liberos jus vitæ ac necis, ut & mariti in uxores.* Vir uxorem *ex ira aut doloris impatientia*

tientia occidens, modò ſolemni juramento pœnitentiam declararet, omni pœnâ erat exemptus. Mas & *fœmina in adulterio deprehenſi fune utrinq; genitalibus alligato per urbem trahebantur.* Nuptiæ *de die fiebant, non noctu.* Convivia *nuptialia & funebria legibus municipalibus definiebantur.* Mulcta *pecuniaria civium non poterat* LX *ſolidos excedere; adeò tum erant exiguæ illorum facultates.* Anno cIↃ. ccccxI aliæ leges conditæ fuerunt. *Debitor in urbe non poterat eligi Iuratus. Meretrices & lenæ incederent diverſo ab honeſtis fœminis habitu. In generale civitatis conſilium ſi quis vocatus non veniret, ei non modò mulctæ imponerentur, ſed & fores à lictoribus rumperentur. Vt Medicinam illic facturus primò coram collegio Medico theſes quaſdam propugnaret: deinde ſi idoneus reperiretur, fidelitatis juramentum Majori & Iuratis præſtaret, &c.*

Tantum de *ſtatu pacifico.* TURBATUS Burdigalæ ſtatus conſiſtit in motibus bellicis, ſeditione, fame, peſte, prodigiis. *Sincer. p.* 453, *& ſeq.* Iis adjicit Luporum & Capotiorum hiſtorias. *p.* 458, & *ſeq.*

Adjiciemus nos lanienam & tumultus noviſſimos. LANIENAE *patrandæ, referente* Thuano lib. LIII, ad ann. cIↃ IↃ LXXII, *auctorem & præcipuum incentorem Enimundum Augerium è Claromontano ſodalitio habuerunt; qui & Franciſco Bauloni Senatori Burdigalenſi admodum locupleti, ut ab uxore diverteret, perſuaſiſſe dicebatur, ejuſq; opibus ſublevatus opimam in ea civitate ſcholam fundaverat. is in concionibus, ad exemplum Pariſienſium, cùm, ut ali-*

aliquid dignum pietate ſuâ auderent, aſtant eis cottidie inflammaret, tum S. Michaelis die, cùm de angelis gratiarum Dei & ultionum miniſtris ageret, quæ Lutetiæ, Aureliani & aliis locis acta eſſent, ea ab angelo Dei patrata ſæpius repetito ſermone identidem inculcaverat, & ſubinde Romanum Mulum regium cognitorem & Carolum Monferrandum urbis gubernatorem ſuæ factionis homines, ut ſegneis & in eo negotio tepidos, palàm & in privatis colloquiis increpabat: qui Proteſtantibus publicè ad conciones conveniendi libertatem interdixiſſe, & portas urbis ſtationibus appoſitis cuſtodire contenti, de cetero à vi & cædibus abſtinuerant; à Strozzio Rupellæ imminenti, & qui, ne ea res conatibus ſuis incommodaret, verebatur, ut creditur, moniti. Sed cùm ſub id tempus Monpeſatus Blaviam veniſſet, quaſi fundendi ſanguinis ſignum ejus adventu datum eſſet, quidam in opido interfecti. ubi verò ille Burdigalam appulit, plebs fremere, ſeditioſi huc illuc diſcurſare, Enimundus in concionibus plus ſolito intonare. Ad extremum, poſt aliquot dierum, occulta Monpeſati cum Monferrando, incertum vetantis an ſuadentis rem, colloquia. cùm Monpeſatus abiiſſet, paullò pòſt dyſenteriâ extinctus, V non. novembris, qui in veneris diem incidebat; urbis conſules cum decuriis ſuis, ſicuti juſſi erant, in Monferrandi ædeis poſt prandium venêre, adductis ſecum perditæ vitæ & proſtitutæ audaciæ ſicariis, à Petro Leſtonaco conductis; mandatoq; ab eo accepto, per urbem ad cædeis diſcurrunt, rubris pileis (id erat inſigne ſanguinario conſilio conveniens) conſpicui. A Ioanne Guillochio & Gul.

Sevino

Sevino Senatoribus initium factum, quì in ſuis uterque ædibus ſtatim direptis crudeliter interfecti ſunt. Bucherus item Senator grandi pecuniâ cùm vitam à Monſerrando redemiſſet, vix periculum evaſit, cujus & ædes direptæ ſunt. Inde promiſcuæ per urbem factæ cædes & rapinæ, totoq; triduo CCLXIV *homines occiſi memorantur, multoq; major cædes edita eſſet, niſi Buccina & alterum urbis caſtellum pleriſq; opportunum perfugium præbuiſſet. Iacobus Benedictus Largabaſtonus Curiæ princeps periculum mortis in eo tumultu adivit, vixq; ope amicorum ſervatus eſt, &c.*

De noviſſimo tumultu, nec ſine ſanguine nec cæde qui fuit, audi eundem *Thuanum lib.* XCIV, ſub finem, ad annum CIƆIƆXXCIX, dicentem: *Eodem tempore & Burdigalæ tumultuatum eſt. jamq; munitiones in urbe à conjuratis erigebantur, captâ Sanjulianâ portâ; & Conſules ad ſtrepitum accurrentes primo impetu repulſi fuerant, cùm Iacobus Gobio Matignonus E. T. Aquitaniæ præſes ſummâ animi præſentiâ cum delectis è nobilitate comparuit, pedes per urbem diſcurrens; qui ſigno dato arcis Buccinæ præſidiariis, ut tormentis diſploſis confluentem plebem armatam terrore injecto diſturbarent, motum compeſcuit. Pauci ex iis interfecti, ceteri huc illuc dilapſi. quorum plerique ſe per portam, quam ceperant, urbe ejecerunt; reliqui per funeis ſe è muro demiſerunt; capti duo, & mox laqueo ſuſpenſi. Tormentis ſubjecti compoſitum inſidiarum ordinem detexerunt; pridie feſti Paſchatis inter conjuratos conveniſſe, ut Matignonum in ædibus ſuis oppreſſum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

pugionibus confoderent, atque è veſtigio machinas belltcas in ædibus publicis depoſitas ad arcem admoverent, & propoſito Matignoni cadavere territos præſidiarios ad deditionem compellerent. Matignonus, quâ erat animi moderatione & prudentiâ, ulterius in conſcios inquiri noluit, ne in ſacri ordinis infamiam res verteret; contentusq; fuit, quo conſpirationibus hujusmodi inpoſterum præverteret, Patres IESUITAS *auctores urbe exigere, qui Aginni Nitiobrigum, & Veſunæ Petrocoriorum, quæ civitates ſub id rebellarunt, perfugium habuerunt.* Hactenus Thuanus & nos circa Burdigalam.

Quam relinquentes, navigiis conductis abivimus *Blaviam;* alterum habebat equos, alterum nos; pro ſe & vectore quilibet ſolvebat XXII ſolidos Turonenſes. Primùm obvenit dextrorsùm vicus cum arce *Larmond,* ſub Cardinale Burdigal. Proximum ſequitur *Burgus,* IV *milliarium*, opidum antiquum, & validum bello, à Paulinis ejus auctoribus ad confluentes Garumnæ & Duranii fluviorum poſitum. Tantus verò, inquit *Maſſon. pag.* 591, ab hoc Duranii oſtio Liburnam uſque Oceani æſtus intumeſcit, tantoque impetu præcipitantes ſe undas repercutit, æquinoctio præſertim autumnali, ut in ipſo æſtus primordio ſcaphas in litore poſitas evertat, majora navigia momento in altum evehat, & vaſto cum ſtrepitu terrorem & pavidos metus exteriùs hominibus hujuſce rei ignaris incutiat; ita ut attoniti res humanas iterum diluvio commiſceri putent. Hunc æſtum incolæ *Maſcaret* vocant: tantaque eſt vis conſuetudinis, ut Liburniæ pueri

pueri in ipſo litore intrepidi hunc ęſtum libenter & exſpectent & excipiant. Duranius ſui naturâ mucoſus eſt, & parùm nitidus, quæ res efficit, ut Garumna, qui aquis perſpicuis & puris gaudet, niſi cùm imbribus & ſolutis Pyrenei nivibus prætumidus vix intra margines ſuos cohibetur, piſcium omnium copia à Duranio ſuperetur. Alit enim multos barbos, lucios, carpiones, alauſas, anguillas, lampretas, ſalmones, gabiones, ſturiones, & aliorum piſcium vim infinitam. Honos autem maximus menſarum *carpio* habetur, quem in Duranio & Ella piſcari vulgus ſolet; ac reperiuntur in eo troctæ ſingulares. Et id quidem flumen Arari penè parem, aut nihilo majorem viatores putant. Cives, durante inter Gallos & Anglos bello arctiſſimum cum Burdigalenſibus fœdus fecerunt. anno cIɔ Iɔ LXIX Pilius, reformatæ religionis miles, opidum hoc, magni momenti ad comeatûs ſubvectionem, intercipere conatus fuit; ſed, à Monlucio in tempore ſummiſſis, obſidionem ſolvere coactus eſt. *Thuan. lib.* XLV.

Heic navigantes vidimus Garumnam jam latiorem, & magni in ſpeciem freti, receptis fluviolis *Burdâ* & *Galâ*, ad promontorium, quod accolæ vocant *Bec d'Ambez*, (*Beccum ambarum aquarum*) porrigi. Ibi in frontiſpicio rupes conſpicitur *la roche d'Eſtaux*: & *Duranius* ſive Dordonia, fluvius Garumnam conveniens, nec alvo nec æſtuoſo aquarum impetu diffuſus magis, totum eum terrarum tractum humectat; ait *Maſſon. pag.* 555. Exin à dextera perpetuo ſemper colle & vitium cultu fertili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ad *Blaviam* opidum arcemque munitiſſimam II *milliar.* pertingit.

BLAVIA.

HEic navigiis egreſſi modico prandiolo *à la croix blanche* reſecti ſumus. Blavia olim erat ſub diſpoſitione viri ſpectabilis, Ducis tractûs Armoricani; ut videre licet in Notitia imperii Romani: (inquit *Maſſon.*) & hodierno die cuſtodes vigileſque habet perpetuos, qui ex eodem loco tamquam ex ſpecula, quid contrà Garumnâ rerum afferatur, diligenter obſervent: inolevitque mos ab expulſis Aquitania Anglis in hunc diem, ut minimè his liceat navibus Burdigalam tendere, niſi priùs ante Blaviam ſupparum & reliqua vela ſubmiſerint, & poſitis anchoris tormenta ænea conſignarint, arciſque præfecto ſingularium navium ergò aureum perſolverint. Veteribus appellabatur promontorium Santonum, eò quòd in finibus Xantoniæ ſita ſit *Blavia*, turribus & propugnaculis benè munita.

Flagrantibus bellis civilibus urbs regi Henrico ſeſe oppoſuit anno cIↃ IↃ XCIII; quam cum caſtro Matignonus Franciæ Mareſchallus ipſo natalitio feſto mari & terrà obſedit. Præſes loci Luſſanus ad anguſtias redactus, auxilia ab Hiſpanio ſollicitans, XVI naves bellicas impetravit. Vnde ancipiti Marte utrimque pugnatum eſt; verùm, Matignono obſidionem ſolvente, Luſſanus caſtrum cum opido regi obtulit. lege *Thuanum lib.* CVII.

Caſtelli hujus dominus quondam fuiſſe dicitur Rolandus, Caroli M. nepos; & heic humatus;

matus; cujus & arma etiamnum incolæ oſtendere volunt.

Caſtro, ſi admittère, viſo, quod ab opido ſeparatum, ingredere templum opidi S. Romani, in quo Chariberti regis Pariſiorum tumba, qui Clotarii I Regis fuit filius primogenitus.

Blaviâ, ſi te committere voles Garumnæ ſecundo, XIII *milliarib.* ad oſtium fluminis, videbis *Corduanam turrim, la tour de Cordoan.* pharos ingens eſt, à multis ſæculis conſtructa, navigantium curſus regens. Ea cùm imbrium & ventorum tempeſtate, nec non inſanis Oceani fluctibus, ruinam minaretur, tamen Principis beneficio, anno cIↄ Iↄ LXXXIV, architectore regio *Ludovico de Foix*, & impenſis publicis, inſtaurata eſt; ſed adeò egregiâ & divite operâ, ut ipſam Alexandriæ Pharon tot ſcriptorum & ſæculorum famâ præſtantem ſuperet. Ex quâ lucerna accendenda duobus eremitis mandatur: quibus alimenta, ſigno dato, ex vicino opido vel pago deferuntur ex vectigali quod à ſingulis navibus ejuſce rei gratiâ Burdigalæ penditur. Turris ipſa in ambitu ſuo habet paſſus LXXV, in diametro XXV. fundamenta ſunt egregii operis: tota moles è quadrato lapide intùs & extùs affabrè inciſo conſtat. Exedras habet IV; quarum ſecunda oſtendebat VII pyramides, ſingulas utrinque duobus globis auctas. Conclavia ſunt ſpatioſa & ornata; in medio eorum eſt corona, cum inſcriptione ſymboli Henrici III regis; *Manet ultima cælo.* Gradus ſunt CCXV, quibus per concham aſcenditur ad ſummum, cui lucerna impoſita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Nos Blaviâ equis abivimus *Pontet* uſque ad pagum, I *& med. mill.* Vbi denſum quercetum, pagis aliquot mixtum, obvenit, ad pagum uſque *S. Aubin*, II *mill.* Inde campi & agri, ſed non adeò fertiles, pro viâ ſunt, ad pagum *le petit Niort;* in quo pernoctavimus *à la fontaine*, III *mill.* Paret verò *Marchioni de Mirembeau*, reformatæ religioni qui addictus, ſubditi contrà omnes pontificiæ. *Mirembeau* vicus, & arx *Perou, la Bergerie*, pagi, dicto marchioni ſubſunt. Ager frumenta & ligna fert, nec non vinum, ad pagum *Belougre.* Quem ſequitur opidum *Ponts;* ubi IV *mill.* confectis pranſum divertimus *à l'eſcu de France.* Opidum à pontium ſubliciorum ingreſſu nomen habet, ſitum in colle, hortis gaudens amœnis, ad *Singonam* fluvium; qui, è tractu *Albæ terræ* veniens, abundat percis, troctis, carpionibus; & plures inſulas ad opidum hoc facit; ſunt enim IV pontes.

Paret Dominis de PONTE, antiquiſſimæ familiæ. Ibi inventi ante aliquot annos lapides

ſunt cum verbis:

DIVUS CAIUS IULIUS CAES. IMPER.
AELIUS PONTIUS NEPOS ROM.
MAG. TUMUL.

A prandio, agro in plano, minùs verò frugifero, ad vicum *les arenes tribus milliaribus* perreximus; unde *uno milliari* diſtabat opidum SAINCTES; ubi manſuri hoſpitabamur *à la croix blanche.*

XAIN-

XAINCTES.

REgio hæc ob fertilitatem nomen habet, *la Perle de France*. Metropolis eſt *Saintes*; quam alluit fluvius *Carantonus*, in Limania oriens; opida Coignac & Soubize lambens, in mare ibi ruit. In hac urbe plures Romanorum antiquitatum reliquiæ videntur, ut amphitheatrum, aquæductus; ponsque ipſe lapideus, quo Carantonus alluens cernitur, hanc inſcriptionem habet:

CAESARI NEP. DIVI IULII

PONTIFICI AUGURI.

Campanile S. Petri in ea urbe à Pipino Aquitaniæ rege exædificari curatum, pulchritudine operis atque artificii præſtantia cætera Aquitaniæ campanilia vincit.

Sequenti die, meliori agro, & frumentifero, ivimus II *mill.* ad vicum *S. Iames*. inde pons totius Galliæ longiſſimus viam facit ad opidum *Tailleburgum*, Carantono navigabili adſitum; utramque ripam amœni campi cingunt; colli impoſita eſt arx Ducis *de la Tremouille*. Sequens inde via in parte ſylvoſa eſt, ad vicum *S. Savignien*, *Carantono* gaudens præterlabente; *Bord* pagus, III *mill.* ad fluvium *Boutonnam* ſitus, trajectum facit; hic ſe Carantono jungit ad pagum *Cande*. A trajectu in territorio Rupellanorum pergis, amœno in querceto I *mill.* ad opidul. *Tonay charente*; quod integrum diem nos habuit ad *inſigne trium mercatorum*. Amœnum opidum ſitu quâ terram, quâ aquam. Terra frumento & ligno abundat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

campiſque dives eſt; Aquâ Carantonus admittit naves grandiores ex Anglia & Belgio: Arx inſuper vetus adeſt, *Dominæ de Morte malæ* parens, præſidio regio munita. A tergo nemus quercetanum eſt, quod noſtræ deambulationi multùm ſerviebat, accedente nimirum hoſpitis non injucundo convictu. Hinc campis abivimus, lætis armentis & gregibus, ad pagos *la Coudre* & *Chertre*, 11 *mill*. Silva denſa quercetana & erronea hinc nos duxit ad paluſtrem locum 1 *milliare*. ubi *le pont de Soile*, ſaxis fundatus, elevatiorque inſtar aggeris. *Ive* vicus 1 *mill*. diſtat; mox mons ſuperandus, ad opidum *Chateleton*, 1 *mill*., rupi marinæ impoſitum, muris dejectis turri ſolâ ſuperante. Litus inde legendum ad opidum uſque *Angoulein*, 1 *mill*.; cujus muri regis mandato deſtructi. Vnde pane & vino refecti perreximus campo paluſtri, arenoſo, ſterili & ſaxoſo, relinquentes opidum *Neſtre* ad lævam in ruinis. Via, proximè 1 *mill*. *Rupellam* ducens, lapidibus ſtrata & ſinuoſa eſt, nec urbs, niſi prope ipſis muris ſis, conſpici poteſt. Ad portam excubiæ erant, quibus ducebamur in hoſpitium *ad tres mercatores*.

RVPELLA.

OLim hæc fuit exiguum opidulum, robuſtum tamen & rupi inædificatum; unde *Rupellæ* ei nomen manſit; quod & Papa *in decretal. cap. ex parte. de conſuetud*. retinet, ſcribens; *Majori & Burgenſibus de Rupella*. Guilielmus Comes Pictavienſis & Dux Guiennenſis Rupellæ Dominus incolis poſtea jus communitatis & privilegia civitatis indulſit; ſimulque poteſta-

poteſtatem conceſſit, foſſas, muros, propugnacula exſtruendi, &, quæ ceteræ civitates obtinebant, privilegia & libertates, veluti jus eligendi Majorem, Senatores, Iudices & Pares, ad conſtituendam politiam. Rupellæ ſitum & munitionem è *Thuano* dabimus, *lib.* LV, *ad an.* CIƆ IƆ LXXIII. Ea in Almetenſi pago, qui ad Santones pertinet, ad Oceanum patenti planitie ſita eſt, quæ paullatim tamen ut vix ſentiatur, ad eam partem quæ Orientem & Septentrionem ſpectat, aſſurgit. Mare quod urbem alluit, alveo facto CIƆ paſſuum longitudine porrigitur, & dimidium in longitudinem patens *portum* efficit, tutiſſimâ ad naveis tam longas quàm onerarias capiendas ſtatione; in cujus faucibus *binæ turres* ingentes erectæ ſunt, lateritio ſolidiori opere ſtructæ, & feneſtratæ, in mare proſpicientes; tormentis in latera directis firmatæ, quæ vel minimas ſcaphas ſubeunteis portu ſubmovere poſſunt: atque is locus, quòd catenâ utrimque ductâ ingreſſum à mari prohibeat, *Catena* vulgò appellatur.

Maſſon. p. 677 *ait:* Mare, dum æſtuat bis quotidie, in intimam urbis partem influit, celebremque *portum* inſtituit, ubi naves in mare, & merces ſub tecto collocari ſolent. Neque enim in clauſum portum penetrant naves; neque intromiſſæ ſibi invitis ſolvunt, quia præter antiquæ urbis muros, immensâ machinarum bellicarum omnis generis copiâ munitos, turres altitudine ad propugnandum ſunt aliquot delectæ, quæ vix æneorum tormentorum fulminibus dejici poſſe videntur. Aedificatę utrinque ad portus ingreſſum à Carolo V Ioannis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

filio ex caſtri ruinis *turres* validæ, & machinis ingentibus munitæ, ad terrendos arcendosq́ue hoſtes & piratas, ſi fortè ſub noctem ſcaphis in portum irrepere tentent. Opidani enim *catenam* ferream quotidiè prætendunt, ne quisquam noctu ingrediatur aut exeat. Catenæ præfectus à ſingulis navibus majoribus exeuntibus quinque, à minoribus duos & medium exigit ſolidos Turonenſes: nec piſcatores à captura reduces immunes ſunt à vectigali; ſolvere ſiquidem ex piſcibus aliquos tenentur; cui rei corbis fune in navigium è turri demittitur, & impoſitum attrahitur.

Turribus binis Rupellanis, quæ portum claudunt, *(è Thuano) murus* mirâ craſſitudine jungitur, rectoq́ue ductu, novo & in orbem exſtructo, mediocris magnitudinis propugnaculo occurrit, *Garrotio* communiter dicto; quod totius alvei imperium obtinere videtur, & pro armamentario urbi eſt. inde murus trans portûs alveum, qui heic vado tranſiri poteſt, ad *portam S. Nicolai* producitur, quæ altiſſimâ foſsâ & compluribus propugnaculis ac lateribus munita ingenti mole exſurgit. Murus deinde paullùm obliquè propugnaculo *Dominarum* ita dicto, quòd ſuperioribus bellis matronæ nobiles terræ in illud comportandæ operam navaverant, conjungitur; & ibi angulo facto introrſum curvatus, rurſum cubiti ſpecie longo ductu porrigitur, ſubjectasq́ue ab ea parte ſalinas habet; dein ad alteram portam, quæ à Mariæ delubro præter turrim omninò dirуto & nova munitione occupato *Cunea* vocatur, paullatim aſcendendo extenditur: hujuſcemodi

modi muri poſitus, quòd crebris ſinibus ſeſe invicem ſpectantibus diſtinctus forcipis ſpeciem referat, vulgari architectorum noſtrorum conſuetudine de forcipis nomine appellatur. Foſſa toto eo tractu profunda; & æſtu maris per ſalinas vicinas reſtagnantis impletur; dein paullatim aqua deſtituitur, ſcalpellis in ea parte, quæ ſeptentrionem ſpectat, foſſa excavata. *Cunea* autem porta hac arte munita eſt, ut terreo eoque acuto propugnaculo contineatur, quam novæ ex lapide quadrato munitiones excipientes ad pomerium introrſus continuato muro ductæ tegunt, induſtria Scipionis Vergani Foro-Iulienſis, qui Condæo tunc operam & Colinio navabat, & poſtea ad regis partes transivit. Delubri turris ſtudioſè ab opidanis dejecto faſtigio murus extat, ex eaque tanquam opidi ſpecula in ſubjectos campos diſpoſitis campeſtribus tormentis libera ejaculatio eſt. Huic murus, aggere introrſus adjecto, & extrorſum profundà foſsâ ad terreum munimentum, cui *veteri fortunæ* nomen, obliquè paullum jungitur; unde in campos proſpectus eſt. inde ad inſigne *Euangelii propugnaculum* declivi paullùm poſitu deſcenditur: ubi aqua foſſam complere incipit, à Vido Dallonio Ludę Comite provinciæ pręſide olim exſtructum. Eam molem frequentibus turribus interſtructis murus excipit; qui angulo facto obliquè ſenſim introrſus ad arcem veterem extenditur, & inde ad *portam novam* pertinet; quæ duplici foſsâ, eâque aquâ æſtuario regurgitante plenâ, magno inſuper adjecto à Scipione propugnaculo, præmunitur. Inde murus rurſus cubito

facto

facto ad *Molinaam* portam ac poſtremo fauces portûs ducit. Ea porta, ſi ulla alia, munitiſſima eſt, duplici foſsâ totidemque propugnaculis vallata, quorum alterum altero continetur, non orbiculari, ſed triquetrâ formâ; eâque amplitudine ſingula exſtructa ſunt, ut duarum cohortium præſidium facilè capiant. In his feneſtræ, quibus globi emittuntur, ſibi invicem reſpondent; mediocri magnitudine fabricatæ, ut in hoſteis quoquo verſus libera ſit ejaculatio. Opidi totius *ambitus* III cIↃ paſſuum amplectitur, quadrangulari ferè formâ. Muro magna ex parte rupes pro fundamento eſt, ejusque ac foſſæ plerisque locis altitudo ſcalas non admittit: cuniculi ne agantur, æſtuaria prohibent, uno tantùm loco excepto, qui à *Cunea* porta ad *Euangelii* propugnaculum porrigitur. Contra tormentorum ictus interioribus tam veteribus quàm novis exſtructis munitionibus defenditur. Mœnia foſſæ labrum exterius altitudine ſuperat, ita ut ab eo contegi videantur. Aeſtuario bis cottidiè foſſæ alluuntur, quo recedente aqua ad non exiguam altitudinem clauſtris retinetur, per urbem ad molas farinarias & ſordeis purgandas eâdem arte multis locis derivata. Hæc olim munitio; modò cum urbe amplificata & ampliores munitiones erant: quas tamẽ quid juvat deformare, in pulveres depoſitas nuperis expugnationib⁹.

Videamus paucis in urbe ædificia. Tria *Reformatis* erant *templa*, quinque quibus paſtores miniſtrabant. ubi ſacra ſynaxis eſt, VII cIↃ menſam Domini accedunt. Nec Pontificiis deerat templum, anguſto numero comprehenſis.

henſis. *Xenodochium* amplis ſatis reditibus firmatum erat. *Gymnaſium* philoſophicâ & theologicâ florebat prælectione. POLITICIS uſibus deſtinata erant *curia* & *armamentarium*. *Illa* in area Henricum Magnum regem, habitu regio oſtendebat è vivo ſaxo; Conclavia interiora, trophæa varia è bello reportata ſuſpenſa habent. *Iſtud* inter plurima tormenta æneum unum ſervat longitudine XL pedum, cui nomen *la vache*.

Vrbs fortis non indignos alit *incolas*, qui militem ſtationarium jugiter præſentarunt. De *mercatura* heic nihil agemus. Integritatis eſt ſine affectu dicere, cùm anno CIↃ IↃ LVII euangelica recepta eſſet religio in urbem, recepit hæc exules in ſinum, & fovit poſt famoſam illam Pariſienſem lanienam: Nec tantùm minorum gentium homines; Fuêre Navarræ regina, Princeps Bearniæ Henricus, poſteà rex; Principes Condæi, Colignii, aliique illuſtri gente nati. Virtutem hanc exiſtimo à majoribus eos recepiſſe, regum in quos tanta benevolentia, tanta *privilegia* manârunt. *Carolus V*, ut pauculis fidem rei faciamus, rex ſigillo regio anno CIↃCCC LXXII ſignavit; & voluit, *Omnibus Majoribus & Senatoribus Rupellanis, tam præſentibus quàm futuris, ut ſit jus veræ ac plenariæ nobilitatis, & ipſis, & eorum familiæ cognatis, ita quidem ut equeſtri dignitate frui illis licitum ſit, prædia nobilia occupare, feudaq; liberè, eo quo alii Galliæ nobiles modo poſſident, poſſidere. Vbi eidem regi ſe ſubmisêre, acceſſêre privilegia: Vt à corona Galliæ, quamcumque etiam ob cauſam, nunquam ſepararentur: Vt idem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

idem jus haberent monetam cudendi nigram & albam; nec non florenos: quod habent Pariſienſes: Vt cuſtodirent ipſi ſuam urbem, catenas maris, ac propugnacula; nec coacti eſſent ulla præſidia aut milites præter ſemetipſos admittere; Vtq; Major eſſet capitaneus perpetuus & præfectus urbi, omnesq; liberi & exemti caſtelli alicujus exſtructione: Vtq; liceret illis pro munitione urbis pecuniam colligere, & mercibus tributa imponere. Privilegia hæc, ut virtutis merita, ſequentes reges confirmarunt & auxerunt. Verùm uti nulla res æternat, ita nec heic regum gratia. Inclementiæ exemplum fuit Andinus anno cIↃ IↃ LXXIII. hiſtoriam longo filo nectit Thuanus. Nupera quid obſidio & expugnatio anno cIↃIↃc XXVIII acceleravit? horribile dictu. incolæ plurimi, nullo panis aut carnis eſu refocillati, cute, corio, radicibus veſci coacti fuêre. nonnulli humanorum cadaverum carnes detractas vorarunt. mulier non abhorruit filiam ſuam pro victu & alimento uſurpare; ſoror item fratris ſui digitos derodere. Hinc factum, ut XV cIↃ circiter hominibus fame extinctis, urbs ſeſe jugo ſubmittere coacta fuerit. Ipſe rex deditam urbem ingreſſus, attonitus intuitus eſt fatalem hunc caſum. non cruore, ſed fame, hoſtes periiſſe, oſtendebant plateæ & cœmeteria, quas obſtupeſcens rex penetrare & præterire neceſſe habuit, cùm kal. novemb. ſacris intereſſet, quæ à Ioanne Armando Pleſſeo de Richelieu, Cardinale, templum initiante, peragebantur.

Rupellâ diſceſſuri ſeceſſionem fecimus à duobus itineris comitibus, qui *Pariſios* pergebant;

nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

nos retrò *Lugdunum* per Limaniam & Arverniam, ſequenti viæ ductu.

Prima ab urbe via moleſta ſatis à pluvia & paludibus terminos quandoque egredientibus. Vici, qui occurrunt, deſolationis ſunt veſtigia, *Perigne*, *S. Regratien*, *Clavette*, *Poy de Louart.* ſingula vix hoſpitium concedunt: in ultimo hoc tamen pago III ab urbe *mill.* prandium ſumturi, nihil præter atrum panem, fruſtulum caſei, & menſuram villi, in ignobili quadam domo, habuimus. *Surgere* vicus II *mill.* cœnam ad *tres mercatores* paullò ſtructiorem dedit. Agri fertiliores ſequenti die obvenêre; ubi pagi *Boiſſeu* I *milliari*, & *S. Felix* I *milliari*, pauculæ tiliæ & campi amœniores duxerunt nos in vicum *Dompiere*, II *milliaribus:* ubi arx *Baronis de Dompiere*, in Pictonibus ſita. villicum heic prandium *à trois marchands* nos diu non detinuit. Quercetum & planities erat ad vicum uſque *Oriee*, I *& med. milliari:* cui præter rudera nihil reliqui. incolæ teſtantur ſuam ſegnitiem, dum LX annorum ruinam ferunt. Eadem facies in pagis *Coudiou*, *Romaſier*, *Touche*, *Gou*, *Richard*, ad vicum *S. Fraiſne*, V *milliaribus*, eſt in Santonibus. arx parens Domino *de la Grave* adſtructa non multùm ſuperbit. Heic ſummis precibus pernoctare licuit; incolæ ſiquidem, pro militibus nos habentes, clauſis oſtiis, ſe abſcondebant, memores facinorum præteritorum à militibus exantlatorum. undique domus erant ſi non combuſtæ, dejectæ ſaltem & ſpoliis laceræ & fœdæ.

Inde ſequenti die III *mill.* in Encoliſmenſem terram ad opidum *Vertueil* deventum; ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

refecti prandio *à la croix blanche.* Opidum ab arce Ducis de Rochefaucault illuſtrius eſt, ſituque ad Carantonum fluv. ter illud diſcriminantem amœnum. ſegetes rariores ſolo fabuloſo proveniunt & clivoſo. III *milliar.* itinere facto inter arva & caſtaneas, per pagos *S. George, Chevalantin, Chatrillau,* devenimus in vicum *S. Laurent de Chaud;* ubi pernoctaturi habuimus hoſpitem virum bonum, malè tamen à militibus tractatum, teſte cicatrice anticâ in vultûs parte. Clivoſius inde ſolum ad *pont Singoulent* fuit; nuces, ceraſa & caſtaneæ afficiebant prætereuntes. *Vigenna* fluvius, Lemovicum lambens, propè heic; cujus ripam campi & agri ſatis opulenti veſtientes nos ducebant IV *mill.* ad opidum *Cabaneſium;* in quo prandium commodè habuimus *chez Monſ. le Pont, jadis l'enſeigne S. Iaques.* Situm eſt opidum ad fl. Vigennam. Hic in finibus Lemovicum oritur: nec Vigennæ nomen apud eos habet; *Vignanam* enim vulgus appellat. fons ejus non procul à *Tarnaco* opidulo ſitus eſt: amplior mox factus matrem urbium Lemovicarum alluit; poſtea ad *S. Iuniani* opidulum ſub lapideo ponte fluit ad *Cabaneſium* uſque hoc noſtrum opidum. cui præfectus eſt Comes *Schombergius.* hic pontificius licet ſit; omnē Ieſuitis & Reformatis juxta heic præcluſit manſionem. A prandio pontem Vigennę ſuperſtratum transivimus in vicum propè junctum, fluvio ad dextram relicto inter prata amœna. Ad dextram arbores habuimus caſtaneis luxuriantes, quibus ſues ſaginantur. *Eſtagnac* vicus cum arce I *mill.* Schombergio paret, egregio

nemore

nemore cinctus. clivus inde ad pagum *Im-mont* ducit, à quo deſcenſus fit ad *Vigennam* uſque flumen. cujus ad ripam equitantes venimus in pagum *la Roche*. Inde *Pont des malades* lapideus, duorum arcuum, amni *Gliane* ſuperſtructus, ſuperandus, ad opidum *S. Iuniani*, qui influit in Vigennam. Opidum hoc cœnam & quietem 11 *mill. confectis* nobis largiri in *ſuburbio ad aureum leonem*, jucundo loco ſitum qui facit hoſpitium. Aedes opidi, in clivo Lemovicenſium formâ rotundâ ſiti, humiles ſunt, tegulis & opere lateritio. vites in collibus, non humi repunt, ſed pedatæ ſunt, perticiſque firmatæ, more ad Rhenum uſitato. ſolum arenoſum eſt, nec Cadurcorum regioni ſimile, quòd gens armis ſemper obſeſſa, impeditur à cultura & melioratione. Hinc montoſo itinere, caſtaneis tamen abundante, ivimus per pagum *la Barre*, ad hoſpitium *la bouteille*, 11 *milliaribus*; ubi ſordes meræ arcebant nos ſubitò; prandium, quod ova & caſeus erant, ſolvimus, ſed non ſumſimus; vinum auſterum impuris in vitris & cantharis oblatum, & relictum; ita malè heic excepti. cauſſam hanc exiſtimo, quòd Lemovico urbe tam propinquâ, raròilluc hoſpites commeare ſoleant. *duobus* hinc *mill.* feſtinabamus, ſudo admodum cœlo, vigiliâ aſcenſionis Domini, ad *Lemovicum* urbem, divertentes ad *album equum*.

LIMOGE.

REgio in qua urbs *Lemovicum* ſita, dicitur *Limania*; quæ ſuperior & proprio vocabulo dicta continet hanc urbem; inferior, *Arver-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Arverniam. Nomen Limaniæ à ſolo limoſo adſcribunt; quod ſiliginem, hordeum, rapas & paucum triticum producit; ſilveſcit verò caſtaneis adeò, ut non ſolùm incolas hoc edulio nutriat, ſed & gentes longinquas & propinquas hoc vulgari obſonio reficiat & recreet: quin imò in Britanniam inſulam copioſa hæc meſſis transfertur: idem faciunt Petrocorii. Situs urbis rotundus eſt; vineæ undique circumjacent, tametſi vinum auſterum, nec ad palatum. in parte urbs clivo & plano inædificata, Vigennâ fluvio irrigatur: alioquin foſſis profundis munita, nec non propugnaculis binis, *S. Martialis,* & *Martini.* portæ VII reſerant urbem; aquæ limpidiſſimę eandem perluunt, quas fons *(la fontaine royale)* duodecim canalibus in ſuperiori urbis parte ſuppeditat.

Aedificia ſacra conſtituunt *templa* diverſa. Primarium eſt *S. Martialis,* famoſum à ſepulchro ejus, cui perpetuus ignis ſuſpenſus: ſi extinguatur, manes dicuntur excitare tumultum ut nemo vel in templo vel in aula epiſcopali commorari poſſit. reliquiæ ejus, altari impoſitæ, ſunt reſervatę in ciſta, quam ſub pœna mortis nemo aperire audet. Ibidem locus oſtenditur, idolorum ethnicorum ubi cultura fuit; qui ejecti, & ſacellum ſacris reſtitutum. Horologium templi exteris etiam pro artificio monſtratur.

Templum *Michaëlis* obſcurius eſt, ſine omni ornatu. ante ingreſſum duo è lapide ſunt leones; antiquitas formam ornat.

Collegium *Ieſuitarum* XX jam annorum opus eſt, nec dum abſolutum ob amplitudinem.

tem-

templum columnis non ſuſtinetur; patres vero pinguibus ſuſtinentur reditibus.

Reformatorum vix XV numerabis ædificia.

Opera politica ſunt *palatium* & *curia*, ſed ſine famâ.

Fontes urbi divitias & puritatem invehunt. Præter regium, qui generalis ad omnes urbis uſus eſt, ſunt alii. apud *Ieſuitas*, ubi labrum V ſiphonum. apud *D. Martialem* in periſtylio è nigro marmore, quod, antiquitate ruinam & rimam faciens, ferreis ligamentis conſolidatum durat: aqua hæc fontana medica eſt opidanis, & utilis fabris cultrariis, qui ſine hujus uſu manubria cuprea cœruleo non poſſunt tingere colore. artificioſa iſta ſunt opera & magnâ copiâ ad Turcas ablegantur.

Aedes privatæ latere & ligno ſunt ſtructæ, levatâ formâ, quòd cives magis ſtudent mercimoniis & opificiis quàm culturæ vel ædium vel corporum. Merces ſericas in longinquas emittunt terras. Habitus fœminarum & virginum cum urbe Lemovico natus comparet. ſi quæ Pariſiis alióve comtiori loco huc veniat habitatum, nec depoſito habitu Lemovicenſem aſſumat, vel ſit caſtiſſima & proba, habetur vilis & tantùm non laſciva. verùm ſimplicitas gentis eſt, & deformem habitum tuetur antiquitate; quod à ratione alienum eſt. Incolæ cibi potuſque ſunt parciſſimi, panis tamen helluones, de cetero lautitiarum oſores. Quoad rem familiarem, induſtrii ſunt, ingenioſi & cauti, nec præcipites, egregiè ſibi ſuiſque conſulentes; vulgus alioquin tenax, cultu ſordidus & victu. Aetatem vivere dicuntur pro-

vectam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vectam & perfectam. Belleforeſtus ſcribit, ſe vidiſſe familias, quibus centum cognatione per nuptias juncti ſimul vivebant, ut collegia quædam agnoſcere quis poſſet.

Lemovico diſceſſus per protenſa ſuburbia factus eſt ad fluvium Vigennam, aſperâ & inæquali viâ, in qua præter quercus & caſtaneas nihil videas. *uno lapide* ab opido abeſt pons VI arcuum, Vigennæ incumbens. quo ſuperato pagus II *mill.* obvenit *S. Priech:* ubi tenue prandium *à la couronne;* nam præter caſtaneas & ova nihil appoſitum. Hinc ſalebroſâ viâ mons ſuperandus, & aliqui ignobiles pagi transeundi ad pagum *S. Sauviat*, III *milliaribus*. in quo cœna *au cheval blanc*. nihil quod in hoc itinere notes, præter difficilem viam & vectoribus moleſtam. Provincia hæc certè malè culta; in cauſa barbaries incolarum, non genius terræ. rari pagi ſunt; nam IV intra *mill.* vix unum videre habes. gens ruſtica operatur curæ ovium; paucas vel nullas tranſeundo vaccas offendes. nihil frequentius agris petroſis; quos difficili tranſitu habitos, in pagum *Compeis* ad hoſpitium *à la poſte* deductus, relinques. Prandio refocillati, per ignobiles pagos, qui præter aquam & panem nihil ſuppeditant, perreximus. ager licet lapidibus mixtus, curâ tamen inhabitantium purgari poſſet & excoli. ſilvæ nullæ, ſed arbores hinc inde raræ ſunt. quæ non ſegetibus cultæ ſunt, lolium ferunt. Ita IV *leucis Feletinum*, exiguum opidulum, ubi aulæa & tapetes texi mos eſt, ſuperioris Marchiæ, attigimus, poſitum in via militari, quâ itur à Lemovicibus Arvernum ſeu Cláromontem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

montem. Divertimus ad angarias, quæ nobis lautos piſces, quos Crauſa flumen largo proventu, guſtu & eſu bonos, ſuppeditat, adpoſuêre. Nundinæ heic erant, & confluxus gentis Lemovicenſis. Præter vultus diſtortos & immundum cultum in ea nihil notes; à moribus illorum non eſt quòd tuos corrigas.

Manè hoſpitio egreſſis mox lapideus mons longo tractu obvenire; mox depreſſiores valles; dextrorsùm Arverniæ montes niveis jugis in obtutu. *Montcharrau* pagus I *leucâ* diſtans, *la ville du Croye*, opidum cum arce, II *leucis*, colli inædificatum, ſalebroſo admodum itinere penetrandi erant. inde I *leucâ* pagus *Auchere* in angariis nos recipiebat pranſum. Moleſtum certè iter hoc eſt non ſolùm ab aſcenſu & deſcenſu viæ, ſed gentis ruditate & agreſti victu. acetoſum vinum illi eſt nectar Deorum, inſalubre alioquin advenis. nec vel uvam heic videas; quidquid vini habent, Claromonte mulis advehitur, utribus & vaſculis onuſtis. Heic à prandio ſubitis tenebris cœlum inhorreſcere cœpit; mox nimbus, tonitrua & fulgura; quæ nos morabantur; non rara heic loci ob vicinos Arverniæ montes. ceſſantibus paullum fulminum ſtrepitu & fulgurum minis, iter continuavimus per pagos aliquot Márchiæ (quæ ſegregato tractu per Lemovices & Arvernos terminatur) & Arverniæ; donec in imam vallem nemore amœnatam IV *mill.* deſcenderemus in pagum *Pontemurum*; ubi ſtatio diſpoſitorum equorum nos ſubſiſtere & pernoctare invitavit. Aedes prægrandi ſubjacent ſaxo, ad fluviolum *Sivolin*, exili quidem aquarum ſtrepitu

ober-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

oberrantem, ſed barbis & truttis ſuaviſſimi ſucci & ſaporis abundantem; ita fit plerunque, ut rivulorum piſcis eſu præſtet, gratiorque ſit, quàm majorum amnium. fluviolum pons ligneus in pagum pervium faciebat.

Luce ſequenti præcipites montes conſcendendi erant; qui jugi nexu ſeſe ſequebantur. III *mill.* confeceramus per ſaxa, per horrida; tandem hiatus erat, qui devexâ viâ, lapidibus ſtratâ & perplexâ, nos in vallem ducebat ad vicum & caſtrum *pontis Gibaldi*, *(pont Gibaud)* *Sivoli* fluviolo irrigatum; cui herus eſt Comes ejuſdem nominis; truculenta eheu! manus quem non ita pridem Pariſiis è vivis ſuſtulerat. Hoſpitium nobis erat *à la croix d'or*. quod prandio dato nos dimittebat ad montes hoſpitio proximos. *unâ leucâ* circiter *mons Comi* erat, quercubus denſus. à quo propè abeſt *la Cave de la glace*; fons certè mirabilis, cujus aqua julio & auguſto menſibus gelu vehementer aſtringitur, minimè verò hyeme. fontem hunc plures deſcripsêre; cui ob veritatem nos ſubſcribimus. Querceta heic continua iter monſtrant; inter præruptos montes & ſteriles iſtud continuatur *unum mill. & amplius* ab urbe, ſitâ, ut videbatur, amœniſſimâ valle montibus circumclusâ. Pluvioſum cœlum ſufflaminabat iter; quod magis difficile fiebat à lutosâ & anguinâ viâ, circa montes ſenſim repente ad devexitatem moleſtam formidulosis deſpectibus. Tandem in imam vallé ubi delati, agros, campos, prata, hortos ſuis luxuriare vidimus proventibus. Vbi pagus *Bojart* ſitus, vineæ cultiſſimæ ſeſe offerunt, jugiter viam cæruleis & gran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

grandibus ſaxis ſtratam ſepientes, ad ipſam uſq; urbem *Claromontem*, IV *milliar*. à cella glaciali abſitam. pluvia nos perluens nitidam reddebat viam, ita ut pedeſtre hoc iter non adeò tædioſum fuerit, equis jam defatigatis. Ita ad urbem ſub veſperam delati, diverſorium ingrediebamur *S. Barbaræ*; in quo materfamilias erat vidua, non communi, quod tædium viæ exantlatum tollebat, nos habens modo, ſed lauto apparatu & facili pretio.

CLAIRMONT.

URbs hæc in altera Limaniæ parte, quæ *Arvernia* dicitur, ſita eſt; & reliquarum metropolis. de qua *Sidonius epiſtolâ* XXI lib. IV, *ad Aprum*; *Taceo*, inquit, *Arvernici territorii peculiarem jucunditatem, taceo illud æquor agrorum, in quo ſine periculo quæſtuoſæ fluctuant in ſegetibus undæ; quòd induſtrius quisque quo plùs frequentat, hoc minùs naufragat: viatoribus molle, fructuoſum aratoribus, venatoribus voluptuoſum; quòd montium cingunt dorſa paſcuis, latera vinetis, terrena villis, ſaxoſa caſtellis, opaca luſtris, aperta culturis, concava fontibus, abrupta fluminibus. Quod denique hujusmodi eſt, ut ſemel viſum advenis, multis patriæ oblivionem ſæpe perſuadeat. Taceo civitatem ipſam (Arvernam) tui ſemper ſic amantiſſimam, ut ſoli nobilium contubernio præferre nihil debeas: cui tu manu injectâ fœliciter raptus inſcrebare: ſicq; omnis præſentiæ veſtræ voluptas; quod tamen nullum ſatias cœpit.*

Ego, quæ *Salvianus de Aquitanis lib*. VI *de gubernatione* ſcripſit, Arvernatibus non ingra-

tiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tiis tribuo, eos nimirum eſſe uber totius fœcunditatis, ſed, quæ præponi interdum fœcunditati ſolent, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis: adeò illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus. aut interfuſa fluminibus, aut crinita meſſibus eſt; ut verè poſſeſſores ac domini terræ illius non tam ſoli iſtius portionem, quàm paradiſi imaginem poſſediſſe videantur. Heic non immeritò Theodoricus Gothorum rex, occupatâ Aquitaniâ, etiam hanc ſubjugaturus, ad milites ſuos; *Ad Arvernos*, inquit, *me ſequimini, & ego vos ducam in patriam, ubi aurum & argentum accipiatis, quantum veſtra poteſt deſiderare cupiditas, de quâ pecora, de quâ mancipia, de quâ veſtimenta in abundantiam accipiatis*. Gregor. Touronenſ. Fluvius *Elaverus* non procul ab urbe in ipſis penè radicibus altiſſimi montis *Gergoviæ* labitur. Ipſa urbs ſurgit in clivos, præcipuè ubi templum D. Virginis & ſaliens fons eminet. Videamus nunc urbem paucis; pòſt, ea quæ in contermino agro ſunt.

Portæ urbis, ut à partibus externis occipiamus, III ſunt, cum portula, cui inſcriptum:

Sic fœdera priſca novantur:

Item:

D. Catharinæ Gall. reginæ immunitate donata, ſplendoriq́ue priſtino reſtituta civitas.

Internas partes conſtituunt templa, & profanorum uſuum ædificia.

Tem-

Templum cathedrale, cui præeſt Epiſcopus, dedicatum eſt D. Virgini; ad quod per plateam clivoſam & bene multos & latos è ſaxo greſſus ſcanditur. Aula epiſcopalis, quæ propè adjacet, illuſtris eſt ARTIFICIOSO FONTE; ad quem per canales ſubterraneos aqua de Royac derivata eſt, ita ut rupes, cui inhæret, perforata compluribus ſiphonibus aquam in incolarum uſum evomat. Ei verò hæc inſcriptio eſt:

Urbis æternitati fontem hunc perennis aquæ eximio cratere ſiphunculis pluribus ornatum, Ambaſię præſulis munificentiâ ſummo urbis clivo conſtitutum, vetuſtate & caſtellorum vitio interruptum, Scabin. Clar. canalibus plumbeis exceptum uſui publico reſtituêre, Anno M D LXXIII.

Et. Pu. Op. per.
Chap. arti. faci.

Templum *D. Virginis du Port*, ſub Childeberto natum, à Normanis combuſtum, ab epiſcopo Sigonio reſuſcitatum, his verſibus ornatur:

Hoc templum ſanctus primo fundavit Avitus,
Inclitus antiſtes, nobilis & genere.
Quod dicavit ovans Chriſto ſanctæq; Mariæ,
Cenſibus & *propriâ nobilitavit ope.*
Hoc Normannorum flammis gens uſſit acerba,
Bacchans, & ſtrages, heu! miſeras faciens.
Sed Sigo hanc Præſul priſco decoravit honore,
Vt tibi Celſitonans aſſoret aula micans.

Huic templo aliud ſubſtructum eſt non minoris capacitatis.

Præter hæc templa ſunt multi conventus, uti Iacobinorum, Carmelitarum, Cordigerorum, & aliorum, aliorum. Clerus in urbe à ſua diſſentientibus religione maximè eſt offenſus. Exemplum habet *Thuanus* libro XLIV, ad ann. cIↄ Iↄ LXVIII, dicens: *Claramontii in Arvernis, quòd in feſto, quo Dominicum corpus pompâ ſollemni circumvectatur, quidam in via minùs ſe reverenter geſſiſſet, & ædeis ſuas, ut moris eſt, eo die, non velaſſet, plebem impetum feciſſe, ædibusq; deprædatis hominem productum in foro convectâ è domo ipſius ligneâ ſtrue inauditum combuſſiſſe, connivente ad ea magiſtratu.*

Politicis uſibus dicatum eſt *Palatium* regium; cui hoc lemma inſcriptum:

Henrico III Gall. & Pol. regi Chriſtianiſſimo & Catharinæ Reg. Iuſt. Matr. Opt. veris Iuſt. cultoribus, hanc veterum Arver. Comitum domum, ab eadem R. Cathar. Arver. Comit. Iuſt. cultui dicatam, vetuſtate labentem, Scab. civium decreto in memoriam benefic. ſempiternam reſtit. anno cIↄ Iↄ LXXXI.

Quod notatu dignum, offendes in urbe *cellas vinarias* è vivo ſaxo vel XL & plures gradus altas; eas ubi ingreſſus vinum prægustatum, frigore nimio mox ejiciêre, niſi de ſanitate periclitari velis.

Ad urbis muros eſt *la fontaine S. Pierre*, in foſsâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

foſsâ urbis ſita, acidulis ſalubribus clara, nec Spadanis cedens colore, ſapore operationeve; calculoſis præſertim ſana, qui vel xx & ampliùs milliaribus huc iter ſanitatis ergò ſuſcipiunt.

Contrarium opus facit fluvius *Tiretaine*, olim *Scateon* dictus; cujus fluxum excipit mirabilis pons naturali è lapide, natus ex aqua fontanâ concretâ, non vulgari urbis ſecreto. Vbi in fluxu eſt, limpida cernitur, mox verò craſſeſcens, ſiſtitur ſabulo rubro. tale opus in corpore humano, ſi hauſta fuerit, nimirum lapides in teſtibus & veſicâ, operatur. Verſus de ea hi ſunt;

Hunc modicus lambit veniens de montibus amnis;
Iuxtà & fons ſalſus pontem lapideſcit in altum.

Pons iſte longitudine xxx ulnarum eſt, VI craſſitudine, & VIII latitudine; quem Carolus IX rex Bayonnâ redux videre geſtiit, & miraculum naturæ eſſe in ſuo regno notavit.

Penes hunc fluvium videre eſt *abbatiam Illidii (de S. Allyre)* extra urbem. Superba architectura eſt, turribus inſtar caſtri munita, opulenta columnis, ſepulchris, aris è marmore & jaſpide variegatis; ſplendida ſacello S. Venerandi, multorum martyrum repoſitorio.

Quadrante ab urbe mill. *ædes eſt D. Marci*, ad quam tres fontes diverſiſſimi ſaporis ſunt; nitrum, ſulphur & vinum eſſe dixeris. *Moletrinæ* numero XVI diverſis uſibus eâdem viâ inveniuntur.

Hinc diſcedentes vix quadrante mill. habuimus opidum *Montferrat*; quaſi mons ferax

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

vini & frumenti, mox *le Put de la poix*, fon-
tem oleaginoſum ; è quo craſſior profluit li-
quor, terebintho nigrior, picis inſtar, à quo
non multum abſcedit ; flammam concipiens:
multùm podagræ frigidæ nervorumq́ue adfe-
ctibus prodeſſe dicitur, præſertim ſi cum tere-
bintho miſcetur. *Rions* opidum ad ſiniſtram,
ubi Curia appellationis in Arvernia. *Pont du
chaſteau*, op. II *mill.* in colle vitifero exſtru-
ctum ; cujus pedem alluit *fl. Alion*, pons li-
gneus cui impoſitus. quo ſuperato *Bourgar* vi-
cus & arx epiſcopalis eminet in vinea, I *millia-
rio. unà* inde *leucâ* eſt op. *Leſou*; quod nobis in
ſuburbio *à la croix d'or* mediocre prębuit pran-
dium. quo ſumto opidum, in colle vineis
& hortis amœno ſitum, tranſivimus ; non
longè ſolum frumentiferum, mox quercetum,
penetravimus ; è quo deſcenſus fit in vallem
fluvio Dorâ irrigatam. cui pons lapideus VI ar-
cuum incumbit. Per hunc aſcenſus datur ad
opidum *Tiert*, II *leucis*; longus verò is ſtratâ è
ſaxo viâ, & latus ad portam. quam ubi ingreſſus
es, clivoſior platea ex imo ſurgit, vectoribus
moleſta ad anhelitum uſque. hoſpitium heic
contigit *au chapeau rouge*, inſolens & minùs
humanum. Opidum hoc in excelſo monte ſi-
tum, formâ longiori elegantem habet ſpeciem.
Incolæ ſunt cultrorum artifices, quos venales
faciunt ex ebore manubriis, ſed pretio auctio-
re. In ſublimi montium jugo, quod mirandum,
optimum frumentum creſcit: quo medio eò
aratra cum bovibus pertrahantur, non facile
eſt dictu. latera montium vitibus ſunt coo-
perta, & omni ex parte luxuriantes conſpiciun-
tur

tur colles: in valle humiles conſtitutæ ſunt domus, & ad amnes interluentes longo tractu molétrinæ, quæ muris nudatæ pagi cujuſdam formam amœnam fingunt. Heic exactâ noctе, ex opido in devexum vallis fundum equi ducendi erant. pòſt ſublimis mons & præceps, unius horæ conſcenſum intricatâ per vineas viâ facit. ad cacumen ubi perventum, finiuntur vineta, valleſque frumento extenduntur, amnibus hinc inde irriguæ, rectam quæ monſtrant viam ad pagos *la Cortade*, II *mill.*, & *la poſte*, itidem II. quos regio *Forenſium* (*Foreſt*) ſequitur. Quod viatori difficile eſt, ſunt montes vallibus mixti, ita ut planitiem montes interrumpant, & hos rurſus planities: vix equum conſcendiſti, mox is liber dimittendus in declivem vallem, mox inde rurſus educendus in acclive. Vicus *Noire eſtable* ad lævam eſt. pagus cum arce *Landervieil*, I *mill.*, tranſitum præbet ad montem, qui ſublimitate ſic faſtigiatus, ut famoſum montem CREDO, qui Lugduno Genevam eunti non parum moleſtiæ facit, poſt ſe relinquat: ad jugum ubi deductus es, magnæ molis Crucem erectam habes; à qua in declivem vallem rurſus eundum, vico *S. Didier*, ſub dominio Marchionis d'Vrfe, *med. mill.* ad ſiniſtram relicto. è valle aſcende rurſus ad arcem *Rochefort*; quæ cum pago adjecto in ruinis I *mill.* Inde *med. mill.* abeſt opidulum *l'hoſpital*, ad fl. *Auſon*, caſis humile, incolis deſtitutum; ſatis tamen pro prandio *à la poſte* nobis appoſitum, inprimis inopinatò fragis & ceraſis accedentibus. A prandio jucunda planities nos ducebat, *Couſan* arce & *Luny* cœno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

bio dextrorſum relictis, 1 *mill.* ad opidulum *Baing;* à quo per ignobiles pagos *Bouteresſe, S. Agette, S. Ive, Nacone* III *mill.* venimus ad fluviolum *Linionem*, minimè latum, ſed multùm profundum, & pontone, pro quolibet vectore medio ſolido ſoluto, pervium. Ab hoc, virides campi nos duxêre ad fluvium Ligerim, ubi nec pons nec ponto, quòd vadoſus videbatur, & penetratu facilis, tametſi ſat latus. inivimus rectà, non tamen ſine diſcrimine, quòd alter ductorum, cum equo medium in fluvium cadens, non longè à ſuffocatione aberat: aliqui noſtrûm repentè cũ equo ſublevatum alacriter educebant, madentemq́ue ſemianimem (ita periculum præcordia cinxerat) in opidulum *Feurs* deponebant. heic *in angariis*, largo foco & lautâ cœnâ refocillati, pernoctabamus.

Forum opidum regioni Forenſium, quæ olim Seguſiani erant, nomen dedit. Murus templi in lapide ſubnigro, litteris cinerei penè coloris, juxta viam publicam poſiti, hanc oſtendit inſcriptionem:

NUMINI AUG.
DEO SILVANO
FABRI TIGNUAR.
QVI FORO SEGUS.
CONSISTUNT.
D. S. P. P.

Milites cccc in opido quieſcebant, omnibus occupatis domibus præter angarias.

Hinc poſtridie, ne iniquas in manus eorum veniremus, ante diluculum, omnes cùm ſterterent, in viam nos dedimus. *S. Martin* primus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mus pagus eſt, II *mill.*, ſolo frumentifero ſine vinetis inædificatus. Inde per montoſa, per valles, IV *mill.*, ad pagum *Crouzieu* deducti, ſplendidè ſatis excipiebamur *à la poſte:* Sed non multùm morati, æſtuoſo præſertim cœlo, reliquum itineris inivimus, IV *mill.*, ad urbem *Lugdunum:* quam & viâ quæ Tholoſam ducit, Rhodano dextrorſum ſito, circa quintam veſpertinam ſalvi intravimus, repetentes antiquas noſtras habitationes, *au lion d'or de la lanterne.*

Heic ſex dies deſedimus, ut à quiete cum vectoribus itineri Italico alacriores incumberemus. Cui, priuſquam Lugduno abimus, TRIA ſcitu digna & notatu ſuſpendimus: nimirum, *Contractum inter ducendos & ducentem ineundum & ſubſcribendum: Litteras de ſanitate aſſertorias: & pecuniâ de exportandâ monitum.*

De PRIMO, auctor tibi ſim, rebus ad iter inſtructis, ut ſine dolo id habeas expeditum, nec circumveniare: cum ductore de via, pretio, tui & vectoris alimentatione, ceteriſque itineris requiſitis convenias; modum, quo convenisti, bino ſchemate ſignes, & ab utraque parte ſubſcribendum cures, hac ferè formulâ:

Ie ſoubſigné N. N. à Lyon promets à Meßieurs N. N. außi ſoubſignez, de conduire ou faire conduire par un homme, qui ſera à cheval, lesdits Sieurs gentilshommes d'icy à Geneve, & de là à Turin, & de fournir à chacun d'eux, à mes frais, un bon cheval, les defrayer eux & leurs chevaux honorablement, & ainſi qu'il convient

à perſonnes de leur qualité, tant de tous les peages & paſſages qu'ils auront à payer, que de la nourriture de leurs perſonnes & chevaux, despuis cette ville juſques au dit Turin: & c'eſt pour le prix de trente neuf ou ...... livres; que les dits Sieurs gentilshommes me promettent payer pour homme & cheval d'icy au dit Turin: dont j'ay receu en cette ville ...... livres à mon contentement, & le reſtant ſera payé à moy ou à mon homme qui les conduira pour moy, en chemin, ou à Turin, en monnoye de France, ou en or, au prix qu'il vaut à preſent à Lyon; ſçavoir la piſtole d'Eſpagne ...., celle d'Italien ......, l'eſcu ſol ...., le zequin .... Et ſi les dits gentilshommes vouloient ſejourner plus d'une nuict à Geneve, ils promettent de me payer à part les deſpens de bouche pour eux & leurs chevaux, & auſſi pour mon homme & ſon cheval, durant le dit ſejour. En foy de ce, ont eſté faits deux ſemblables eſcrits; dont l'un a eſté retiré par les dits Sieurs gentilshommes, & l'autre par moy N. N.

A Lyon ce ....

⊙ ⊙ ⊙ &c.

Contractu itineris hoc modo ſignato, opus eſt SECUNDO *Litteris ſanitatem aſſerentibus;* quæ tibi erunt immunitatis à peſte & omni contagio ſymbolum: his verò neglectis impeditum tibi iter erit in primo Italiæ ingreſſu *Novaleſiæ in Pedemontio;* ſine iis enim progredi non potes; adportatas verò ejus loci Commiſſario ſubſcribendas offeres. Hoc ſanitatis ſymbolum, *(le bulletin de la ſanté.)* à Magiſtratu Lugdu-

Lugdunenſi impetrandum, continere debet nomen tuum cum loco natali, nec non teſtimonium, te menſes VI & plures Blœſii & Lugduni (quæ duo loca à ſaluberrimo aëre benè apud Italos audiunt) ſubſtitiſſe.

TERTIUM, quod te monitum volo, eſt de pecunia exportanda. Caveas monetam acciſam nec probam tecum habeas, injuſtive ponderis: Ex ea verò ſeligas aureos ſolares Franciæ & piſtolas, quas vocant, Hiſpaniæ; *(eſcus d'or en or, ou en eſpece; & piſtoles d'Eſpagne de poids:)* utriſque facile iter tibi erit, nec oneroſum marſupium. Vnicum ſed & hoc nec te inſuper habere velim; Vbi Sabaudiam penetras, præ manu tibi ſit, ſi ipſus pro te & vectore alimenta ſolvis, moneta Gallica, non Sabaudica; hanc incolæ rejiciunt quaſi improbam & nullius valoris extra Sabaudiam. Cautus verò ſis, ne Gallicam illam monetam eodem pretio, quo in Gallia valet, ſed majori apud Sabaudos expendas; plus enim valent *les quarts d'eſcu* in Sabaudia quàm in Gallia. Idem de reliqua moneta gradatim ſit judicium.

Inſtructi itaque hoc modo, Diis vialibus propitiis, Lugduno ſeceſſimus *Verbonam*, V *mill.* Sequenti die *Idanus* fluvius *(Ain,)* hippagone trajiciendus, pro naulo à ſingulis V poſcebat ſolidos. Fluvius hic prope urbem Nozaretium ſurgit in Comitatu Burgundiæ; ac parte Sequanorum decurſâ ingreditur ultra *montem Iovis* regionem *Breſſiam*, illamque in partes duas ſecat apud Idanum opidum, pontemque nominis ſui; poſtea, incredibili penè numero rivorum jam collecto, in Rhodanum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

labitur, non minorem aquæ ſecum trahens copiam quàm rapidus ille fluvius facit. Non longè inde *Arbaline* fluvius vadoſus transeundus erat ad vicum *Cerdon*, v *mill.* Vbi pranſi *au lion d'or*, maturè in opidum *Nantua*, III *milliar.*, intravimus, pernoctatum *à l'eſcu de France.*

Subſequente ad vicum *Chaſtillon* tetendimus. illinc ad locum illum ubi *Rhodanus* abſorbetur, itum eſt: via horrida præcepsque eſt; nec equis accedi poteſt; pedites ivimus ad ponticulum *le pont de Luſigny*, Sabaudiam à Gallia, quæ heic dicitur *le païs de Bougie*, diſterminantem. heic propè Rhodanus ingenti cum murmure per ſaxa prægrandia defluit in præcipitem abyſſum; ubi evaneſcit, quietus intra viſcera terræ; poſt longam viam abſconditus, ex antro veluti è ſepulchro reſurgit, & anfractuoſo itinere Lugdunum tendit. Hinc repedantibus mons CREDO ad lævam relinquitur; iterque per *pontes de Bellegarde & des Oeules* continuandum, v *mill.*, in pagum *Longeret*; ubi pranſi *à la ✠ rouge*, rectà ad deſtinatam urbem *Genevam*, ſero tamen cum die, venimus, IV *milliar.*, divertentes *à la balance d'or.* De hac urbe cùm ſupra egimus, nihil heic adjiciam, pręter quædam de lacu è *Maſſonio p.* 360; qui dicit: *Lemanus* lacus procurrit in longitudinem leucarum XIV verſus Veragros; ubi eſt *Agaunium*, martyrum Mauritii & Thebeorum illorum memoriâ nobile: & in X tantùm, verſus Antuates ſive Vaudios: in latitudinem verò in IV duntaxat: ſed quâ maxima eſt latitudo, inter *Conchias* & *Morgen*, anguſtus eſt; &

in

in ripa, quæ ad Chablaſios pertinet, vicus eſt, ejuſdem cum *Lemano* cognomine, aquam perpetuò effundens. In hoc lacu (ait *Gregor. Turon.*) tructarum piſcium magnitudinem uſque ad centum librarũ pondera trutinari. *Maſſon. p.* 351 addit: In *lacu Burgite*, qui Rhodano proximus eſt, & Altæcumbæ monaſterio Ordinis Ciſtercienſis, ſe vidiſſe captam tructam ponderis LXXX librarum; quam convivæ, quorum ipſus unus fuit, ab Alphonſo Delbenio epiſcopo Albienſi prandio excepti, hilariter comederunt.

Genevæ unum diem ſubſiſtentes, convaſimus retro relicta; iisq́ue domum miſſis ſubſequenti die, qui x erat junii, urbe exceſſimus; amicis è primoribus quibuſdam, qui ægrè relinquere nos volebant, ad cœnam nos comitantibus; reliquis, quorum magna erat multitudo, à prandio, quod nobiſcum habebant, partem viæ ſequentibus, ſubq́ue ſeram veſperam in urbem redeuntibus.

Progreſſi itaque, ad ligneum *Arvæ* pontem venimus. Fluvius hic è *Fulcinatium* jugis dilapſus, imbribus hibernis intumeſcere ſolet, adeoq́ue inflari, ut ſeipſe non capiat. Ad lævam defleximus montes verſus Sabaudiæ, ſed ſteriles; quibus mixtus pagus *le chaſteau de Beaume*, II *mill.* Per quercetum in vicum *Croiſille* I *mill.* perreximus; à quo *Sala nuova* & *le pont du Broigni*, pagi ad amnem *Fleurte*, I *lapide* abſunt. via undique montibus circumfuſa I *inde leucâ* ad opid. *Nicy*, *au gryphon*, duxit nos pernoctatum; ſitum hoc eſt ſub montibus in valle viridi ad *lacum de Nicy*.

Nocte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Nocte jucundè exactâ, ſequenti die amicos comites ægrè remiſimus Genevam. Pergentes ad lacum, qui ad ſiniſtram, ad montes, qui ad dextram, planâ viâ per pagos *Savery*, *Very*, *Menton*, *Faloire*, *Vertu*, ad vicum *Servage* IV *mill.* devenimus, ibíque pranſi ſumus *au chapeau rouge*. Feſtum dominici corporis celebrabant incolæ exploſione ſcloporum: devotio plumbeos globos per aëra egerebat; mera tonitrua & fulmina, quæ verè ſub veſperam ſequebantur, intra valles & montes audiebantur. A prandio via tota montoſa fuit & aſcenſu difficilis, I *mill.* Inde iter I *mill.* à jugo montium fuit in præcipitem vallem frugum infœcundam ad pagum *S. Vian*. inque inferiori adhuc valle ſitus eſt pagus *la Chaignie;* quem *Iſara* fluvius alluit; ad quem florentibus in pratis *medium mill.* equitavimus, priuſquam hippagone trajiceremus. Ad ſiniſtram munitio *Confluentia*, ſcopulo acuminato impoſita, relinquitur, in concurſu Arcæ & Iſaræ fluviorum ædificata, ad ſervandum aditum, è quo in Tarentaſienſem vallem deſcenditur. Nos in ima valle conſtituti, prægrandem montem obvium habebamus; in cujus ſummitate pagus eſt *Eton*, I *mill.* Ad dextram *Miolanum* caſtellum erat ſaxo arduo impoſitum, undique prærupto, quod in Iſaram ſubjectum deſpicit. A ſummitate jugi devexam in vallem deſcendendum ad vicum *S. Catharine*. eò priuſquam venis, *Arca* fluvius ligneo ponte tranſitur. à quo rectà ſequitur vicus *Aqua bella*, I *milliar.* (*Aigue belle.*) ubi in angariis hoſpitabamur. Huic imminet turris Carbonaria, (*Charboniere*,

ou le Chaſteau de l'eſgueille;) locus montium jugis arduus; muro, vallo & foſſa munitus, qui aditum in Morienneuſem vallem ſervat in montium faucibus, quæ per convallem porrectæ ad Ceniſium montem deſinunt. celebris præterea locus Beraldi Saxonis primi Morienne Comitis & familiæ Sabaudicæ conditoris primùm domicilio, ac poſtea Thomæ Humberti III fil. cunis memorabilis; ad Iſaram ſaxo undique inacceſſibili, niſi quà per collem anguſtum ad Porteriam itur, ſitus: domicilio præterea Comitum Sabaudiæ, cùm primùm in hanc provinciam migrarunt, nobilis. *Thuan. lib.* cxxv. Huic ſubeſt *Aquæ bellæ* municipium, locus munitiſſimus, quò aditus à Sabaudia ad Vocontios & Tarentaſios præcluditur, in Alpinis aſperitatibus, in quibus nihil ſeritur neque metitur. *Botereus lib.* IV *comment. p.* 342. Municipium hoc anno cIↃIↃc à Crequio & Abele Berengario Morgio cum delecta manu præmiſſis tanta celeritate occupatum eſt, ut præſidiarii arcis de loco incendendo, ne uſui noſtris eſſet, cogitantes pœnè in eo oppreſſi ſint. IX machinæ murales à Ronio ad arcem admotæ, & II minores; quarum diſploſione poſt IↃcXXXVII ictus, cùm omnem auxilii ſpem præciſam viderent, poſtremò deditionem pacti ſunt, vitâ & re ſalvâ tantùm conceſsâ; nam ſigna relinquere & funibus extinctis exire debebant. *Thuan. lib.* cXXV. Heic loci, dum cœna pararetur, tempeſtas fulmine & tonitru mixta oriebatur; madebant viæ, cœlo in lacrimas ſoluto; ſed madebat etiam hoſpita, à marito vapulans ebrio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Poſterâ die ad *Arcam* fluvium, cujus origo duabus leucis Laneburgo abeſt, ſuperato ligneo ponte, iter factum eſt. *l'Argentiere, Epierre, la Chapelle*, pagi fluvio mixti, interjacent; isque ter cum diſcrimine ſinuoſo flexu vadoſus fit; præter viam lapidoſam & horridam, incultosque jugi ſequelâ montes & ſaxa, nihil eſt quod heic videas, & notes. Ad vicum *la Chambre*, IV *mill.*, delati, prandium ſumſimus *in angariis*. hinc *med. mill.* abeſt unius arcus pons *Arcæ* ſuperſtructus; mox alius II arcuum; cui adſitus pagus *pont Amafre*, *med. mill.*, cum arce. prope huic alias duas videbis arces, *Barmy* & *Eſtignay*; quarum herus Genevæ cum aliis ſuſpendio manſit. *med. mill.* tertius *Arcæ* pons binorum arcuum eſt; & porrò fanum *S. Ioannis*, (*S. Iean de Muriane*;) quod licet primarium vallis ſit opidum, nullo negotio tamen à Deſdiguerio occupatum eſt. Vicus *S. Iulien* I *inde* diſtat *lapide*; relicto ad lævam *vico S. Martini*; à quo anguſto & ſaxoſo tramite inter faſtigiatas rupes I *mill.* ad opidum & *caſtrum S. Michaelis* venimus, *à l'eſcu de France*; ubi commodè ſatis cænavimus & cubuimus. De hoc Boter. *tom.* I, *lib.* IV, *pag.* 341 ait: *In caſtro ſubalpino S. Michaelis Comes Salinarius, Sabaudi nomine, minabatur Gallis, ſi non exitium, ſaltem longiùs progrediendi impedimentum: ſed vir fortis celeritate adventum Gallorum prævertens, caſtro & finitimis locis cedit; turbatè adeò convaſat, ut Allobroges ſui arma, ſarcinas, munitionesq; bellicas Deſdiguerio vel remoto ac nihil tale exſpectanti reliquerint.*

Altero

Altero mane intra mera ſaxa ad fl. *Arcam* pergendum fuit; qui multis anfractibus pervius, relinquebatur ad montem maximè excelſum. cui vicus *S. Andreas* pro cacumine impoſitus. Hunc magno labore, anhelitu & periculo vix ingreſſi, 11 *mill.*, ad imum rurſus præcipitium nos demittere tenebamur. locum horridiorem faciunt deſuper è montibus cadentes conglomeratæ aquæ, tanto ſtridore hinc inde in valles & *Arcam* fl. ſeſe præcipitantes, ut comitibus omnis mutui colloquii uſus auferatur, nedum riſus & jocus. *Vno lapide* itur iſthinc in vicum *Modane*, amabiliori in planitie ſitum, per fluvium Arcam diſſectum, ſed ligneo ponte junctum; in quo frequentes videas officinas ferrarias, cultumque mulierum diverſum à prioribus; nobis prandium exhibitum *à trois rois*. quo finito, è planitie rurſus ad præruptas rupes anguſtioribus quàm unquam ante id hac ſemitis, pergendum erat; ad lævam valles tam altæ ut effugiant viſum; ad dextram ſaxa capiti imminentia, cum ſtridentibus aquarum præcipitantiis; ſubtus pontes hinc inde lignei tabulati, ſub quibus inſtar imbrium aqua defertur è jugis, ſaxoſa juga connectunt. hæc omnia circumſpectum reddunt viatorem, niſi vel momento cum equo in abyſſum ire velit. *Bourgue* vicus ad ſiniſtram loco ſalebroſo, frugibus tamen culto, cernitur. *Vilars*, 1 *mill.*, vicus, in jugo montis hæret; à quo deſcenſus fit ad ponticulum ligneum, qui vix ferundo eſt vectorem; ſub quo in abyſſo velociſſimi aquarum fluxus, abominabili cum ſtrepitu. *Abriez* vico ad ſin. in valle relicto, paulatim deſcen-

ditur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ditur 1 *mill.* ad vicum *Bareman*, qui olim civitas. hinc egredienti ſacellum oſtenditur pi-ēturis variegatum: virgo erat, anticâ parte tota nuda, manibus caput & oſſa humana tenens; media ejus facies carnea, media oſſea erat: penes hanc Deę infernales & vitia cum cruciatibus & diabolis conſpiciebantur, cum inſcriptione: *O lecteur regarde moy*: integrum enotare non potui. Hinc pagus *Souliere*, 1 *mill.*, abjacet; cujus pars ad pedem, pars ad caput montis ædificata eſt. Prope abeſt *Tremignan* vicus, in valle ad *Arcam*; quam amnis *Vannoiſe* heic auget. ex hoc, clivoſo itinere tetendimus ſolo ſatis frumenti ferace in vicum *l'Aſnebourg*, 1 *milliario*; ubi feſſi, anguſtum vix, impurum ſatis, habuimus diverſorium *à trois rois*.

Laneburgi unam noctem ſubſtitimus, fruſtrati ſpe, quam conceperamus de nobis portandis, ut moris eſt, ſupra montem SENIS, ut quieſceremus in vallem uſque; quòd bajuli immoderatum exigebant pretium. Talis verò bajulandi modus eſt: Sella lignea eſt è perticis conſolidata, agreſti formâ, ligno quàm homini portando aptior. huic bajulandus inſidet, manibus ſupereminentes perticas, ne elabatur, prehendens, ſuppoſito, ſi molliùs ſedere vult, pallio pro culcitra. equus penes ducitur vacuus, bajulo altero præeunte, ſubſequente altero. Menſuratur via ab argento. quod numeratur. qui Laneburgi è diverſorio portari volunt, aureum ſolarem ſolvunt Novaleſiam uſque: qui verò à finibus Sabaudiæ, ubi grandis † eſt, medietatem numerant. Incommoditatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

tatis verò non parum hæc res habet, uti vidimus: bajuli illi ſaltibus emetiuntur viam, non paſſibus, moderatisve gradibus, præſertim ubi finis Sabaudiæ & ingreſſus Pedemontii eſt, declivi maximè & ſalebroſo viarum anfractu: prægrandia ſunt ſaxa, non ſtrata, nec ordine poſita vel conſolidata, ſed confuſis tumulis extantia, quæ duarum horarum viam deorſum faciunt; his inſiliunt certis ſaltibus, quandoque & incertis, ut labantur, & ipſi cum bajulando, alioquin ex ſuccuſſatione jam non parum feſſo & debili, deſuper non ſine periculo & oſſium fracturâ præcipitentur. Dum plus æquo à nobis poſtularent bajuli, concluſum eſt, illos negligere, &, qui paſſi jam graviora eramus in priori itinere Lugdunenſi, & hoc, quidquid futurum erat moleſtiæ, devorare.

Ita ſequenti luce diverſorio egreſſi, quisque cum ſuo vectore iter hoc cœpimus. Mox ad dextram eſt mons ſaxoſus anguſtâ ſemitâ conſcendendus, flexuoſo ductu 1 *milliaris:* ubi locus *la Ramaſſe;* cui aliquot tuguria pro pecore ſtabulando in æſtate inædificata: heic verò nulla adhuc æſtas, licet menſis junius curſum medium jam abſolviſſet, ſed mera hyems erat; nives reſolutæ fluere per ſemitas, pergentibusque magno impedimento eſſe contrario delapſu comparebant. Medio iſthinc milliari porrò egregia planities, montibus præruptis undique & niveis jugis circumfuſa, offenditur; per hanc iter eſt unius & medii milliaris. Hæc planities *ſitu* & *fertilitate* paucis à nobis heic videatur.

Altitudo loci ab itinere duarum ferè hora-

rum

rum menſuranda eſt Laneburgo. ubi eam aſſequutus es, amœna conſpiciuntur prata *unius & med. mill.*, undique tamen circumdata altioribus montibus. Prata hæc habent *lacum* & *ædificia*. *Lacus* peregrinanti ad dextram eſt, *medii mill. longitud.*, tructis copioſus; in quo Victor Amadeus Pedemontii princeps, cùm ſponſam Chriſtinam è Gallia domum duceret, navale prelium ei exibuit XII navibus, neo modicis ſumtibus. Huic propè adjacet *palatium Principis*, decendio ſtructum, in ſaxo, formâ quadratâ & humili, pro quiete reficiendæ ſponſæ è Gallia in Pedemontium euntis. Non longè hinc abſunt alia aliquot ædificia; ubi angariæ. locus dicitur *la Tavernette*. huc uſque *med. mill.* eſt. Ad ſiniſtram porrò devexâ viâ ſacellum eſt, *(la chapelle des corps morts,)* in quod, qui nive vel frigore congelantes pereunt viatores, ſine omni ordine & ſitu, abominabili modo abjiciuntur. pereunt verò non pauci in via hac, ſignatâ perticis erectis; quas tamen ventus vehementior quandoque dejicit; ita ut viatores ſubitâ cadente nive & viam & vitam perdant. pòſt, regelatâ nive, inque aquam verſâ, exeunt è xenodochio, *(l'hoſpital S. Nicolas,)* quod *medio mill.* abeſt à lacu, & Sabaudiam à Pedemontio diſterminat, quæſituri ſi qui nive ſuffocati ſint. repertorum excutiunt ſacciperia, iisque exuunt veſtimenta; ſi deſtituuntur ſphærulis precatoriis, ſub dio relinquuntur cadavera à volucribus & ſilveſtribus animalibus lanianda; ſin verò ſphærulæ tales vel cruces ligneę videntur, è via communi in ſacellum modò dictum deportantur. tanta huic

huic itineri devotio tribuitur. Talis planitiei hujus eſt ſitus.

Quoad *fertilitatem*, conſiſtit hæc in animalibus & volucribus. Sunt lepores albi coloris, hyeme caneſcentes; alaudæ æſtate nigreſcunt, hyeme albeſcunt; perdices, quarum abundans copia eſt, hyeme albeſcunt, æſtate caneſcunt: de lupis ſilveſtribus, quos non vidi, nihil adponam: dicuntur tamen viatoribus quandoque infeſti obvenire.

Sed pergamus ex hac planitie. Vbi xenodochium, terminum Sabaudiæ, attigeris, supereſt *medium mill* ad tabernam, cui prægrandis lignea ✠ adſtat. Heic ſaxoſa hæc, declivis, & anfractuoſa ſeſe occipit via, moleſta equo & equiti, bajulandis periculoſa. deſcenſu *med. mill*. facto, conſcenditur equus, ut flumen *Semar* vel *S. Nicolai*, quod è lacu in monte *Senis* ortum, ad præcipitium hoc deductum, magno ſtrepitu in vallem delabitur, penetrari poſſit. à nive copioſa quandoque impervium eſt; habuimus ad ephippia uſque vadoſum; verùm ubi eminentes in fluvio lapides conſpiciuntur, altius eſt: pedites obivimus lapides, equis ſiniſtrorſum flumen tranantibus. nebulæ adeò denſæ erant ut devii facti vix ponticulum ad lævam invenire potuerimus. per hunc procedentes, profundâ itione ad alium pontem itur, à quo protenſum illud lapidoſumque iter pedibus terere *med. mill.* neceſſe habuimus ad pagum *la Ferrerie;* nec heic quies erat uſq; dum Herculeis laboribus declive hoc ſaxetum ad pag. *Novaleſiam* 1 *mill*.continuaremus; quo *à l'eſcu de France* lautè ſatis habiti fuimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

mus, refocillati foco & vino. Heic literas tuas de ſanitate aſſertorias (*la fede di ſanta*) à Commiſſario Sabaudiæ Ducis ſubſcribi cures, ſi Gallia audit infecta, ne Thurino poſteà excludaris. A prandio 1 *mill.* iter fuit inter anguſtas montium fauces pluvioſo cœlo ad opidum *Suzam*, cui caſtellum, (*le chaſteau de Suſe, ou port de S. Marie,*) defendens vallem, tranſitumque impediens, imminet. amœna hæc vallis ad fluvium *Doriam*, clauditur meris vinetis. cùm per opidum iremus, obvium habuimus præfectum Pedemontanum, à nobis quærentem, num nomina noſtra militiæ dare vellemus; à quo, cùm, qui eſſemus, quâve de causâ veniremus, intellexiſſet, benivolè dimiſſi ſumus, juncto ad felix iter voto. Hinc expandit ſe amœna planities, utrinq; ſecedentibus montibus, ad opidum *Bozolengo*, 1 *mill.*, ſitum ad fl. *Doriam*, cui *Civeſta* ſe jungit. Vix pernoctare poteramus *à trois rois*; turba militum ſiquidem omnes angulos occuparat, ferox in incolas cruentis plagis.

Summo mane ſurgentes, vicum *S. Georgii* cum arce *med. mill.* tranſivimus; ad ſiniſtram duo caſtella montibus inhærent, Gallo & Italo ſubjecta dominis. Hinc coëunt in anguſtias viæ ad pagum *S. Anthoine*, 1 *& med. milliar.* Declinavimus nos ad lævam planitiem, relictâ abbatiâ *S. Michiel des eſtoilles* dextrorſum in jugo montium; devenientes 1 *mill.* in vicum *Sainct Ambroiſe*, unâ plateâ pervium. ex hoc pergentes opidum *Avigliana* cum caſtello editiori in monte, *medio milliari*, intravimus, pranſuri à *l'eſcu de France*: portæ ſuſpenſa

erant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

erant Gallica & Sabaudica inſignia, cum lemmate:

Feliciſſimo nexu & tutiſſimo.

Heic montes planè utrimque eunt in meram planitiem; vites videntur arboribus ſuſpenſæ, agri frumentis prægnantes, horti luxuriantes fructibus. Hac viâ ducimur 1 *mill.* ad ſplendidum & opulentum cœnobium D. *Antonii Raveſini*, à quo abeſt opidum *Rivóli*, 1 *mill.*, commendatum bonitate aëris, agrique amœnitate, maximè verò natalibus Ducis Caroli Emanuelis, qui in caſtello, ubi primùm lucem aſpexit, multa atria, porticus, aliaque ædificia molitur. Tribus abhinc milliaribus vaſtiſſimâ planitie, denſiſſimâ in pluvia, ventu impetuoſo, qui pluviam cum tempeſtate miſcebat, ad urbem TAURINUM, Pedemontii metropolin, delati ſumus. ubi ad portam quæſitum, qui eſſemus, unde veniremus, quo iremus, ubi hoſpitari & quamdiu in urbe commorari vellemus. ad ſingula ubi rectè reſponſum, juſſi ſumus ſignare nomina; nec inquirebatur *la ſede di ſantà*, cùm Gallia à contagione libera ubiq; audiret. Sed nec ceſſabat pluvia, etiamſi in ipſa urbe ſubſiſteremus ad portam diverſorii *à la roſe rouge*; quod moleſtum à diuturniore admiſſione. tandem benè madidi omnes unum intrare conclave, quòd totum diverſorium erat occupatum.

TAVRINVM.

NOn mihi, amice lector, heic mens eſt, urbem hanc, uti meretur, ſuis coloribus expedire;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

pedire; fiet alibi, ſi Deo viſum. brevioribus ſal-
tem dicimus, eſſe caput *Tauriſcorum* ad oſtium
in *Pado Duriæ*, quam Ptolomæus, Plinius &
Tacitus *Auguſtam Taurinorum* vocant. Olim
fuit Romanorum colonia, ad montium radices
ſita, formâ quadratâ; portis patens IV, *Phaë-
thontis*, *Secuſinâ*, *Memoriæ*, *Palatinâ* vel *Do-
rianâ*.

Aedificia ſplendida continens. inter quę ſum-
mum templum *Ioanni Baptiſtæ* dicatum eſt; cui
præſidet archiepiſcopus. Præter hoc, ſine no-
ſocomiis, numerantur adhuc XX. Accedit *aca-
demia* celebris; in qua *Eraſmus Roterodamus
Theologiæ* Doctor eſt creatus. auget famam
officina libraria, quæ heic inter omnes Italiæ
urbes prima fuit.

Politicis uſibus dicata eſt *aula* Ducis, *pala-
tium Cardinalis*, *equile*. ARX eſt pentagona,
ab *Emanuele Philiberto* Sabaudiæ Duce condi-
ta, amplitudine & arte admiranda, in B. Solu-
toris ruinis quam (referente *Thuano lib.* XXXI)
Dux ad firmandum novum principatum ex-
ſtruxit, & veluti compedes ſuorum animis,
Gallicæ libertatis auram adhuc reſpirantibus,
injecit. Dux *Carolus Emanuel*, qui nuperis tem-
poribus denatus, VIVARIO arcem decoravit;
quod quinque aut ſex M. ambit, longè amœniſ-
ſimo ſitu, cincto undiq; à Pado Duriâ & Sturâ
fluminibus, pleno nemoribus, lucubus, fonti-
bus, & omni genere ferarum, quas Dux undi-
que huc conduxit ad filiorum ſuorum exerci-
tium & oblectamentum. Nec inſuper habeas
hortum extra urbem, dictum MILLE FIORI.

Eſt præterea *mons*, *quartâ milliaris parte* ad
ripam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

ripam Padi ſe attollens, qui propter incredibilem ſinuum varietatem (nam heic ſe attollit, illic declinat; hac ſe exſerit, illac ſe recipit. ubi aquæ ſcaturiunt, ubique optimos fert fructus, & præſertim vinum) AUREUS appellari meretur: tanta ibi villarum & prædiorum, viridariorumque copia, ut alterum *Taurinum* eſſe videatur.

Ita ſteti promiſſis meis, & te, amice lector, CALETO TAURINUM, per varios anfractus, montes & valla, bono Deo gratiam, ſtiti. Si ipſus iter hoc obiveris, familiariorem me tibi fore confido, impetraturumque, ut, ſi bonus es, faveas; ſin improbus, ne laudes.

Errata & omiſſa.

PAg. 2, lin. 15, juſſi. 7, 21, Mauritianæ. 21, 2, poſt *ſonuit*, adde:

Rolant, Rolant, als ick kleppe dan iſt brandt,
Als ick luye dan iſt oorloghe in Vlaenderlandt.

hæc inſcriptio eſt in ambitu: *Kærius in Flandria.* 36, 18, *il faut.* 39, 2, *Romanos (cujus.* ibid. lin. 5. *pertinebat) alienum.* 57, 29, *video?* 202, 15, *Argentueil.* 213. 18, *meſchants.* 215, 22, cIↃ IↃ XCVII, 11 *mart.* & lin. ſeq. *anno eodem* 25 *ſept.* 220, 34, *Anthon I pagi.* 221, 17, *Hentzner.* 224, 34, *ille ſibi.* 225, 5, *fata.* & lin. 8, *neſcierit.* 9, *antris.* 271, 34, *quas.* 293, 24, *Rabelæſus.* 294, 23, *effugientium*, adde: *Paſſelourdin à Maſſonio p. 92 ita formatur: Ad abbatiam S. Benedicti, quæ eſt Pictavienſibus deambulatio, con-*

curſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

curſus fieri ſolet ab otioſa juventute, cui ſtatim per locum duos pedes ſtrictum, & duas ut vocant theſias longum, neceſſariò prætereundum eſt, quia non ſine periculo id fieri poteſt propter præſens & adeò metuendũ præcipitium in rupes, & ſubjectum Clanum, qui Pictaviam alluit. 298, 2, *Vigennam.* l. 10, *Vigennam.* 307, 14, *Rabelæſus.* 319, 28, *transegimus.* 345, 10, *fidis.* 364, 27, *jacet,* adde: *Longini hujus ſtatuam vidi Mantuæ in publica platea cum tali lemmate: Longinus qui lanceâ Chriſti latus aperuit, ſanguinemq; ejus ann.* III. *Mant. detulit, hoc in loco Cappadocia nuncupato, ſub præſide Octavio decollatus eſt. idib. mart.* LXX. 382, 6, *Helvetios.* 402, 12, *religione,* adde: *Thuanus ſic habet* lib. CXXV: *Ad regem, notus puero, ſed ante* XXX *annos non viſus, Theodorus Beza venit, jam octogenario major, qui ſenili facundiâ cauſam Genevenſium regi plurimùm commendavit, eamq; ad regni non ſolùm exiſtimationem, ſed etiam & ſecuritatem pertinere multis verbis oſtendit, ac poſtremo renavatæ patri matriq; olim operæ memoriam renovavit. Rex ſenem perorantem benignè audivit, & bonâ ſpe, ut & delegatos à ſe, dimiſit; ipſum etiam* I0 *aureorum honorario muneravit; quod à viro jam pridem tenuitati aſſueto ingentis præmii loco acceptum eſt.* 427, 2, *Pantheon.* 459, 1, *Grane, pagum Roënac.* 474, 5, *competebat.* 489, 32, *præ.* 586, 5, *jucundam.* 587, 8, *Ville nouvelle.* 593, 4, *ſeni cuidam.* 598, 18, *miranda.* 626, 2, *bellicas.* 627, 10, *gobiones.* 633, 7, *Alnetenſi.* 640, 4, *ſabuloſo.*

F I N I S.

IN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

INDEX
LOCORVM, PERSONARVM, RERVM.

A.

Abbatia Bernhardi prope Rupelmundam. 88
Abbatia S. Martini de Condo. 270
Abraham Pening civis Lugdun. 442
Abrenetheus Scotus Medic. 468, 554, 562
Abriez. 663
Academia *Andegavenſis*. 275
Arauſionenſis. 467
Avenionenſis. 489
Aurelianenſis. 225
Bituricenſis. 305
Burdigalenſis. 615
Heydelbergenſis. 275
Lovanienſis. 105
Lugdunenſis. 349
Maßilienſis. 515
Monſpelienſis. 566
Montalbanenſis. 600
Pictavienſis. 291
Taurinenſis. 670
Tholoſona. 593
Valenciana. 475
Accipitrum privilegiata venundatio. 479
Achan. 436
Acidulæ Claramontenſes. 651
Accuſio. 421
Ædificia in Flandria. 32
Æſtus maris. 607, 608

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Agathopolis. 565,577
Agde. 577
Aginnum. 603
Aigue-belle. 660,661
Aigue billette montes. 403
d'Ain fluvius. 373,657
Aisguillon. 606
Aix. 403,504
Albani ſtatua. 46,47
S. Albanus decapitatus. 195
Albertus Dux Saxon. 134
Albinagii jus. 40
Aleator punitus. 221
Allectura quid ſit. 322
Alecum conditura. 33
Alexander Farneſius. 44,130
Alincourt arx. 203
Alion fl. 652
Alkermes confectio & grana. 575,576
Allobroges. 379,380,381
Alpes Cottiæ. 381
Alzohne op. 586
Ammanus Antverpiæ. 74
Ambianum. 214
Amboiſe. 262
S. Ambroſio. 668
d'Amian. 409
Amoris maritalis exemplum. 404
Amphitheatrum. 450,466,532,555,582
Ampulla ſancta. 268
Anchora grandis. 582
Andegavum. 272
Anderlee hortus. 127
Andius ſine bono. 275

Andium

Andium regio. 272
S. Andreas. 663
S. Andreæ crux. 515
Angerville. 221
Anglicæ libræ. 1
Anglicus ſudor. 129
Angoulein. 632
l'Annonciade fortalitium. 402
Antichat arx. 458
l'Antiquaille. 357
Antiquitates Viennenſes. 451
S. Anthoine pag. 668
D. Antonii Raveſini cœnobium. 668
Antonius Faber Iuriſconſultus. 405
Antonius Henrici IV pater. 206
Antrum pervium. 524
Antverpia. 42
Antverpienſe caſtellum. 45
Antverp. divitiæ. 81
Antverpienſes linguarum periti. 79, 82
Antverp. virgines. 80, 83
l'Appannage royal. 272, 605
Aquæductus. 191, 261, 292, 341, 358, 457, 469, 523
Aquæ Sextiæ. 504
Aquenſe Parlamentum. 506
Aquenſis obſidio. 510
Araris fl. & pons. 314, 320, 321
Arauſio. 463
Arauſionenſis Principis titulus, & privilegia. 469
Arbalina fluv. 374, 657
Arca fl. 660, 661
Arcium Gall. & Angl. comparatio. 162
Arcueil. 191

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ardeſiæ lapides. 272
Arelate, *quaſi ara.lata.* 526. *quî ad Germanos devenerit.* 537. *& ſeq.*
Arelatenſis regni archicancellarius. 539
Arelatenſe regnum prandio devoratum. 540
Areſchotorum ducum genealogia. 114
Argente fl. 464
Argentueil, *Argentea vicus.* 202
Armaignanus. 287
Armeniaci, die armen Iäcken. 584
Arquatum. 499, 500
Artaz. 441
Artenay. 222
Arva fl. 384, 659
Arvæ pons. 401
Arvernia. 647
Aſaile. 299
les Aſſemblees. 192
Aſſer genus ferreæ ſecuris. 102
Aſſeſſor nationis Germ. Aureliæ. 230
l'Aſnebourg. 664
Aſylum. 356, 450
Atax, Agde fl. 579
Avaricum. 300
Auberion. 289
Auberive. 451
Aubette amnis. 205
Auchere. 645
Auctiones quid ſint. 35
Avennes le ſec vicus. 147
Avenio, 479. *quî ad Papam devenerit.* 494
Auguſtus Caſar Lugduni habitans. 340
Auguſta Sequanorum. 317
Avigliana *op.* 668

Aure-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Aurelia. 212, 382
Aurelianenſes canes & veſpæ. 255
Aurelian proceſsio. 223
Aurelian. vinum nocivum. 222
Aurenge. 463
Auriaca turris. 449
Auronius pons. 300

B.

BAing op. 654
Balgen & belgen quid ſit. 38
le Balliage de Gaitz. 378
Bancum cœnobium. 112
Barraux *fortalitium.* 408
Bareman. 663
Barſac. 608
S. Bartelemy. 436
Bartholomæus Ervvardt. 442
le Baſacle molendinum. 598
S. Baſiliæ opid. 607
Baſtia munitio. 444
la Baſtye. 441
Batavi nautæ peregrinantes. 162
Baucis & Philemon. 309
Bauſille abbatia. 562
Bazas. 608
Beaucaire. 543
Beauſſe *& ejus diviſio.* 256, 257
Bec d'ambez *(beccum ambarum aquarum.)* 627
Beckenhuys. 126
Bellarmini imago. 367
la belle cour. 330
Bellefaye. 288
Belgica ingenia laudantur. 80

Belloquadrum. 544
Berre opid. 524
la Berre fl. 460
Bergen pagus. 127
Berieræ ædes. 509
Bernas arx. 436
Bernates. 378, 389
Beſſay vicus. 310
Beugles *reformatorum pagus.* 611
Beziers. 577
Bibliothecæ. 24, 174, 231, 387, 452
Bienna. 443
le bien venu *Tholoſa.* 594
Bieure amnis. 192
Bigin *diverſorium.* 609
Bironius captivatur. 171
Biſſeſtre. 190
Bituricenſes Canonici. 304
Bituricenſium inſignia, pannus, rex. 308
Blavia, blaye. 628
Blois. 256
Boërii Iuriſconſulti epitaphium. 615
Bœterræ. 577
Boiard pagus. 646
Bois vicus. 214
la Boiſſe pagus. 373
le Bois de Trahiſon. 182
le Bois de Vincennes. 192
Bonay pag. 299
Bonæul. 217
Bons hommes. 194
Bord. 631
Boſſutum. 142
Boterous miniſter verbi. 425

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Bougie *regio.* 374
la Bougie lacus. 376
le Bourg la royne. 220
Bourges. 300
Bourgue vicus. 663
Bournay opid. 374
la Bouteille. 641
Boutonna fl. 631
Bozolengo *op.* 668
Braine le Comte. 136
Breſe arx. 403
Breſſe *opid.* 313
Brettœul op. 217
la Briglia Neapolitana. 20
Brion. 299
Briſſac. 278
Brugæ. 9
Brugarum eulogium. 17
Brugelius pictor. 58
Brugenſes fœminæ. 16
Bruno Colonienſis. 413, 414
Bruxella. 116
Bruxellæ una vice 5 reges. 117
le Bulletin de la ſanté. 656
Burda fl. 627
Burdigala. 612
Burdigalenſ. privilegia & Conſtitutiones. 622
Burgus opid. 626
Burſa Burdigalenſ. 617
Burſæ in Italia. 64
Burſæ origo. 14
Burſæ Londinenſ. nomen. 64
Buſſi arx. 270
Buſſidianum collegium. 109

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Butyrum de Vanves. 189
Buzançais. 299
Byzantii deſtructio. 564
Byon *reformator. templum.* 251

C.

CAballio, Cavaillon. 501
Cabanes. 523
Cabaneſium. 640
Cabilloniorum provincia. 421
Cadillac. 609
Caletum. 2
Camargues *inſula.* 527
Camberium. 404
Camera edicti. 212, 426, 615
Camera juſtitiæ. 517
Camera rationum. 426,506,571
Camera tripertita. 604
Cameracum, Cambray, Camerick. 148
Campana magna. 56,206,266,267,332,492
Campanæ modulantes. 56,90,586
Campanarum modulantium auctores. 56
Campi Elyſii. 592
Campi lapidei. 525
Campus Martius. 557
Cancrina verba. 531
Candalia gens. 608,614
Cande pag. 631
Canonici Iohannitani Lugdunenſ. 327
Cap dueil, ſive capitolium. 558, 582,596
Capillus ſuppoſititius & adſcititius. 560
Capones. 287,383
Capots. 583

Caran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Carantonus fl. 631
Carbonaria turris. 660
Carcaſſona *duplex.* 584
Cardeillac campana. 590
Cardinalis Guiſius confoditur. 259
Cardinalis magi decapitatio. 493
Cardinalis Richelieu. 638
Cardinalis Surdi palatium & hortus. 619, *& ſeqq.*
Carnople & Carlopolis. 159
Caroli And. Burg. gladius. 121
Carolus Lotharingus ab Hugone Capeto capitur. 254
Caroli Magni inſignia. 582
Caroli I X Gall. R. abominabilis mors. 193
Caroli IIX obitus notabilis. 262
Carolus IV Caſ. hirudo imperii. 539
Caroli V Caſ. nativitas & baptiſmus. 19
Carolus Scribanius. 119
Carthuſianorum cœnob. *incenſum.* 410. *à regibus Gall. dotatum.* 411. *Eorum hoſpitalitas.* 411, 412. *Ordo maximè auſterus.* 417. *Veſtimenta, ſilentium, diſtinctio.* 418
Caſimiri Pol. R. monumentum. 485
Caſtaneis ſaginantur ſues. 640, 641, 642
Caſtellum Ambianenſe. 215
Caſtellum Cameracenſe. 149
Caſtelnau d'Arry. 586
Caſtelnau de ratte *caſtrum.* 459
Caſtratio ſui. 616
Caſtres. 586, 611
Catelanus pharmacopœus. 570, 576
Catulus pagus. 197
Cavaræ populi. 454
la cave de la glace. 646

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

les Caves gouttieres. 269
Celeyn. 453
Cellæ vinariæ. 618, 650
Cenis *mons.* 453, 664
Cento *opid. de eo proverb.* 579
Centumviri. 146
Cerdon *pag.* 374
Ceræ dealbatio. 576
Cereviſia vinum cereris. 34
Certoſa magna. 412
Chabreillan arx. 458
Chalemonts. 422
S. Chamas arx. 524
Chambery. 404
Chambort, *ejus quantitas.* 255
la Chambre *vicus.* 662
la Chambre mipartie. 687
Champier. 441
Chanteloupi viridarium. 221
la Chapelle. 160
la Chapelle des corps morts. 666
Charboniere *caſtellum.* 660
Charenton. 176
Charrois opid. 299
aux Chartiers. 618
le Chaſteau de l'Eſgueille. 661
le Chaſteau de Rhoſne. 459
le Chaſteau gaillard. 374
le Chaſteau neuf. 459
le Chaſteau de Serve. 452
Le Chaſteau vieil. 409
le Chaſteau de Zonas. 403
Chaſtelraut. 298
Chaſtillon pag. 376
Cha-

Chaſtillon & Chaſtillonnet arces. 373
Chaſtres. 221
Chateleton op. 632
Chaumont *op.* 262
le Cher fl. 265
Cherſoneſus. 321
Chriſti veſtis. 202
Chriſtophori magni ſtatua. 271,544
Chriſtophorus Pregel hoſpes Lugd. 314
Cimices nulli apud Carthuſianos. 416
Cinquerat du roy *opid.* 503
Civeſta fl. 668
la Claire *villa.* 371
S. Clari caſtrum. 327
Clairmont. 647, 217, 606
Clery. 255
Clanius fl. 289
Claudius Bernard le meſſager. 442
S. Clou. 184
Cluſa. 321
la Cluſe fortalitium. 377,378
Cochlearii nobiles. 389
Colinius. 409
Colloquium inter Perronium & Mornaum. 171
Colorum oleaceorum inventor. 15
Columna flagellationis Chriſti. 339
Comici hiſtriones. 285
Comitia Centuriata. 146
Compiegne, convicinum. 155
Compeis. 644
Comunay op. 442
Concordia civium. 433
Conflans. 177
Confluentes Araris & Rhodani. 317, 318,319
Con-
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Confluentia *munimentum.* 660
Confort. 330
Confoulant. 453
Conſcientiæ. 431
Conſcientiarum tortores. 187
Contii tumulus. 305
Contractus de itinere faciundo. 655
Coquus perſonatus. 515
Corbolium. 175
Cordi domus. 307
Corduana turris. 629
Cornelius Adrian, *vulgo* Broer Cornelis. 13
Cornu cervi. 260,263
Coronationis regiæ in Gall. ornamenta. 201
Couleuvre. 309
Coulonge. 379
Courſan. 579
Couzon mons. 320
Crauſa fl. 645
Creac Burdigalenſium. 588
Credo *mons.* 376
Creſtum *op.* 458
Crocodyli exuviæ. 291,307,368,387
Croiſille. 659
Crouzieu. 655
Crux in loco prælii Neoportani. 8
Crux verba edens. 537
Cryptæ Bruxellenſes. 123,180
Cryptæ S. Germani. 180
Cujacii tumulus. 304
Cularona. 421
Culemburgica pyramis. 125
Cupet pons. 402.

D. Da-

D.

DAryncæ Flandrica. 26
Delia fl. 89
Delphinatûs *diviſio.* 420, 421. *qui ad Galliam venerit.* 421, 443. *eſt feudum imperii Germanici.* 443
Dens Servatoris. 194
S. Denys. 197. *cœnobii abbas privilegiatus.* 198
Deſdiguerius Antipater Henrici IV. 437
Dianæ fons & templum. 563
Diepa. 213
Dilia fl. 97
S. Dionyſius decapitatus. 195. *ubi ejus verum corpus.* 198
Dijon *in Burgundia.* 132
Dodonæus fons. 436
Doëgbrugk. 23
S. Dominicus Hiſpanus. 419
Dompiere vicus. 639
Donzerra op. 459
Doria fl. 652, 667
Dovay, Dovæum. 279
Dovere fl. 502
Douvranus *portus.* 1
Dracus fl. 434, 436
Drot fl. 608
la Duchere. 365
Dünkercka. 4. *ejus occupatio tentata ſcalis admotis.* 5
Dunkerckani piratæ. ibid.
Dunum Regis. 307, 309
Duorum amantium ſepulturæ. 341
Du-

Duranius fl. 627
Durantia fl. 502, 503

E.

E*Cho.* 176, 376, 563
Echo Monſpelii, Mantuæ, Heidelbergæ. 573
Ecoran pag. 379
Edictum Nannetenſe. 212, 427, 428, 431, & *ſeqq.*
Edoardus III R. Angliæ. 297
Educatio Philippi I, Hiſp. R. & Caroli V Imper. 89
les Eſcroüelles. 155, & *ſeqq.*
Egues fl. 463
Elavero fl. & pons. 310, 648
Ella fl. 627
Emauntem euntes diſcipuli. 543
Emblemata. 370, 597
Epitaphium Franc. Clapiſſonii, 368. *inceſtuoſum,* 204. *monachicæ eruditionis,* 350, 447. *Philippi Decii.* 369
Eraſmus Roterodamus. 669
Ero fl. ſive Erhaud. 577
Erycius Puteanus. 95
Eſcouy. 203
Eſcures. 262
Eſperance. 218
Eſpere. 523
Eſpernay. 409
Eſpernonius Aquenſium hoſtis. 510
Eſſonne. 163
Eſtagnac vicus. 640
Eſtampe. 221
l'Eſtang de Berre. 523
Eteoſticha Genevenſia. 400

Ex-

Exteri apud Flandros. 39
Eyrieu. 441

F.

Fabrica laminarum. 441,450
Fabula de Hercule. 525
Fames Cameracenſis, 152. *Rupellana.* 638
Fanum *S. Andreæ*, 480. *Columbæ arx.* 444
Fanum S. Spiritus. 460
la fede di ſantà. 656
Feletinum. 644
Ferdinandi II Imper. canis. 122
la Ferrerie. 667
Feurs *opid.* 654
la Fiere fl. & pons. 402
Filius decollans patrem. 23
Flandria. 25. *à Gallia avulſa.* 29
Flandri bibuli, eorum temperamentum. 36
Flandricæ fœminæ. 34
Flandrica ingenia. 32
Flandrica lingua. 31
Flandriæ opida, pagi, reditus. 30
S. Fleura. 299
Fleurie amnis. 659
Flores magni pretii. 127
Fœtidum marmor. 290
Fœtura ovium in Flandria. 27
Fons diverſarum operationum. 576
Fontes diverſiſſimi ſaporis. 651
Font la poſte. 442
Fontaine-bleau, *fontebellaqueum.* 165
La fontaine hoſpitium. 312
La fontaine qui bruſle. 435,436
il fontego Venetiis. 67

Forcy,

Forcy, aquæ Forcenſes. 214
la fireſt de Fontaine-bleau. 164
Francheſſe. 310
le Fraiſne mons. 409
S. Fraiſne vicus. 639
Franciſcus de Coſſi. 279
Franciſcus de Hailay archiepiſc. Normand. 209
Franc. Lotharingus ſclopeto perit. 254
Franciſcus Petrarca, 481. *ædes,* 496. *parentes,* 498. *mors,* 499. *muſæum,* 500. *fons,* 501.
Franciſcus de Puteo Iuriſconſultus. 417
Franciſci I, Reg. Gal., de Carolo V dictum. 81. *incarcer Madritti.* 184. *titulus facetus.* 189. *inſignia.* 194, 559, 258. *metrum in Lauram Petrarcæ.* 484
Francorum apoſtoli. 197
Freuil pagus. 205
Frenum Gandavenſium. 20
Frere Iacques Clement. 185
Frette. 441
Fridericus Endorfer. 442
Fridericus Henricus Comes Palat. aquis perit. 301
Fridericus Heſſus Helvet. capitan. 154
Frontignanum. 576
Fronton. 599
Fuentius Comes. 152
Fuggerus. 81
Funera Antverpiæ. 86
Fura fluv. 111, 113
Furiæ Antverpianæ. 87
Furtum. 256

G.

G*Abrielle la Ducheſſe.* 169
Galaſt. 627

Galleux d'Artenay. 222
Galliæ centrum. 301
Gamelon, Sieur de Haute ville. 182
Gandavum *& ejus magnitudo.* 18,19
Gandavenſium rebellio. 25
Gardo fl. 545
Garumna fl. 587
Gazophylacium. 294,533,509,542,619
Geneva. 379. *Eccleſiæ conſtitutio.* 389
Genevenſ. Epiſcopus. 388. *inſignia,* 385. *libertas ſub tutela regis Gall.* 390. *politia,* 392. *& ſeq. ſeditio & invaſio bellica.* 394, *&* 400. *ſtipendia à rege Gall.* 378
Genevenſis puellæ ſaltatio. 390
Genon pagus. 298
Gentilly. 192
Generaliſſimus Carthuſianorum. 414
S. Geran. 311
S. Germain ad Leyam. 179
S. Germain la cheuvre. 376
Germana natio *Aureliæ.*225,228. *ejus privilegia à regib. confirmata.* 245, 249. *ubi conveniri poteſt.* 249
Germanæ mulieris partus. 534,535
Germanorum ſepultura Lugduni. 346
Germanorum excubiæ Lugd. 329
S. Gervas pagus. 547
Geryonis ſtatua. 559
Geuſen teſtament. 50
la Gie fl. 404,410
la Giere fl. 444
Gigas Buardus. 457
Gildæ quid ſint. 111
Gladius juſtitiæ. 517

Gljane

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Gliane amnis. 641
Giranda vicus. 608
Goneſſe. 189
la Gorge du Loup. 372
Gournay opid. 154
Gouvieux. 219
la grande Chartreuſe. 412
Gratianopolis. 420
Gravelinga. 3
Gre *opid. cum arce.* 218
Grenoble. 420
Grohan. 277
la Grotte Berluee. 358
Grotta Brugenſis. 16
Gryphi ungues. 592
Guerguis. 214
Das Gufenſtädtlein. 375
la Guillotiere. 328, 383
Guingcourt reformatorum templ. 217
Guiſii adoleſcentis carcer. 267
Guiſiani cineres. 259
Gulielmus Naſſovius. 474

H.

H*Alæ Lovanienſes.* 108, 131
Hallæ. 131, 130
Hallenſe ſacellum. 132
Hamptoncourt. 163
Hannibalis crudelitas. 362
Hanſa. 39
Happa pag. 147
Hareng ſoré. 33
Havre de grace. 205
Helleſpontus Britannicus. 1

Hen-

Henricus Fredericus, Princeps Arauſion. 475
Henricus Guiſius interficitur. 258
Henrici IV R. Gall. res geſtæ, 167. *ejus titulus facetus,* 192. *Epitaphium.* 199
Henrici III R. Gall. monumentum cordis, 185. *corporis depoſitio,* 159. *ſymbolum,* 185, 629. *morituri ultima verba.* 187
Henryopyrgus. 527
Herculis gentilitia inſignia. 548
Hermanus Ludovicus Elect. Palat. filius aquis perit. 300
Hernia gutturis qui à rege Gall. ſanetur. 155. *& ſeqq.*
Herodis infanticidium. 337
Heverlea. 106, 112
Heyd Helvetius. 408
Hiſpanorum tranſitus in Burgundiam. 377
Homicidium. 314
Horologium. 144, 150, 174, 332, 425, 642
Q. Hortenſius Orator. 387
Hortus Dei. 574
Hortus Galliæ cum incolis ſuis. 264, 270
Hortus Mercerii. 305, 307
l'Hoſpital op. 653
l'Hoſpital de S. Louys. 196
Hoſpitia bona. 309, 310, 311, 312
Hoſpitia mala. 137, 213, 217, 288, 298, 299, 310, 312
Hoſpitia in Picardia. 215
l'Hoſtel de Clugny. 191
Hoſtiæ à Iudæis confixa. 119
D. Hugonis regula apud Carthuſianos. 416

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

I.

Iacob de Brüen, hoſpes Dunkerkanus. 5
Iconoclaſmus. 210
Idanus fl. 657
Ianimedium. 14
Ianus Vitalis. 369
S. Iean de Bedaz. 576
S. Iean Caſtellum. 515
S. Iean de Muriane. 662
S. Iean le vieil. 374
Ieanne pucelle d'Orleans. 211,252,253
d'If caſtellum. 514
Ignis de cœlo lapſus. 361
Ieſuitæ *auctores cædis Henrici III.* 188. *ſeditionum tubæ.* 626
Immont. 641
Infantum educatio apud Flandros. 37
Infortunia bina. 256
Inſignia Lugdunenſia. 317
Inquiſitio in hæreticos. 488
Ioannis Avennenſis tumulus. 144
Ioannes Calvinus. 394
Ioannes Coraſius Iurisconſultus. 591
Ioanna de Pontebretang. 279
Ioannes Poltrot crematur. 254
Ioannes rex Galliæ. 297
Ioannis caput ſuppoſititium. 216
Ioannis imago. 274
Ioſephus Iuſtus Scaliger. 605
Iſabella arcu dejicit pſittacum. 124. *ejus currus ſponſalis.* 121
Iſara fl. 408,409,422,660
l'Iſle Barbe. 364

l'Iſle

l'Iſle *op. papale.* 495
Iſſodunum. 299
Iſſy. 190
Iudæi Avenionenſes. 488, 494. *illis concionatur monachus.* 489
Iudex arcæ Galliarum. 344
Iudicium Dei immutabile. 413
Ive vicus. 632
Iuliodunum. 287
Iulius Cæſar Scaliger, ejus caput, vita & ſepulchrum. 604,605
Iuliomagum. 272
Iulius Pacius Iuriſconſultus. 457, 554, 568
S.Iunien *opid.* 641
Iura mons. 321,379
Iuramentum adſeſſoris Aureliæ in Nat. Germ. 242. *immatriculandorum*, 238. *præfecti bibliothecæ*, 243. *Procuratoris*, 240. *Quæſtoris*, 241. *Seniorum & Conſiliariorum.* 244
Iuriſconſulti Bituricenſes. 306
Ius Iſſuarum. 39
S. Iuſt. 309
S. Iuſti abbatia. 217

K.

K *Ammerduech.* 147,151
S. Katharinæ fortalitium. 206,401
Katharinæ Medicææ ſepulchrum, 257. *ejus cubiculum.* 259
Kieuraing pagus. 142
Körlings quid ſint. 17

L.

LAcus Lemanus. 321,383,658
le Lac de Bourgeois. 403

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

S. Ladre. 160
le Laict de Montdragon fl. 462
Lambec *op.* 503
Lanæ Hiſpan. & Angl. emporium. 15
Langon. 608
Languedoc. 565
Laniena *Arauſionenſis.* 475
Aurelianenſis. 254
Burdigalenſis. 623
Lugdunenſis. 334, 362, 453
Pariſienſis. 254, 637
Tholoſana. 590
Lanſac pagus. 541
Lapis Lauretanus, 274. *natans,* 350. *prægrandis uno digito movendus.* 329
Larmond vicus. 626
Lavecon. 467
Lauræ *monumentum,* 482. *& ſeqq. ædes & parentes,* 497. *mors.* 498
S. Laurent de chaud. 640
S. Laurent des eaux. 255
Lazaretum *Pariſienſe.* 196
Lazari caput, 515. *reſuſcitatio.* 581
le cheval fol Lugduni. 351
leges Flandricæ. 38
Lemovicenſes *cultri.* 643
Lemovicenſium mores, habitus. 643
Lepores IV *habentes* 4 *aures.* 331
Lesdiguerii palatium, 425. *uxor.* 426
Leſignee pagus. 298
Leſou. 652
Levvatte. 214
Lezignan opid. 584
Liberta *Maſsiliæ liberator.* 515, 519. *& ſeqq.*
Lige.

Ligeris fluv. 312, 654. *pons.* 253, 260, 262, 265, 271, 278
Lillo. 44
Limania. 641, 642
Limoge. 641
Linas opid. 221
Lingua d'ouy & d'oc. 565
Linguæ Gall. puritas. 261
Linio fl. 654
Lipſii canes, 104. *epitaphium,* 100. *penna argentea.* 135
Lipſio contradicitur. 532, 557
Litteræ ſanitatem aſſerentes. 656
Lœuvre vicus. 160
Lodun. 287
La Loggia publica. 501
Londinenſes adeis. 586
Longeret pag. 377
Longini epitaphium & decapitatio. 364
Longiumeau. 220
Loth fl. 606
Lotii vectigal apud Veſpaſian. Imp. & Pontif. 191
Lovanium, 95. *ejus quantitas.* 97
Lovanienſes leges. 101
Lovanii cum Roma comparatio. 97
Lovanienſium ſtudioſorum forum. 107
Loup gras. 379
Loupiac. 608
Loupian. 577
Lucæ Euangeliſtæ pictura. 150
Ludovicus Naſſovius Montes Han. intercipit. 140
Ludovicus Valeſius. 487
Ludovicus Mediolan. dux captivus. 325
Ludus palmarius. 267, 366, 330, 614

Lugdu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Lugdunum, 315, 442, 654. *fidelitas*, 361. *adium deformitates*, 330. *cives Romani*, 352. *mercatura*, 360, 373. *motus*, 359, *xenodochium*, 351. *elogium*, 364, 373
Lunel *opid.* 564
Luiſettes vicus. 401
Luſarche. 219
Lutetia, 161. *orbis compendium.* 162

M.

D. *Macarii opid.* 608
D. Madrid. 183
Magellona. 574
la Magiſtere. 602
Magnus vicus. 203
Maillet. 270
Malamort. 503
Malauſius portus. 602
Malmaiſon diverſorium. 213
Mamillaria. 526
Manumiſsio Romana. 224
Maranorum poſteritas. 575
Mariæmontium. 124
Mar I arcus. 463, 465
Marianæ thermæ. 466
Marignanus lacus. 523
Marmanda. 607
Marmonſtier. 268
la Marne fl. 176
S. Mars. 270
Marſane vic. 459
D. Marthæ reliquiæ. 542
S. Martin pag. 441
Martineſſe pag. 436

S. Martin de Crau. 525
Martinus Lutherus. 190
S. Martini reliquiæ, 266. ejus tumba. 269
Maſcaret æſtus marinus. 626
Maſſilia. 512
Maßiliæ condendæ occaſio. 513
Maßilienſes proditores. 517, 518
Mater Alemanorum. 264
S. Mathourin vicus. 272
Matoulin fidicen. 598
Matricula Germ. Nat. Aurel. 232
Mauberion. 289
S. Maur. 194
Mauritius Naſſovius. 475
Maurit I Auriaci ſoror abbatiſſa. 291
Mauritiana prudentia ad Neoportum. 7
Maximilian. I Imperat. 134
Mechlinia. 89
Mechlinienſe tribunal. 92
Mediolanenſe caſtrum. 149
Medo apud Flandros. 34
Meduana fl. 272
Meyſters von Polÿt. 94
Melamborii venti. 525
Melodunum. 175
Mercatorum mores viales. 375
Meretrices Avenioni. 488
Merieu pag. 441
Merignan pag. 374
Metis *Lotharing.* 206
Meudon. 188
S. Michaëlis caſtrum. 662
S. Michel des eſtoilles. 668
Mille fiori hortus. 670

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Milch-zins oder Huren-zoll. 488
Milton hoſpes Pariſienſis. 161
Miolanum *caſtellum.* 660
Miramas op. 524
Mirebeau. 288
Mirembeau vicus. 630
Mocajarri panni. 147
Modane vicus. 663
Mojencourt arx. 214
Moiſſacum. 601
Molinium *op.* 310
Monachorum inſolentia. 266
Moncerau. 270
Monetæ cudendæ jus. 261
Monetæ exportandæ monitum. 1,657
Monerville. 221
Monmelianum *op. & caſtellum.* 406,408
Mons aureus. 670
Mons Ceti. 574
Mons Comi. 646
Mons Credo. 376
Mons lupi. 574
Monspelium. 565
Monſpelienſes campanis deſtituti, 570. *profeſſores,* 570. *Virgines.* 565
Mons pietatis. 126
Monſtra. 296
es Montagnes de Carthuſe.. 412
Montalbanum. 599
Montcharrau. 645
Montcontour. 288
Montdragon op. 462
Montelimart. 459
Montes. 313,374,375,410,653

Mon-

Montes Euganei. 499
Montes Hannoniæ. 137
Montes Hannoniæ intercipiuntur. 140
Montes Sabaudiæ. 402
Montfaucon arx. 403
Montferat op. 651
Montfront op. 544
Monthaiſon. 458
Montjoyes. 195
Montjouzieu, Iudæorum cœmeter. 562
Montlehery arx. 221
Montluys. 264
Mont-martre. 195
Montmorency arx. 202
Montiſcart op. 587
Montreulbolay. 287
Montoux præſes Parl. Sab. 405
Monumentum crudelis memoriæ. 536
Moreti epitaphium. 55
Mournas *op.* 463
Mours. 684
les Moutons de Berry. 308
Moyran. 441
Mulier mirabiliter ſervata. 269
Mulierum reſipiſcentium domus. 59,119
Muſici. 137
Mynen quid ſit. 35

N.

NAntua *op.* 375
Narbo. 579
Naſſovicæ domus ſucceßio ad Principatum Arauſionenſem. 470,& ſeqq.
Nationes Aureliæ quot olim & hodie. 227

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Nemauſus, 548. *ſepticollis*, 549. *à reformatis intercipitur*, 550. *fons urbi fatalis*, 550. *paullo minor Româ.* 549, 557
Nemoroſius Dux captivus. 325
Neoportus. 6
Neoportanæ conſtitutiones. ibid.
Neoportanum prælium. 7
Nerac. 587
Nero. 362
Nerva Iuriſconſultus. 388
Nesla propugnaculum. 154
Neſtre opid. 632
Nicy *op.* 659
S. Nicolas fl. 667
Nilus fl. 321
Niſmes. 548
Niſſe pag. 578
Nix magna. 584
Niza. 407
Nonciutz. 163
Norimbergenſis *reſpubl.* 147
Novaleſia. 656, 667
Novocaſtrum op. 495
Numiſma de Oſtenda & Sliiſa. 9
Nuptiæ apud Antverp. iteratæ. 85

O.

O*Bſidiones diuturnæ quid ſint.* 9
Obſtetrices Bruxellenſes. 118
Odoratus in amphitheatro. 556
Oetingenſis Comes. 311
Oldo fl. 606
Optica pictura. 578
Ordam. 44

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Orenge. 463
Orgius fl. 577
Orſmael Iohan de Falckenburg. 464
Oſtenda *dicitur Troja.* 8
Oſtendani auctores halecum conditarum. 8
Ooſterlinga domus Antverpiæ. 67
Ourgon op. 503
Oyſe fl. 202
Ozance pag. 288

P.

P*Acificatio Gandavenſis.* 25
Padus fl. 669,670
Palæſtra rhetorica. 350
Palatium Mariæ Medic. reginæ. 192
Paliſſe *opid.* 311
Pallium D. Martini. 194
Panis de Goneſſe. 189
Pantagruel. 293
Pantheon. 457
Papa Avenione fugiens. 491
Papa Benedictus XII molitoris filius. 490
Parcum *cœnobium Præmonſtratenſe.* 112
Pariſienſium catenæ. 193
Parlamentum *Aquenſe.* 505
Burdigalenſe. 615
Gratianopolitanum. 426
Rhotomagenſe. 211
Tholoſanum. 595
Parma *urbs imperii.* 540
Paſſe lourdin. 293, 294
Paſquaudiere *op.* 311
Patavium. 499
Pax religionis. 430

Pectines Carcaſſon. 585
Pedellus Nationis Germ. Aurel. 232
Pelius mons. 565
Pegma Hornani & Egmondani. 125
Penis *privatio, 616. triplex.* 555
le petit Niort. 630
Peregrinantium vulgar. mos. 161
la perle de France. 631
Peronna. 153
Perpignan. 583
Peru. 576
Petermani qui ſint. 110
Petralata. 460
Petrus Luzeburgius. 487, 492
Petrus Sardus Iuriſconſultus. 417
Pharos Alexandriæ. 629
Philippi Audacis Burgund. tumulus. 131
Philip. Gulielmus Princeps Arauſ. 474. *ejus nuptiæ.* 474
Philip. Mornæus Pleſſiacus. 271
Piage de Rußillon. 451
Picardia. 153
Pictavia. 289
Pierre d'Entremont. 409
Pierement. 214
Pierre-late. 459
la pierre levee. 293, 294
la pierre ſcize. 325
Pierre de Thomas threſorier du roy. 599
Pilatus, ejus ſceptrum, 448. *turris,* 450. *pyramis, domicilium.* 451
Pipetum *caſtrum.* 444
la piſſe vache. 375
Piſtorius. 554

Piulone

Piulone op. 463
Placentia *civitas imperii.* 540
la place pie. 384
le plain palais. 461
Planaſia. 611
Podenſac. 556
Podium in amph[illegible]tro. 592, 598
Pola vi[illegible]*oloſana.*
S. Polycarpi ſepulchrum. 339
Pont Amaſre. 662
le Pont Anthon I. 220
le Pont de Bonne. 434
Pont de Cée. 278
Pont de Chargy. 309
Pont du chaſteau op. 652
Pont du chat. 545
le Pont de Codonian. 564
Pont des malades. 641
le Pont des Oeules. 376
le Pont de Soile. 632
Pons è naturali lapide. 651
Pontemurum. 645
Pontet. 630
Pons Gardius. 545
Pons Garumnæ. 598
Pons Gibaldi, *pont Gibaud.* 646
Pont Hermenbois. 160
Pont hierry. 163
Pontificia ſedes Avenionem tranſlata. 491
Pontificis Vrbani VIII *inſignia.* 333
Pontivi caſtellum. 153
Pons la ſteccada ad Antverpiam. 44
Pont Lunel diverſorium. 564
Pontoiſe *op.* 202

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Ponts opid. 630
Pont Singoulent. 640
Porcell... S. Eſprit. 461
la Porte de Triv... hiſtoria. 535
Portus S. Mariæ op. 358
les Poulles de Lodun. 606
Pounas. 287
Poy de Louart. 441 637
Poyſſin *op.* 458
Pratum Germanorum. 277
Preully op. 298
Priapus *Antverpiæ.* 57
S. Priech. 644
Primas Galliæ. 337, 359
Principum libidines. 183
S. Privé *Baro hoſpitalis.* 547
Proceſſio Andegavenſis. 274
Proceſſio corporis dominici. 650, 659
Procurator Nationis Germ. Aurel. 226, 236
Propugnaculum anſerinum. 384
Proverbium de Mommeliano, 407. *d'Orenge,* 464. *de provincia Gall.* 506
Provinciæ Gall. derivatio nominis, 502. *ejus domini, ibid. quì ad Gallos devenerit.* 542
Puerperia Antverpiæ, 86. *Mechlinienſium.* 93
le Put de la poix. 652
Puteus fulgura concitans. 575
Pyrenæi montes. 583

Q.

Q*Væſtor nationis Germ. Aurel.* 229
le quartier des Portugais. 618
Quevilly *pagus reformatorum.* 212

R. Ra-

R.

RAbelæſus. 293, 307, 568, 569. *ejus pileus & toga.* 569, 570
Radigunda. 291, 293
la Ramaſſe. 665
S. Rambert vicus. 451
Ranchinus Medicus Monſpel. 571
Rebuſſi ſepultura. 574
Rector *Aurelianenſis*, 226. *Lovanienſis*, 106
Reformatorum eccleſiæ quot in Gallia. 212
Reformatorum ſepultura Lugd. 360
Regia ædificia in Gallia. 194
Religio non cogenda. 433
Remilly op. 402
Renchir cervus. 304
Renelle amnis. 205
Reolle *ſive Regula op.* 607
Rex Galliæ canonicus. 273, 290
Rhodanus fl. 383. *ubi abſorbeatur*, 658. *ejus pons.* 322, 383, 387, 450, 479, 528
la Rigaudiere armamentarium. 357
la Rimanche amnis. 436
Rions *op.* 611, 652
Rives. 441
Rivoli *op.* 668
Roane *ſive* Rodumna. 311
Robec amnis. 205
S. Robert pag. 441
la Roche d'Eſtaux. 627
la Roche inſula. 544
Roche ſur grane, arx. 459
Ῥόδιον *numiſma.* 114
Roenac pag. 459

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Rogiero Compignano. 406
Roja op. 154
Roland campana. 20
Rolandi turris, 533. *ſaltus*, 536. *& calvaria. epitaphium.* 537
Rollinus miniſter verbi. 435
S. Romans. 451
Ronneau *caſtellum.* 515
Ronella fl. 143
Roſmarinus. 459, 502, 503, 575
Roſnius. 407
Rota papalis. 205
Rothomagum. 212
Rothomagi reformatorum Eccleſia
Rothomagi ſceleratiſſimu[illegible] canonicis liberatur. 208
[illegible] fl. 459
Rubenius pictor. 58, 71, 124
Ruël. 178
Rupella, 632. *ejus expugnatio*, 638. *portus*, 633. *privilegia.* 637
Rupelmunda. 88

S.

SAbaudi, 379. *unde nomen*, 381. *è Saxonibus oriundi, & quando Duces facti.* 381
Sabaudiæ nives. 311
les Sablonniers d'Eſtampe. 221
S. Safirin. 442
Salica gens. 538
Salis coctura apud Flandros. 34
Salmurium. 271
Saluzenſis marchionatus. 379
Sambucus. 291

Sancerra. 307
Sanctæ ligæ initium. 154
Saone, ſive Sagena fl. 320
Sapene pag. 420
Saportæ Medici. 567
Saturnini templum. 591, 598
Savaſſe vicus. 459
S. Sauviat. 644
Saxonica lingua. 31
Scaldis fl. 43
Scholares Pictavienſes, 297. *Tholoſani.* 594
Schombergius Comes. 640
Scipio Verganus Italus. 635
Scropharum familia. 354
S. Sebaſtiani caſtrum. 326
Seditiones. 183
Semar fl. 667
Senenſe caſtrum. 149
Seniores nationis Germ. Aurel. 228
Senis mons, *& ejus deſcriptio.* 664, *& ſeqq.*
Senlis *op.* 160
Septenarius numerus. 118, 480
Septimaniorum ingenia. 550
Sepulchrum Salvatoris. 446
Sequana fl. 202
Sericum opificium in Gallia. 265
Servage vicus. 660
Servorum fidelium exemplum. 262
Sicilia. 256
Siebenſchläffer ſepulchrum. 269
Sluyſen, ſive excluſæ. 117
Simonia pontificiorum. 302
Singona flu. 630
Sinna fl. 117
Siſara

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Siſara apud Flandros. 34
Sivolis fl. 645, 646
Sogniacenſis ſilva. 112, 117
Solighoſſeri. 514, 516, 523, 599
Somia fl. 215
Somona, Somme fl. 153
Sorga fl. 478, 496, 497
Souliere. 663
Sphæriſteria. 357, 492
Stapula quid. 14
Stapula frumenti, 24. *vini Gallici.* 147
Straſsianæ gratiæ, bey der ſtraſſen. 523
Strategema in carro nucum. 215
Stupratoris pœna. 491
Stura fl. 670
Svvarte galeye van Dort. 41
Sudarium Salvatoris. 159
Suevica lingua. 31
Silvanectum. 160
Surgere vicus. 639
Suza *op. & caſt.* 667

T.

TAilleburgum *op.* 631
Tarara. 312
Taraſcon. 542
Tarentaſienſis vallis. 660
Tarnis fl. 599, 600
Tavernette. 665
Taurinum, Turin. 669
Tauſendt mitteln *Antverpiæ.* 72
Tectoſages. 587
Telum immenſæ magnitudinis. 136
Templum Agrippæ Romæ. 283

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Templum D. Pauli Romæ. 358
Terminus Sabaudiæ & Pedemontii. 666
Teſcunus amnis. 600
Textrinæ 32,110
Teya fl. 301
Thauredunum. 452
Theo fl. 299
Theodorus Beza. 221, 402, 545, 550
Theſaurus in Rhodano. 382
Tholoſa. 587
IV *Tholoſana miranda.* 598
Tholoſani ſcholares. 594
Thomæ Aquinatis oſſa, 593. *pulpitum.* 100
Thoraſius. 262
Thouri. 221
Thubiſe. 136
Thynnium *vic.* 452
S. Tiberii *opid.* 577
Tiert *op.* 652
Timuchi. 516
Tiretaine fl. 651
Tonay charente *op.* 631
Tonon *op. raſum.* 607
Tornatores artificioſi. 218
la Tour pag. 313
Tours. 265
Tourſtur. 221
Toury. 379
Touſſac fl. 607
Tous Sainctes arx. 524
Trente *vicus cum proverbio.* 578
Trinquetaille. 527
Trochon. 402
Trulla fl. 138

Truttæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Trutta magni ponderis. 659
Turnonium *op.* 452
*Turris Antverp.& Argentin.*55. *Romana.* 564
Typographeium Plantinianum. 70
Tyranni Maxentii interitus. 361
Tyranni Severi interitus. 363

V.

LA *vache pag.* 458. *tormentum.* 637
Vade & occide Cain. 570
du Vair præſes parlam. Aquenſis. 505
Valentia, Valence. 454
Valentianæ, Valenchiennes. 142
S. Valeri *opid.* 451
Vallis clauſa, Vaucluſe. 495, 496
Vallis-cygnûm. 142
Vannoiſe amnis. 664
Varennes. 288
Vanves. 189
't Veer propè Antverpiam. 41
Vehiculum Alberti archiducis. 122
Vellaus arx. 524
Venen apud Batavos quid ſint. 96
Venetiana theriaca. 289
Venetorum Dux. 108
Verbonne pag. 373
Verdet quid ſit. 576
Verloren koſt *turris Lovanienſ.* 98
Verpus *Antverpiæ.* 42
Veronenſe amphitheatrum. 557
Vertueil vicus. 639
Veufve pag. 262
Vexilla ſuſpenſa. 136, 332, 387
*Viæ variæ.*299, 309, 313, 409, 441, 512, 653, 662, 663
Vien-

Vienna. 443
Viſ vicus. 435
Vigand op. 575
Vigenna fl. & pons. 298, 640, 642
Vigile *arx ſplendida.* 437. & *ſeqq.*
Vigilii Zuichemi monumentum. 19
Vigny vicus. 203
la Village de Chartreuſe. 410
Villa nova. 574
Vilars vicus. 663
Villefranche. 587
Ville neufve. 480
Ville nouvelle. 587
Ville pinte. 586
Vincenſtre. 190
Vini adulteratio. 33
Virgines religioſæ maritandæ. 138
Virgo docta Iulia Hiſpana. 337
Vitrum ductile à quo inventum. 68
Vitulus aureus. 340
Vivarais *regio.* 461
Vlyn *pagus reformatorum.* 360
Vnicornu. 201
Voreſpe pag. 441
Vrnæ cum cineribus. 267, 387
Vtica, Vſez *urbs.* 545
Vvæ paſſæ. 576

VV.

WAghâlſer *quid ſint.* 17
Waldenſium origo. 360
Wettengelii Bohemi epitaph. 344
VVindſoor *caſtellum Angl.* 297

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

X.

Xainctes. 631

Z.

Zenna fl. 131

Zythus qui præparetur. 34

FINIS.

Hectores domi naſcimur.
Ulyſſes foris evadimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

350

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 C 42